Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/institutionescat0008vari

POUGET.

INSTITUTIONES

CATHOLICÆ.

VIII.

FATHER'S LIBRARY

TOMUS VIII. CONTINET

III. Part. Sect. I.

Cap. 1. *De Sacramentis in genere.*

2. *De Baptismo.*

3. *De Confirmatione.*

4. *De Eucharistia.*

5. *De Pœnitentia.*

INSTITUTIONES

CATHOLICÆ

IN MODUM CATECHESEOS,

IN QUIBUS QUIDQUID AD RELIGIONIS HISTORIAM ET ECCLESIÆ DOGMATA, MORES, SACRAMENTA, PRECES, USUS ET CÆREMONIAS PERTINET, TOTUM ID BREVI COMPENDIO EX SACRIS FONTIBUS SCRIPTURÆ ET TRADITIONIS EXPLANATUR;

EX GALLICO IDIOMATE IN LATINUM SERMONEM TRANSLATÆ:

ADJECTIS SINGULIS È SCRIPTURA ET TRADITIONE PETITIS PROBATIONIBUS ET TESTIMONIIS.

AUCTORE EODEM ET INTERPRETE FRANCISCO-AMATO POUGET, MONTISPESSULANÆO, PRESBYT. CONGREGATIONIS ORATORII GALLICANI, SACRÆ FACULTATIS PARISIENSIS DOCTORE THEOLOGO.

EDITIO NOVA, CUM EMENDATIONIBUS ET APPENDICE.

ALMA COLLEGE
254
LIBRARY
P862
Alma, California

TOMUS OCTAVUS.

APUD PERISSE FRATRES, BIBLIOPOLAS,

LUGDUNI
in priori domo
VIA MERCATORIA, 49,
ET VIA CENTRALI, 60.

PARISIIS
in recentiori domo
VIA SANCTI-SULPITII, 38.

1857

1070

Rev. James Vila P.P.

Avenione, Typis Fr. Seguin, via dicta Bouquerie, 13.

INSTITUTIONES CATHOLICÆ

AD FORMAM CATECHISMI.

TERTIÆ PARTIS SECTIO I.

De Sacramentis.

CAPUT PRIMUM.

De Sacramentis in genere.

§. 1. De Sacramentorum natura et effectibus.

Int. Disc. QUID est Sacramentum ?

Resp. Hoc nomine vulgò intelligitur signum sensibile à Christo institutum, quo gratia nobis confertur ad sanctificationem. (A)

I. Cur Sacramenta vocas signa ?

R. Quia significant invisibilem gratiam quam continent et conferunt.

I. Cur ea vocas signa sensibilia ?

R. Quia res illæ vel actiones quas Sacramenta dicimus, sub sensus cadunt. Sacerdotis baptizantis actionem cernimus, verba intelligimus : his verbis accedentibus ad actionem, confertur animæ hominis baptizati gratia invisibilis. (B)

(A) CONCIL. NARBONENS. *ann.* 1609. *cap.* 32. Per Sacramenta voluit Deus, tanquam per media, nobis gratiam conferre.

(B) S. AUG. *Tract.* 80. *in Joan. Evang. n.* 3. In aqua verbum mundat. Detrahe verbum, et quid est aqua nisi aqua ? Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum.

Tractat. Dom. STEPHANI EDUENS. Episc. *de sacrament. altaris. Prolog. pag.* 1872. *Tom.* 20. *Biblioth. PP. Lugd.* Qui explela dispensatione à Patre sibi creditâ, volens nobis relinquere omnia saluti necessaria, visibili materiâ ordinavit et fieri præcepit invisibilia sacramenta. Quomodo enim posset homo intelligere dona spiritualia, nisi aliquo visibili moneretur ad ea percipienda ? Virtus enim sacramentorum, invisibilem operatur effectum. Quod exemplorum documentis liquido apparebit. Sacramentum baptismi ordinatur in aquis regenerativis : quia sicut aqua sordes exteriores abluuntur, ita spirituali gratiâ in lavacro regenerationis datâ mundantur interiora inquinamenta. Item in copula maris et feminæ quæ conjugium dicitur, unitas capitis et membrorum, id est Christi et Ecclesiæ intelligitur. Item olei unctione figuratur operatio divinæ miseri-

I. Quid hoc rei est quod sanctificationem hominis appellas?

R. Illud intelligo quòd homo infusione gratiæ sanctus efficitur et Deo gratus.

I. Quandonam sanctificantur homines?

R. Dum remissionem peccatorum et gratiam quam sanctificantem vocant, de qua superiùs diximus (*Cap. præced.* §. 1.), vel ejus augmentum accipiunt. (C)

I. Quomodo per Sacramenta sanctificantur homines?

R. Alia Sacramenta sanctificantem gratiam conferunt non habentibus, alia ejus augmentum. Illa dicuntur Sacramenta mortuorum, hæc Sacramenta vivorum. (D)

ricordiæ. Oleum enim sanat, reficit, et supernatat: Dei misericordia contritos sanat, contritiones alligat, esurientes pane indeficienti reficit et satiat, et judicio superexaltat. Hoc modo in Ecclesiasticis sacramentis Spiritu sancto cooperante ordinatis invisibiliter operatur gratia septiformis. Licèt enim unus et idem sit Spiritus qui in singulis prout vult operatur, tamen pro varietate distributionum assignatur divisio gratiarum. Nam divisiones fiunt donorum pro qualitate suscipientium. Nulla igitur in Spiritu varietas, sed sine omni alteratione identitas. Dividit quibus vult et quantùm vult, et non dividitur; omnia continet, et in omnibus est. Qui dat, ipse donum est. Et cùm dona sint divisa: unus manet et indivisus, qui donat; unus est, qui in se dato dat plura: et cùm sit quod datur, ipse est dona diversa. Omnia quæ donantur ad unum referuntur.

(C) S. Aug. *Quæst. in Levitic. lib.* 3. *Quæst.* 84. *pag.* 524. Advertendum est quoties dicit (*Lev.* xxi. 15.) *Ego Dominus, qui sanctifico eum*, loquens de sacerdote: cùm hoc etiam Moïsi dixerit (*Exod.* xxix. 24.) *Et sanctificabis eum.* Quomodo ergo et Moïses sanctificat et Dominus? Non enim Moïses pro Domino: sed Moïses visibilibus sacramentis per ministerium suum; Dominus autem invisibili gratiâ per Spiritum sanctum, ubi est totus fructus etiam visibilium sacramentorum. Nam sine ista sanctificatione invisibilis gratiæ, visibilia sacramenta quid prosunt? Meritò autem quæritur, utrùm etiam ista invisibilis sanctificatio sine visibilibus sacramentis, quibus visibiliter homo sanctificatur, pariter nihil prosit: quod utique absurdum est. Tolerabiliùs enim quisque dixerit, sine illis istam non esse, quàm si fuerit non prodesse; cùm in ista sit omnis utilitas illorum. Sed etiam hoc, quòd sine illis ista esse non possit, quomodò rectè dicatur, intuendum est. Nihil quippè profuit Simoni mago (*Act.* viii. 13.) visibilis baptismus, cui sanctificatio invisibilis defuit: sed quibus ista invisibilis, quoniam affuit profuit, etiam visibilia sacramenta perceperant similiter baptizati. Nec tamen Moïses, qui visibiliter sacerdotes sanctificabat, ubi fuerit ipse ipsis sacrificiis vel oleo sanctificatus ostenditur: invisibiliter verò sanctificatum, negare quis audeat, cujus tanta gratia præeminebat? Hoc et de Joanne Baptista dici potest: priùs enim baptizator, (*Matth.* iii. 14.) quàm baptizatus apparuit. Undè eum sanctificatum nequaquam negare possumus: id tamen in eo factum visibiliter non invenimus, antequam ad ministerium baptizandi veniret. Hoc et de latrone illo, cui secum crucifixo Dominus ait, (*Luc.* xxiii. 43.) *Hodie mecum eris in paradiso.* Neque enim sine sanctificatione invisibili tantâ felicitate donatus est. Proindè colligitur invisibilem sanctificationem quibusdam affuisse atque profuisse sine visibilibus sacramentis, quæ pro temporum diversitate mutata sunt, ut alia tunc fuerint, et alia modò sint: visibilem verò sanctificationem, quæ fieret per visibilia sacramenta, sine ista invisibili posse adesse, non posse prodesse. Nec tamen ideò sacramentum visibile contemnendum est: nam contemptor ejus invisibiliter sanctificari nullo modo potest. Hinc est quòd Cornelius et qui cum eo erant, (*Act.* x. 48.) cùm jam invisibiliter infuso sancto Spiritu sanctificati apparerent, baptizati sunt tamen: nec superflua judicata est visibilis sanctificatio, quam invisibilis jam præcesserat.

(D) Gillebert. Abb. *in Cant. serm.* 33. *n.* 6. Bonum ergo misericordiæ unguentum, quod peccata remittit, prævenit merita, comitatur, accu-

I. Quænam sunt Sacramenta mortuorum ?

R. Baptismus, Pœnitentia, et aliquando Unctio-extrema, ut multis Theologis placet.

I. Quænam sunt Sacramenta vivorum ?

R. Cætera omnia Sacramenta, quæ gratiæ sanctificantis augmentum conferunt jam habentibus gratiam : nec aliis.

I. Præter gratiam nunquid et alium effectum Sacramenta producunt in anima ?

R. Tribus sacramentis, videlicet Baptismo, Confirmatione, et Ordine, præter gratiam, imprimitur caracter in anima, hoc est signum spirituale et indelebile. Unde ea iterari non possunt.

I. Propriâne virtute tam miros effectus Sacramenta producunt ?

R. Inest in Sacramentis ea virtus, non quidem ex natura, sed ex omnipotentia Dei, cujus voluntate fit ut per ea signa fiat nobis applicatio Sanguinis Christi, et communicentur nobiscum illius passionis et mortis merita.

I. Quotiescunque accipiuntur Sacramenta, recipiturne etiam eorum virtus ?

R. Sacramentorum gratia datur semper et omnibus Sacramenta ritè suscipientibus, id est omnibus rectè dispositis. Caracter verò Baptismi, Confirmationis et Ordinis imprimitur etiam iis qui non ritè dispositi voluntariè hæc Sacramenta suscipiunt. Nam si inter dormiendum baptizaretur vir, qui nunquam illud Sacramentum desideravisset aut expoposcisset, irritum esset illud baptisma, nec Sacramentum susciperet.

I. Quid ? Si quis hypocrita et infidelis, nullamque putans inesse Sacramentis vim et efficaciam, spontanèe hæc sacramenta susciperet, imprimeretur illi caracter ?

R. Imprimeretur, dummodo ea omnia publicè ageret, quæ fieri solent ab iis qui ad Sacramenta accedunt. (E)

mulat, super omnia fragrat aromata, eò quòd omnis Ecclesia sanctorum plus misericordiâ quàm meritis nititur. Denique remissionis unguentum ultimum sacramentum. Unguentum hoc et peccatoribus, et justis, et commune, et commodum est. Nam sunt alia quædam specialia sanctorum, et solis ipsis accommoda. Sunt enim unguenta quæ sanant ; sunt unguenta, quæ fovent ; sunt unguenta, quæ sanctificant : sunt quæ delectant. Et prima quidem ægritudinem depellunt ; secunda jam sanis conferunt alacritatem ; tertia sanctificant in opus ministerii, sicut regium, et sacerdotale unguentum : quarta non jam in opus sunt, sed in otium ; non in administrationem, sed in amorem, sed in gloriam, sed in delicias, sed in usum sponsi et sponsæ.

(E) Decr. 1. *Part. Dist.* 45. *c.* 5. *de Judæis*, *seu* Concil. Tolet. *ann.* 633. *Can.* 56. De Judæis autem præcipit sancta Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferri. Qui autem jam pridem ad Christianitatem coacti sunt venire.... quia jam constat eos sacramentis divinis sociatos baptismi gratiam suscepisse et chrismate unctos esse, et corporis et sanguinis Domini exstitisse participes, oportet ut fidem, quam etiam vi, vel necessitate susceperunt, tenere cogantur, ne nomen Domini blasphemetur, et fides, quam susceperunt, vilis et contemptibilis habeatur.

§. 2. De Sacramentorum numero, Auctore, Ministro, Ritibus.

I. Quot sunt Sacramenta ?

R. Septem. Nimirùm Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema-unctio, Ordo et Matrimonium. (A)

I. Suntne omnia à Christo instituta ?

R. Omnia. Id constat ex Scriptura et Traditione, ut probabimus infrà, ubi de singulis Sacramentis erit quæstio. Adde quòd solus Deus potest Sacramentum instituere. Solus enim Deus potest rei sensibili dare virtutem producendi gratiam spiritualem, et agendi præter naturæ ordinem.

I. Cur Christus instituit septem numero Sacramenta ?

R. Ut omnibus vel totius Ecclesiæ vel singulorum fidelium necessitatibus provideret.

Per Baptismum renascimur. Per Confirmationem roboramur et crescimus. Per Eucharistiam nutrimur. Per Pœnitentiam sanamur. Per Unctionem extremam vires accipimus ad obeundam mortem. Per Ordinem, ad finem usque seculorum Pastores et Ministri, per Matrimonium filii dantur Ecclesiæ.

I. Quibusnam competit jus ministrandi Sacramenta ?

R. Alia à solis Episcopis ; alia, et à Presbyteris conferri possunt. Baptismus autem, urgente necessitate, ab omnibus validè ministrari potest, nullo habito discrimine ordinis, sexûs, vel Religionis. Id fusiùs infrà explicabimus de Sacramentis singulis.

I. Quæ debet esse dispositio in Ministris Sacramentorum ?

R. In Ministris dum Sacramenta conficiunt et conferunt requiritur,

1° Intentio faciendi saltem quod facit Ecclesia. (B)

2° Status gratiæ.

I. Si quis non seriò, sed per jocum Sacramentum conferret, essetne valida Sacramenti collatio ?

R. Irrita prorsùs et invalida foret. Qui enim non seriò, sed ludens et per jocum rem ageret, is simularet et adumbraret quod facit Ecclesia, non faceret. Non ageret ut minister Ecclesiæ.

I. Si minister Ecclesiæ in peccato mortali existens Sacramenta vel conficit vel confert, validumne est an irritum quod fecit ?

R. Validum est. Peccat tamen, qui in peccato mortali existens conficit vel confert Sacramenta, nisi adsit gravis necessitas ; tunc enim rem sacram polluit.

I. Gratiâ destitutus est qui in peccato mortali existit : quomodo ergo potest gratiam conferre ?

(A) Concil. Provin. Narbonens. *ann.* 1551. *Can.* 1. Septem.... Ecclesiæ sacramenta (quibus Spiritûs sancti gratia in obsequentes, et non obicem opponentes confertur) puro et integro pectore confitemur.

(B) Concil. Trident. *Sess.* 7. *Can.* 11. Si quis dixerit, in ministris, dum sacramenta conficiunt, et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia : anathema sit.

R. Non eam confert ex propria virtute, sed ut instrumentum Christi. Christus enim uti potest quolibet instrumento ad communicationem gratiæ suæ : voluitque reipsà gratiam suam nobis per Sacramenta conferri, nullâ habitâ ratione dispositionis ejus qui ea ministrat. Hæc est Ecclesiæ fides. Quam cùm olim Donatistæ voluissent mordicùs impugnare, pro hæreticis habiti sunt. (C)

I. Cur Ministrat Ecclesia Sacramenta cum multis precibus et ritibus ?

R. 1. Ut his precibus et ritibus designentur et Sacramentorum effectus, et dispositiones ad Sacramenta suscipienda requisitæ, et obligationes indè emergentes, de quibus agemus in singulis Sacramentis.

2. Ut impetrentur à Deo illæ dispositiones Sacramenta suscipientibus.

I. Cujus antiquitatis sunt illi ritus ?

R. Quos Ecclesia consuevit in solemni Sacramentorum administratione ritus adhibere, illi non novi certè, non recèns approbati et recepti sunt; sed omnes ferè Apostolicâ traditione firmantur, ut infra fusiùs dicemus, ubi de singulis Sacramentorum ritibus.

(C) S. Aug. *cont. Epist. Parmen. lib.* 2. *cap.* 10. *n.* 22. Omnia sacramenta cùm obsint indignè tractantibus, prosunt tamen per eos dignè sumentibus.

Cap. 11. *n.* 24. Spiritus autem sanctus in Ecclesiæ Præposito vel ministro sic inest, ut si fictus non est, operetur per eum Spiritus, et ejus mercedem in salutem sempiternam, et eorum regenerationem vel ædificationem qui per eum sive consecrantur sive evangelizantur. Si autem fictus est, quoniam verissimè scriptum est, (*Sap.* 1. 5.) *Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum:* deest quidem saluti ejus ut auferat se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu : ministerium tamen ejus non deserit, quo per eum salutem operatur aliorum.

Cap. 13. *n.* 30. Sicut non rectè habet qui ab unitate discedit, sed tamen habet, et ideò redeunti non redditur : sic etiam non rectè dat qui ab unitate discedit, sed tamen dat ; et ideò quod ab eo accepit, venienti ad unitatem non iteratur.

Lib. 4. *de Baptismo, cont. Donat cap.* 4. *n.* 5. Qui cœlestia mandata non servat, avarus, raptor, fenerator, invidus, verbis, non factis seculo renuntians, dimittit peccata ? Si per vim sacramenti Dei, sicut ille, ita et ille : si per meritum suum, nec ille, nec ille. Illud enim sacramentum et in malis hominibus Christi esse cognoscitur.

Lib. 6. *cap.* 2. *n.* 4. Dico sacramentum baptismi et bonos et malos posse habere, posse dare, posse accipere.

Cap. 4. *n.* 6. Cùm malus tradit bono, id est, in unitatis vinculo, veraci conversione mutato, inter bonum sacramentum quod traditur, et bonum fidelem cui traditur, tradentis malitia non separat.

Joan. Gerson. *lib. contra sectam Flagellantium, paulò post initium.* Lex Christi maximam sortitur virtutem ex misericordia et gratia sua, cujus gratiæ vasa sunt sacramenta novæ legis ex virtute operis operati ; et ideò quidquid avertit à sacramentis suscipiendis, præsertim à sacramento confessionis debet rejici fideliter.

CAPUT SECUNDUM.

De Baptismo.

§. 1. De Baptismi natura et effectibus?

I. QUODNAM est Sacramentorum primum?

R. Baptismus.

I. Quid sibi vult ea vox *Baptismus?*

R. Baptismus secundùm vim nominis idem sonat quòd immersio, ablutio. Baptizare idem est quòd vox Græca *Baptizein*, quæ significat immergere, abluere.

I. Cur sic appellatur hoc Sacramentum?

R. Quia dum aquâ corpus tingitur in hoc Sacramento, simul anima abluitur ab omni peccato. (A)

I. Quid est Baptismus?

R. Baptismus Sacramentum est quo et delentur omnia peccata, et pœna omnis peccato debita remittitur, et efficimur filii Dei et Ecclesiæ. (B)

(A) S. GREGORIUS NYSS. *in Baptismum Christi*, *tom.* 2. *pag.* 801. Hoc autem beneficium (*regenerationis*) non aqua largitur (esset enim omni creaturâ sublimior;) sed Dei præceptum, et Spiritûs, qui mysticè ad nostram libertatem venit, accessus. Aqua verò subservit ad ostendendam purgationem. Quoniam enim sordibus et cœno fœdatum corpus aquâ lavantes purum reddere solemus, propterea etiam in mystica actione eam adhibemus, re sub sensum cadenti incorpoream splendorem significantes.

S. GREG. *Exposit. in sept. Psalm. Pœnit. Ps.* 4. *n.* 9. Quemadmodum corpus aqua lavat à squaloribus sordium, ita gratia sancti Spiritûs animam purgat à maculis peccatorum.

S. ISID. HISPAL. *Origin. lib.* 7. *cap.* 3. Aliud est aqua sacramenti, aliud aqua quæ significat Spiritum Dei. Aqua enim sacramenti visibilis est: aqua Spiritûs sancti invisibilis est. Ista abluit corpus, et significat quod fit in anima: per illum autem Spiritum sanctum ipsa anima mundatur et saginatur.

(B) EUSEB. Episc. Gallic. *de Epiph. et* 7. *sanct. infant. Machab. Homil.* 3. *pag.* 624. *Tom.* 2. *Biblioth. PP. Lugd.* Et homo per aquam baptismi, licèt à foris idem esse videatur, intùs tunc alter efficitur, cum peccato natus, sine peccato renascitur: prioribus perit, succedentibus proficit: deterioribus exuitur, in melioribus innovatur: persona non contingitur, et natura mutatur: accessisse nil creditur, et tamen quod accessit fide tanquam mentis gustu ac sapore sentitur: homo præteritâ vilitate depositâ, novâ induitur dignitate; et illo divini amoris poculo, de quo dicitur (*Ps.* XXII. 5.) *et poculum tuum inebrians quàm præclarum est?* illo, inquam, poculo inebriata præcordia, per sapientiæ spiritalis vigorem prægustant cœlestium suavitatem, ut mereantur audire, (*Ps.* XXXIII. 9.) *Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus.*

S. LEO. *Serm.* 62. *de Passione Domini* 13. *cap.* 3. Nulli infirmorum crucis est negata victoria: nec quisquam est, cui non Christi auxilietur oratio. Quæ si multis in ipsum sævientibus profuit, quantò magis eos, qui ad ipsum convertuntur, adjuvit? Sublata est ignorantia, temperata est difficultas, et igneam illam, quâ vitæ regio erat inclusa, rhomphæam sacer Christi sanguis exstinxit. Veræ luci antiquæ noctis cessit obscuritas. Invitatur ad paradisi divitias populus Christianus, et cunctis regeneratis ad amissam patriam patefactus est reditus, si nemo sibi illam viam facit claudi, quæ fide latronis potuit aperiri.

S. CYRIL. ALEX. *in Isaiæ c.* LXVI. *lib.* 5. *tom.* 6. *pag.* 916. In flammam

I. Quænam peccatorum genera delentur per Baptismum?

R. Omnia omninò. Non originale solùm, sed et actualia si quæ sint, et quantacunque illa sint. (C)

I. Quid intelligis nomine pœnæ peccatis debitæ?

R. Intelligo tum æternas, tum temporales pœnas, quas sive in hoc seculo sive in futuro tenetur peccator persolvere, ut divinæ justitiæ satisfiat.

I. Ergo non ampliùs debitor est justitiæ divinæ homo Baptizatus?

R. Nihil debet ampliùs: omnia per Baptismum remissa et condonata sunt. *Nihil jam damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu* per baptismum. (*Rom.* VIII. 1.) (D)

I. Quomodo fit in baptismo tam absoluta remissio?

R. Per misericordiam Dei applicantis nobis sine ulla exceptione Christi merita per Baptismum, dantisque omnimodum non peccatorum solùm, sed et pœnæ peccatis debitæ condonationem.

I. Non tollitur tamen per Baptismum ignorantia, concupiscentia, moriendi necessitas, cæteræque infirmitates vel spirituales vel corporeæ quæ peccati effectus et pœna sunt?

R. Isthæc omnia ad agonem relicta sunt. Nec ab iis liberabimur nisi per generalem corporum resurrectionem: quæ dici potest perfecta nostra redemptio à miseria. (E)

currunt inextinctam... Rejicientes redemptionem per Christum, et contemnentes gratiam per sacrosanctum baptisma, quæ justificat impium, omnique errato absolvit peccatis conspurgatos.

(C) Ven. BEDA *in Epist. ad Rom. cap.* 6. *pag.* 110. Sacri baptismatis in cruce Christi grande mysterium commendavit eo modo, ut intelligamus nihil aliud mortem Christi crucifixi, nisi remissionis peccati similitudinem. Ut quemadmodum in illo mors vera facta est, sic in nobis vera remissio peccatorum. Et quemadmodum in illo vera resurrectio, sic et in nobis vera justificatio.

(D) S. CYRIL. ALEXANDR. *in Isaïæ cap.* 54. *lib.* 5. *tom.* 2. *pag.* 759. Nam cùm omninò velut pater miseretur filiorum, sic misertus sit Dominus timentium se, et quantùm distat ortus ab occasu, longè removeat à nobis peccata nostra: quidni deceat nos qui quondam lapsi sumus omnem timorem expuere, Deo gratiâ oblivionis justificante, et à scelerato pœnas non exigente, siquidem Christus dixit adventûs tempus ad clementiam spectare: *Non enim*, inquit, (*Joan.* III. 17.) *misit Deus filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut per ipsum mundus servetur.* Quare velut pœnâ immunes facti; et delictorum supplicium non exspectantes, etiam libero ac terroribus vacuo animo fuimus, nec præcedentium opprobriorum meminimus. Vincit siquidem gratia, quæ justificat impium, et omni labecos, qui misericordiam consecuti sunt, liberat.

S. AUG. *de peccatorum meritis et remiss. lib.* 2. *cap.* 28. *n.* 45. Lex peccati, quod etiam peccatum appellat Apostolus, cùm dicit (*Rom.* VI. 12.) *non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus*, non sic manet in membris eorum qui ex aqua et Spiritu renati sunt, tanquam non sit ejus facta remissio, ubi omninò plena et perfecta fit remissio peccatorum, omnibus inimicitiis interfectis, quibus separabamur à Deo: sed manet in vetustate carnis tanquam superatum et peremptum, si non illicitis consensionibus quodammodo reviviscat, et in regnum proprium dominationemque revocetur.... Quandiu ergo manet lex concupiscentialiter in membris, manente ipsâ, reatus ejus solvitur: sed ei solvitur, qui sacramentum regenerationis accepit renovarique jam cœpit.

(E) JOAN. HEROSOL. *Comment. in Matth. cap.* 3. *pag.* 134. Lex justitiam

I. **Cur Deus non restituit omninò per Baptismum hominem in pristinum innocentiæ statum ?**

R. 1. **Jam dictum est; ista reliquit velut continuum exercitium virtutis, ad laudem gloriæ gratiæ suæ; quia virtus in infirmitate perficitur, ut ubi abundavit peccatum, superabundet et gratia, et nos cum humilitate et tremore salutem nostram operemur.** (F)

quidem ostendebat, animam autem non adjuvabat. Baptismum autem Spiritus proficit, quia ingrediens Spiritus circumplectitur animam, et quasi muro quodam inexpugnabili circuit eam : et non permittit ut carnales concupiscentiæ et cogitationes prævaleant contra eam. Non quidem facit ut caro non concupiscat, sed tenet animam, ut non ei consentiat, neque vincatur ab ea. Ergo qui Spiritum sanctum habet, concupiscit quidem secundùm carnem, sed secundùm animam adjuvatur à Spiritu, ut concupiscentiæ ejus non veniant ad perfectum.

S. Aug. *lib.* 3. *cont. duas Epist. Pelag. c.* 3. *n.* 5. Baptismus igitur abluit quidem peccata omnia, prorsùs omnia factorum, dictorum, cogitatorum, sive originalia, sive addita, sive quæ ignoranter, sive quæ scienter admissa sunt : sed non aufert infirmitatem cui regeneratus resistit, quando bonum agonem luctatur; consentit autem, quando sicut homo in aliquo delicto præoccupatur; propter illud gaudens in actione gratiarum, propter hoc autem gemens in allegatione orationum : ibi dicens (*Ps.* cxv. 12.), *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi ?* hîc dicens (*Matth.* vi. 12.), *Dimitte nobis debita nostra ;* propter illud dicens (*Ps.* xvii. 2.), *Diligam te Domine virtus mea :* propter hoc dicens (*Psal.* vi. 3.), *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum....* Hæc autem infirmitas, cum qua usque ad corporis mortem defectu et profectu alternante contendimus, magnique interest quid vincat in nobis, regeneratione aliâ consumetur; de qua Dominus dicit (*Matth.* xix. 28.), « in » regeneratione cùm sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, etc. » Regenerationem quippè hoc loco, ambigente nullo novissimam resurrectionem vocat : quam Paulus quoque Apostolus et *adoptionem* (*Galat.* iv. 5.) et *redemptionem* nuncupat (*Ephès.* i. 7.).... Quisquis igitur baptismati derogat, quod modò per illud percipimus, corrumpit fidem : quisquis autem jam nunc ei tribuit, quod quidem per ipsum, sed tamen postea percepturi sumus, amputat spem.... Salus ergo hominis in baptismate facta est, quia dimissum est quod peccati à parentibus traxit, vel quidquid etiam propriè ante baptismum ipse peccavit : salus verò ejus tanta post erit, ut peccare omninò non possit.

De Civitat. Dei, lib. 21. *cap.* 15. Verumtamen in gravi jugo quod positum est super filios Adam, à die exitûs de ventre matris eorum usque in diem sepulturæ in matrem omnium, etiam hoc malum mirabile reperitur, ut sobrii simus, atque intelligamus hanc vitam de peccato illo nimis nefario, quod in paradiso perpetratum est, factam nobis esse pœnalem, totumque quod nobiscum agitur per Testamentum novum, non pertinere nisi ad novi seculi hæreditatem novam, ut hîc pignore accepto, illud cujus hoc pignus est suo tempore consequamur : nunc autem ambulemus in spe, et proficientes de die in diem, spiritu facta carnis mortificemus. (*Rom.* viii. 13.) *Novit* enim *Dominus qui sunt ejus* (2. *Tim.* ii. 19.): *et quotquot spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei* (*Rom.* viii. 14.), sed gratiâ non naturâ.... Sicut enim per unum hominem peccantem (*Rom.* v. 12.) in hoc tam grave malum devenimus : ita per unum hominem eumdemque Deum justificantem ad illud bonum tam sublime veniemus. Nec quisquam se debet ab isto ad illum transisse confidere, nisi cùm ibi fuerit, ubi tentatio nulla erit; nisi pacem tenuerit, quam belli hujus, in quo caro concupiscit adversùs spiritum et spiritus adversùs carnem (*Galat.* v. 17.), multis et variis certaminibus quærit. Hoc autem bellum nunquam ullum esset, si natura humana per liberum arbitrium in rectitudine, in qua facta est, perstitisset. Nunc verò quæ pacem felix cum Deo habere noluit, secum pugnat infelix, et cùm sit hoc malum misera-

I. Quomodo per Baptismum filii Dei efficimur?

R. Per novam vitam quam in Christo per Baptismum accipimus; qnâ fit ut et nobis liceat Deum appellare Patrem nostrum, et cœlum ut patriam hæreditatem suspicere. Hæc vita nova est vita gratiæ, quâ conjungimur Deo per fidem, spem, charitatem et alias virtutes quæ nobis inhærent. (G)

bile, melius est tamen quàm priora vitæ hujus. Melius confligitur quippè cum vitiis, quàm cum sine ulla conflictione dominantur. Melius est, inquam, bellum cum spe æternæ pacis, quàm sine ulla liberationis cogitatione captivitas. Cupimus quidem etiam hoc bello carere, et ad capessendam ordinatissimam pacem, ubi firmissimâ stabilitate potioribus inferiora subdantur, igne divini amoris accendimur. Sed si (quod absit) illius tanti boni spes nulla esset, malle debuimus in hujus conflictationis molestia remanere, quàm vitiis in nos dominationem non eis resistendo permittere.

(F) CONCIL. TRID. *Sess.* 4. *Can.* 5. Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat: aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram et propriam rationem peccati habet; sed illud dicit tantùm radi, aut non imputari: anathema sit. In renatis autem, nihil odit Deus, quia « nihil » est damnationis iis, qui verè consepulti *sunt* cum Christo per bap» tismam in mortem (*Rom.* VI. 4.), qui non secundùm carnem ambulant, » (*Ibid.* VIII. 1.) *sed* veterem hominem exuentes, et novum induentes, » qui secundùm Deum creatus est (*Coloss.* III. 9. *et* 10.), » innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti, effecti sunt *hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi* (*Rom.* VIII. 17.), ita ut nihil prorsùs eos ab ingressu cœli remoretur. Manere autem in baptizatis concupiscentiam vel fomitem, hæc sancta Synodus fatetur ac sentit: quæ quidem cùm ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, et viriliter per Jesu Christi gratiam repugnantibus non valet: quin imò qui legitimè certaverint coronabuntur. Hanc concupiscentiam quam aliquando Apostolus (2. *Tim.* II. 5.) peccatum appellat, sancta Synodus declarat Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod vere et propriè in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat: si quis autem contrarium senserit, anathema sit.

(G) CONCIL. TRID. *Sess.* 6. *c.* 7. Instrumentalis item, (*causa gratiæ*,) sacramentum baptismi, quod est sacramentum fidei, sine qua nulli unquam justificatio contingit. Demùm unica formalis causa est, justitia Dei, non quâ ipse justus est, sed quâ nos justos facit, quâ videlicet ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostræ, et non modo reputamur, sed verè justi nominamur et sumus, justitiam in nobis recipientes, unusquisque suam secundùm mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis, prout vult, et secundùm propriam cujusque dispositionem et cooperationem. Quanquam enim nemo possit esse justus, nisi cui merita passionis Domini nostri Jesu Christi communicantur: id tamen in hac impii justificatione fit, dum ejusdem sanctissimæ passionis merito per Spiritum sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum qui justificantur, atque ipsis inhæret: undè in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum cui inseritur, fidem, spem et charitatem. Nam fides, nisi ad eam spes accedat et charitas, neque unit perfectè cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit.

S. LEON. *Serm.* 63. *in Passione Dom.* 14. *cap.* 6. *pag.* 139. Ipse est enim, cui non solùm gloriosa Martyrum fortitudo, sed etiam omnium renascentium fides in ipsa generatione compatitur. Dum enim renuntiatur diabolo, et creditur Deo, dum in novitatem à vetustate transitur, dum terreni hominis imago deponitur, et cœlestis forma suscipitur; quædam species mortis et quædam similitudo resurrectionis intervenit, ut susceptus à Christo, Christumque suscipiens, non idem sit post lavacrum, qui ante baptismum fuit, sed corpus regenerati fiat caro crucifixi.

I. Cur dicimur per Baptismum regenerari *in Christo*, renasci *in Christo*, novam vitam accipere *in Christo*?

R. 1. Quia non nisi per Christum et per ejus merita renascimur.

2. Spiritus Christi quem accipimus per Baptismum principium est hujus vitæ.

3. Per inhabitantem Spiritum Christi in cordibus nostris sic conjungimur cum Christo, ut unum corpus mysticum cum illo efficiamur, simusque illius membra, liceatque nobis dicere cum Apostolo, (*Galat.* II. 20.) *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus.* (H)

I. Quomodo per Baptismum filii Ecclesiæ efficimur?

R. Quia gignit nos in Christo Jesu Mater Ecclesia per Baptismum, juxta illud Apostoli, (1. *Cor.* IV. 15.) *In Christo Jesu ego vos genui.* Et per hanc regenerationem efficimur membra Ecclesiæ, adsciscimur in societatem fidelium, jus habemus ad Sacramenta et ad omnia Ecclesiæ bona. (I)

I. Estne alius adhuc effectus Baptismi?

R. Præter mox expositos Baptismi effectus, jam diximus (*hujus Sect. Cap.* 1. §. 1.) per Baptismum imprimi in anima caracterem, hoc est signum spirituale et indelebile; undè Sacramentum hoc iterari non potest. (K)

(H) Rom. VIII. 15. Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater.) 16. Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filii Dei. 17. Si autem filii, et hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.

Ephes. V. 30. Quia membra sumus corporis ejus, de carne ejus et de ossibus ejus.

1. Joan. III. 1. Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus.

Concil. Trid. *Sess.* 5. *Can.* 5. Nihil est damnationis iis, qui verè consepulti sunt cum Christo per Baptisma in mortem (*Rom.* VI. 4.): qui non secundùm carnem ambulant, sed veterem hominem exuentes, et novum, qui secundùm Deum creatus est, induentes (*Coloss.* III. 9. 10.); innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti sunt, *hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* (*Rom.* VIII. 17.)

(I) Ephes. I. 3. Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo, 4. sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate. 5. Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, secundùm propositum voluntatis suæ, 6. in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto filio suo. 7. In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum secundùm divitias gratiæ ejus.... 13. in qua.... et credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, 14. qui est pignus hæreditatis nostræ, in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriæ ipsius.... 17. Deus Domini nostri Jesu Christi Pater gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ et revelationis, in agnitione ejus: 18. illuminatos oculos cordis vestri, ut scialis quæ sit spes vocationis ejus, et quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in sanctis, 19. et quæ sit supereminens magnitudo virtutis ejus in nos, qui credimus secundùm operationem potentiæ virtutis ejus, 20. quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis.... 22.... et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, 23. quæ est corpus ipsius, et plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur.

(K) S. Aug. *in Joan. Evang. Tract.* 11. *n.* 6. Duæ nativitates.... una est de terra, alia de cœlo: una est de carne, alia de spiritu:.... una est de

masculo et femina, alia de Deo et Ecclesia.... Nec illa potest repeti, nec illa. Rectè intellexit Nicodemus nativitatem carnis : sic et tu intellige nativitatem spiritûs, quomodo intellexit Nicodemus nativitatem carnis. Quid Nicodemus intellexit ? *Nunquid potest homo denuò in ventrem matris suæ intrare, et nasci ?* Sic quicunque tibi dixerit, ut spiritaliter iterùm nascaris : responde quod dixit Nicodemus (*Joan.* III. 4.), *Nunquid potest homo iterùm in ventrem matris suæ intrare, et nasci ?* Jam natus sum de Adam, non me potest iterùm generare Adam : jam natus sum de Christo, non me potest iterùm generare Christus. Quomodo uterus non potest repeti, sic nec baptismus.

Tract. 12. *n.* 1. Sicut ad nativitatem carnalem valent mulicbria viscera ad semel pariendum : sic ac nativitatem spiritalem valent viscera Ecclesiæ, ut semel quisque baptizetur.

In Epist. Joan. cap. III. *Tractat.* 5. *n.* 6. Ecce accepit sacramentum nativitatis homo baptizatus : sacramentum habet, et magnum sacramentum, divinum, sanctum, ineffabile. Considera quale : ut novum hominem faciat dimissione omnium peccatorum. Attendat tamen in cor, si perfectum est ibi, quod factum est in corpore : videat si habet charitatem, et tunc dicat, Natus sum ex Deo. Si autem non habet, caracterem quidem impositum habet, sed desertor vagatur. Habeat charitatem : aliter non se dicat natum ex Deo. Sed habco, inquit, sacramentum. Audi Apostolum (1. *Cor.* XIII. 2.) : « si sciam omnia sacramenta, et habeam » omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non ha- » beam, nihil sum. »

Lib. 2. *cont. Epist. Parmen. cap.* 12. *n.* 28. Utrumque enim sacramentum (Baptismus et Ordo) est ; et quadam consecratione utrumque homini datur, illud cùm baptizatur, illud cùm ordinatur : ideoque in Catholica utrumque non licet iterari. Nam si quando ex ipsa parte (Donati) venientes etiam Præpositi pro bono pacis correcto schismatis errore susceptì sunt, et si visum est opus esse ut eadem officia gererent quæ gerebant, non sunt rursùm ordinati ; sed sicut Baptismus in eis, ita Ordinatio mansit integra : quia in præcisione fuerat vitium, quod unitatis pace correctum est ; non in sacramentis, quæ ubicumque sunt, ipsa sunt.

N. 29. Si fortè.... militiæ caracterem in corpore suo, non militans pavidus exhorruerit, et ad clementiam Imperatoris confugerit, ac prece fusâ et impetratâ jam venià, militare jam cœperit, nunquid homine liberato atque correcto caracter ille repetitur, ac non potiùs agnitus approbatur ? An fortè minùs hærent sacramenta Christiana, quàm corporalis hæc nota, cùm videamus nec apostatas carere baptismate, quibus utique per pœnitentiam redeuntibus non restituitur, et ideò amitti non posse judicatur.

N. 30. Quapropter sicut redeunti non redditur quod foris habebat, sic venienti non repetendum est quod etiam foris acceperat. Undè consequenter intelligitur, perversitatem hominum esse corrigendam, sanctitatem autem sacramentorum in nullo perverso esse violandam. Constat enim eam in perversis et sceleratis hominibus, sive in eis qui intùs sunt, sive in eis qui foris sunt, impollutam atque inviolabilem permanere : et quia dicuntur ea mali polluere, quantùm in ipsis est dicuntur, cùm illa impolluta permaneant ; sed in bonis permanent ad præmium, in malis permanent ad judicium.

Lib. 6. *de Baptism. cont. Donatist. cap.* 1. *n.* 1. Sed convertentibus oculos ad interioris paleæ multitudinem, cùm et hi qui in ipsa unitate perversi sunt et perditè vivunt, appareant remissionem peccatorum nec dare posse nec habere ; quia non malignis, sed bonis filiis dictum est (*Joan.* XX. 23.), *Si cui dimiseritis peccata, dimittentur ei, si cui tenueritis, tenebuntur :* habere tamen, et dare, et accipere Baptismi sacramentum, satis eluxit Pastoribus Ecclesiæ Catholicæ toto orbe diffusæ, per quos postea plenarii Concilii auctoritate originalis consuetudo firmata est ; etiam ovem, quæ foris errabat, et Dominicum caracterem à fallacibus deprædatoribus suis foris acceperat, venientem ad Christianæ unitatis salutem, ab errore corrigi, à captivitate liberari, à vulnere sanari, caracterem tamen in ea Dominicum agnosci potiùs quàm improbari : quandoquidem ipsum caracterem multi et lupi et lupis infigunt,

§. 2. De Administratione Baptismi.

I. Quomodo confertur Baptismi sacramentum ?

R. Sacramenti minister ter infundit in modum crucis aquam naturalem super caput Catechumeni, simulque profert semel hæc verba, *Ego te Baptizo in nomine Patris* †, *et Filii* †, *et Spiritûs* † *sancti.*

Est et alius duplex baptizandi modus.

1° Sacramenti minister ter immergit Catechumenum in aquam naturalem, simulque ait, *Ego te Baptizo in nomine Patris* †, *et Filii* †, *et Spiritûs* † *sancti.*

2° Sacramenti minister ter aspergit Catechumenum aquâ naturali, simulque ait, *Ego te Baptizo in nomine Patris* †, *et Filii* †, *et Spiritûs* † *sancti.*

Modò baptizetur quis uno ex tribus his baptizandi modis perindè est.

I. Unde id constat ?

R. Non ex Scripturâ sacrâ : hæc enim loquitur solùm de Baptismo per immersionem collato (A), sed ex certissima et

qui videntur quidem intùs esse, verumtamen ad illam ovem, quæ etiam ex multis una est, non pertinere, morum suorum fructibus convincuntur, in quibus in finem usque perdurant. *Eadem passim reperies apud S. Augustinum.*

CONCIL. FLORENT. *Decret.* EUGEN. IV. *ann.* 1439. Inter hæc sacramenta, tria sunt, Baptismus, Confirmatio, et Ordo, quæ caracterem, id est, spirituale quoddam signum à cæteris distinctivum, imprimunt in anima indelebile : undè in eadem persona non reiterantur.

CONCIL. TRIDENT. *Sess.* 7. *Can.* 9. Si quis dixerit, in tribus sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, et Ordine, non imprimi caracterem in anima, hoc est, signum quoddam spiritale, et indelebile, undè ea iterari non possunt : anathema sit.

(A) ROM. VI. 3. An ignoratis quia quicunque baptizati sumus cum Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus ?4. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem.

COLOS. II. 12. Consepulti ei in baptismo.

S. CYPRIAN. *Epist.* 69. *alias* 76. *ad Magnum.* Quæsisti etiam, fili charissime, quid mihi de illis videatur, qui in infirmitate et languore gratiam Dei consequuntur, an habendi sint legitimi Christiani, eò quòd aquâ salutari non loti sint, sed perfusi... Nos quantum concipit mediocritas nostra, æstimamus in nullo mutilari et debilitari posse beneficia divina, nec minùs aliquid illic posse contingere, ubi plenâ et totâ fide ei dantis et sumentis accipitur, quod de divinis muneribus hauritur. Neque enim sic in sacramento salutari delictorum contagia, ut in lavacro carnali et seculari sordes cutis et corporis abluuntur..... Aliter pectus credentis abluitur, aliter mens hominis per fidei merita mundatur. In sacramentis salutaribus, necessitate cogente, et Deo indulgentiam suam largiente, totum credentibus conferunt divina compendia. Nec quemquam movere debet, quòd aspergi vel perfundi videntur ægri, cùm gratiam Dominicam consequuntur ; quando Scriptura sancta per Ezechielem Prophetam loquatur et dicat : * (XXXVI. 25. *et* 26.) « et aspergam super vos aquam » mundam, mundabimini ab omnibus immunditiis vestris, et ab omni» bus simulacris vestris, emundabo vos, et dabo vobis cor novum, et » spiritum novum dabo in vobis : *item in Numeris :* (IX. 10.) et homo qui » fuerit immundus usque ad vesperam, hic purificabitur die tertio » et die septimo, et mundus erit. (13.) Si autem non fuerit purificatus » die tertio et die septimo, non erit mundus, et exterminabitur anima » illa de Israel, quoniam aqua aspersionis non est super eum sparsa : » *et iterùm :* (VIII. 5. 6. et 7.) et locutus est Dominus ad Moïsen dicens ;

Apostolica traditione id constat. Cujus quidem argumenta hîc proferre superfluum est ; habemus enim hîc nobis consentientes Hæreticos.

» Accipe Levitas de medio filiorum Israël, et purificabis eos : et ita facies » eis purificationem eorum, circumsparges eos aquâ purificationis : *et* » *iterùm :* (XIX. 9.) aqua aspersionis purificatio est. » Undè apparet aspersionem quoque aquæ, instar salutaris lavacri obtinere ; et quando hæc in Ecclesia fiunt, ubi sit et dantis et accipientis fides integra, stare omnia et consummari ac perfici posse majestate Domini, et fidei veritate... Et ideircò, quantum fide concipere et sentire nobis datur, mea sententia hæc est ; ut Christianus judicetur legitimus, quisquis fuerit in Ecclesia, lege et jure fidei, divinam gratiam consecutus. Aut si aliquis existimat eos nihil consecutos, eò quòd aquâ salutari tantùm perfusi sint, sed inanes et vacui sunt ; non decipiantur, ut si incommodum languoris evaserint et convaluerint, baptizentur. Si autem baptizari non possunt, qui jam baptismo Ecclesiastico sanctificati sunt, cur in fide sua et Domini indulgentia scandalizentur ? An consecuti sunt quidam gratiam Dominicam, sed breviore et minore mensurâ muneris divini ac Spiritûs sancti : ut habeantur quidem Christiani, non sint tamen cæteris adæquandi ? Quinimo Spiritus sanctus non de mensura datur, sed super credentem totus infunditur. Nam si dies omnibus æqualiter nascitur, et si sol super omnes pari et æquali luce diffunditur ; quantò magis Christus sol et dies verus, in Ecclesia sua lumen vitæ æternæ pari æqualitate largitur ?

S. BASIL. *de Spiritu sanct. cap.* 25. Cùm enim duo scopi propositi sint in baptismo, videlicet ut aboleat corpus peccati, ne postea fructificet mortem, tum ut vivat spiritu, et fructum habeat in sanctificatione : aqua mortis exhibet imaginem, corpus velut in sepulcro recipiens ; spiritus verò vim vivificam immittit, à morte peccati renovans animas nostras in novam vitam. Hoc igitur est desuper nasci ex aqua et spiritu, quasi mortificatio perficiatur in aqua, vitam verò nostram operetur spiritus. Tribus igitur demersionibus, ac totidem invocationibus, magnum baptismatis mysterium peragitur, ut et mortis figura adumbretur, et per traditionem divinæ cogitationis animus repurgetur eorum qui baptizantur. Itaque si qua est gratia in aqua, non est ex ipsius aquæ natura, sed ex Spiritûs præsentia. *Non* enim est baptismus (*1. Petr.* III. 21.) *depositio sordium corporis, sed conscientiæ bonæ interrogatio apud Deum.*

S. LEO. *Serm.* 68. *de Pass. Dom.* 19. *cap.* 3. Adfuit nobis in Christo singulare præsidium, ut in natura passibili mortis conditio non maneret, quam impassibilis essentia recepisset, et per id quod non poterat mori, posset id quod erat mortuum suscitari.

Cap. 4. Huic sacramento, Dilectissimi, ut inseparabiliter congruamus, magnâ nobis et animi et corporis intentione nitendum est, ut cùm gravissimi sit piaculi festum Paschale negligere, periculosius sit Ecclesiasticis quidem conventibus jungi, sed in Dominicæ passionis consortio non haberi. Nam dicente Domino : (*Matth.* X. 38.) *Qui non accipit crucem suam, et non sequitur me, non est me dignus ;* et dicente Apostolo : (*Rom.* VIII. 17. 2. *Timoth.* II. 12.) *si compatimur, et conregnabimus.* Quis verè Christum passum, mortuum, et resuscitatum colit, nisi qui cum ipso patitur, et moritur, et resurgit ? Et hæc quidem in omnibus Ecclesiæ filiis, ipso jam regenerationis sunt inchoata mysterio, ubi peccati interitus, vita est renascentis, et triduanam Domini mortem imitatur trina demersio ; ut dimoto quodam aggere sepulturæ, quos veteres suscepit sinus fontis, eosdem novos edat unda baptismatis : sed implendum est nihilominùs opere, quod celebratum est sacramento, et natis de Spiritu sancto quantumcunque superest mundani temporis, non sine crucis susceptione ducendum est. Quamvis enim forti et crudeli tyranno per potentiam crucis Christi vasa antiquæ deprædationis erepta sint, et dominatio principis mundi à redemptorum sit cicela corporibus : insidiari tamen etiam justificatis eadem malignitas perseverat, et multis modis eos, in quibus non regnat, impugnat : ut si quas animas negligentes imprudentesque repererit, sævioribus eas laqueis rursùm

I. Ex tribus his baptizandi modis quis magis usitatus ?

R. Olim frequentior erat Baptismus per immersionem. Jam apud nos non nisi per infusionem baptizatur. Servet in eo suæ quisque Ecclesiæ ritum.

I. Cur ais *trinam* aquæ in modum crucis infusionem, vel *trinam* immersionem, vel *trinam* aspersionem fieri oportere?

R. Quia ritus illos semper Ecclesia servavit in honorem sanctissimæ Trinitatis ; cujus in nomine baptizamur. Sed non propterea existimat Ecclesia ritus illos ad Sacramenti validitatem esse necessarios : validus esset ex mente Ecclesiæ Baptismus etiamsi infusa esset semel tantùm aqua naturalis, nec in modum crucis.

I. Quænam aqua debet adhiberi ad Baptismum ?

R. Aqua ad id specialiter benedicta. Urgente tamen necessitate, si non adsit aqua benedicta, adhiberi potest aqua quævis, modò sit aqua naturalis (B), quo nomine intelligitur aqua quælibet quæ non hominum arte conficitur, verbi gratiâ, aqua viva, aqua cisternina, aqua putealis, palustris, marina, pluvialis, fluvialis, etc.

I. Quam partem corporis aquâ Baptismali tingi necesse est?

R. Caput maximè. Sufficit tamen ad validitatem Baptismi, si pars notabilis corporis, quæcunque tandem illa sit, aquâ baptismali tingatur.

I. Si alter aquam infunderet, alter verba baptismalia, *Ego te baptizo in nomine Patris, etc.* proferret, essetne validum baptisma ?

R. Esset invalidum. Idem enim debet et aquam infundere et verba proferre.

I. Potestne quis aquam primùm infundere, ac deindè verba proferre ?

R. Non. Sed debet verborum prolatio baptizantis actionem comitari; dum corpus aquâ tingitur simul et verba pronuntianda.

I. Debetne fieri inter baptizandum expressa invocatio trium personarum sanctissimæ Trinitatis ?

R. Debet. In nomine Patris et Filii et Spiritûs sancti baptizandum est : juxta illud Christi, (*Matth.* XXVII.) *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritûs sancti.* (C)

innectat, et à paradiso Ecclesiæ raptas in consortium suæ damnationis inducat. Undè cùm quispiam observantiæ Christianæ se limites sentit excedere, et in id cupiditates suas tendere, quod eum à recto itinere faciat deviare, recurrat ad crucem Domini, et ligno vitæ motus noxios voluntatis affigat, ac voce prophetică ad Dominum clamet, et dicat : * (*Ps.* CXVIII. 120.) *Confige clavis à timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui.*

(B) JOAN. III. 5. Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.

ACT. VIII. 36. Venerunt ad quamdam aquam, et ait Eunuchus : Ecce aqua, quid prohibet me baptizari ?

v. 37. Tunc respondit Petrus : Nunquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi qui Spiritum sanctum acceperunt sicut et nos? 48. Et jussit eos baptizari in nomine Domini Jesu Christi.

(C) S. JUST. *Apol.* 2. *pag.* 50. Qui sibi persuadent, et credunt vera esse

I. Quisnam est legitimus Baptismi minister ?

R. Solis Episcopis vel Presbyteris vel (extraordinariè) hæc quæ à nobis dicentur, ac dicuntur, seque ita vivere posse promittunt : ii primùm et precari et petere à Deo præteritorum superiorumque peccatorum remissionem jejunantes docentur, nobis unà cum eis et precantibus, et jejunantibus. Deinde ducuntur à nobis ubi est aqua, eoque ut ita dicam, regenerationis renovationisque genere, quo etiam nos ipsi renovati sumus, renascuntur. Patris nostri omnium, Dominique Dei, et conservatoris nostri Jesu Christi, ac Spiritûs sancti nomine aquâ abluuntur et expiantur. Christus noster ait, (*Joan.* III. 5.) *Nisi renati fuerits, in regnum cœlorum minimè vobis aditus patebit :* perspicuum est autem omnibus, fieri non posse ut ii qui semel nati sunt, in matrum uterum ingrediantur... Verbum autem hoc in hac re ab Apostolis didicimus, quòd primum ortum nostrum ignorantes, necessitate generali sumus ex humido semine parentum nostrorum inter se copulatione, et in mala consuetudine conversationeque educati fuimus : ut non necessitatis ignorationisque filii maneamus, sed voluntatis et scientiæ, remissionemque eorum quæ peccavimus consequamur : in aqua in eo qui renasci voluerit et quem peccatorum pœnituerit, parentis omnium Dominique Dei nomen appellatur... Vocatur porrò lavacrum hoc illustratio, quod eorum qui hæc discunt, mens illustretur. Jesu etiam Christi qui Pontio Pilato Prætore in crucem sublatus est, et Spiritûs sancti, qui ea quæ ad Christum pertinent omnia per Prophetas prædixit, nomine is qui illuminatur, expiari solet.

S. Aug. *lib.* 3. *cont. Donat. cap.* 15. *n.* 20. Si Evangelicis verbis (*Matth.* XXVIII. 19.) *in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti,* Marcion baptismum consecrabat, integrum erat sacramentum, quamvis ejus fides sub eisdem verbis aliud opinantis quàm catholica veritas docet, non esset integra, sed fabulosis falsitatibus inquinata. Nam sub eisdem verbis, id est, in nomine Patris et Filii et Spiritûs sancti, non solum Marcion, aut Valentinus, aut Arius, aut Eunomius, sed ipsi carnales parvuli Ecclesiæ, (quibus dicebat Apostolus (1. *Cor.* III. 1.), *non potui loqui vobis quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus,*) si possent singuli diligenter interrogari, tot diversitates opiniorum forlassis, quot homines numerarentur : *animalis enim homo* (1. *Cor.* II. 14.) *non percipit quæ sunt Spiritûs Dei.* Nunquid tamen ideò non integrum sacramentum accipiunt ?

Lib. 4. *cap.* 15. *n.* 22. Jam satis ostendimus ad baptismum qui verbis Evangelicis consecratur, non pertinere cujusquam vel dantis vel accipientis errorem, sive de Patre, sive de Filio, sive de Spiritu sancto aliter sentiat, quàm cœlestis doctrina insinuat.... Nec tamen ideò non accepisse baptismum existimantur, aut talem baptismum accepisse dicuntur, qualis fuit error ipsorum : sed in eis et sacramenti integritas honoratur, et mentis vanitas emendatur... Quapropter etiam hæreticus qui perspicuè foris est, si baptismum illic Evangelicum accepit, non talem utique baptismum accepit quali errore cæcatur. Et propterea si resipiscens viderit relinquendum esse quod malè tenuerat, non simul ei relinquendum est bonum quod acceperat : nec quia error illius improbandus est, propterea baptismus Christi in illo exsufflandus est. Jam enim ex iis quos intùs contingit de Deo falsa opinantes baptizari, satis elucet discernendam esse sacramenti veritatem à malè credentis errore.

Lib. 6. *cap.* 25. *n.* 46. Certa illa Evangelica verba, sine quibus non potest baptismus consecrari, tantùm valent, ut per illa sic evacuentur quæcumque in prece viliosa contra regulam fidei dicuntur, quemadmodum dæmonium Christi nomine excluditur... Deus adest Evangelicis verbis suis, sine quibus baptismus Christi consecrari non potest ; et ipse sanctificat Sacramentum suum, ut homini sive antequàm baptizetur, sive cum baptizatur, sive postèà quandoque ad se veraciter converso, idipsum valeat ad salutem, quod ad perniciem nisi converteretur valeret. Cæterùm quis nesciat non esse baptismum Christi, si verba Evangelica quibus symbolum constat illic defuerint ? Sed facilùs inveniuntur hæretici qui omninò non baptizent, quàm qui non illis verbis baptizent. Ideoque dicimus.. Baptismum Christi, id est, verbis Evangelicis consecratum, ubique eumdem esse, nec hominum quorumlibet et qualibet perversitate violari.

Diaconis competit facultas baptizandi solemniter (D), id est adhibitis solemnibus Ecclesiæ ritibus et cæremoniis. Sed urgente necessitate quivis nullo habito discrimine ætatis, sexûs, vel religionis potest sine solemnitate baptizare, modò velit seriò facere quod facit Ecclesia.

I. Quâ ratione probatur id posse quemlibet nullo habito discrimine Religionis aut sexûs ?

R. Id solâ Traditione constat; nec enim reperitur quidquam ea de re in Scriptura sacra. Hujus autem traditionis argumenta passim apud Patres et Theologos obvia non profero; habemus enim hîc nobiscum consentientes hæreticos recentiores, quorum maximè ad eruditionem solemus argumenta traditionis exhibere in his quæ illi revocarunt in dubium.

I. Cur Deus voluit Baptismum posse conferri vel ab iis qui non sunt baptizati ?

R. 1. Deus omnipotens uti potest quolibet instrumento ad gratiam suam nobiscum communicandam.

2. In hoc voluit Deus summè misericors faciliorem reddere receptionem sacramenti omninò necessarii ad salutem.

I. Urgente baptismi necessitate, ubi plures adsunt qui baptizent, quis maximè baptizare debet ?

R. Clericus laïco, Catholicus hæretico vel infideli, vir fœminæ præferri debet.

I. Possuntne pater vel mater suum infantem baptizare ?

R. Possunt : sed non debent, nisi urgeat extrema necessitas, nec sit alius homo Catholicus vir vel femina qui baptizare possit : idque propter spiritualem affinitatem quæ ex baptismo contrahitur.

I. Quam spiritualem affinitatem narras ?

R. Ex legibus Ecclesiæ interest inter baptizantem et baptizatum spiritualis affinitas, vi cujus non potest qui baptizavit matrimonio conjungi cum persona baptizata ejusque parentibus. (E) Si parentes ipsi suum infantem baptizent, hac spirituali affinitate fit, ut qui baptizavit non possit, nisi

(D) S. Hieron. *adver. Lucifer. Tom.* 4. *part.* 2. *pag.* 295. Inde venit, ut sine chrismate et Episcopi jussione, neque Presbyter, neque Diaconus jus habeant baptizandi : quod frequenter, si tamen necessitas cogit, scimus etiam licere laïcis.

Acta SS. Rogatian. *et* Donat. *circ. an.* cc. *sub Dioclet. apud* Theodor. Ruinart, *p.* 295. Quod ad præsens ne susciperet baptisma audità persecutione, fecit Sacerdotis absentia fugitiva ; sed quod de fonte defecit, martyrii cruor fusus impendit.

(E) Concil. Trid. *Sess.* 24. *de reformat. matrimonii, cap.* 2. Docet experientia, propter multitudinem prohibitionum multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahi matrimonia : in quibus vel non sine magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur. Volens itaque sancta Synodus huic incommodo providere, et cognationis spiritualis impedimento incipiens, statuit, ut unus tantùm, sive vir sive mulier, juxta sacrorum canonum instituta, vel ad summum unus et una baptizatum de baptismo suscipiant ; inter quos ac baptizatum ipsum, et illius patrem et matrem, nec non inter baptizatum, baptizatique patrem ac matrem tantùm spiritualis cognatio contrahatur.

obtentâ priùs ab Episcopo dispensatione, petere debitum à conjuge, licèt semper reddere teneatur. (F)

I. Quinam sunt capaces Baptismi suscipiendi?

R. Omnes omninò homines non baptizati etiam infantes, nullo habito discrimine ætatis, sexùs aut conditionis.

I. Constatne ex sacris codicibus posse infantes baptizari?

R. Non id quidem expressè declaratur in sacris codicibus, deducitur tamen ex principiis quæ habentur in Scriptura sacra. Quod autem Scriptura non nisi obscurè innuit, id certissimâ traditione usuque ab Apostolis ad nostra usque tempora continuâ successione deducto constat.

I. Quo in loco baptismus conferendus est?

R. Urgente necessitate potest ubique conferri. Alioquin in solis Ecclesiis Parochialibus, vel aliis in quibus sunt fontes baptismales, baptizare licet: debetque in sua quisque Ecclesia baptizari.

§. 3. De Baptismi necessitate et unitate. De statu Parvulorum sine Baptismo morientium.

I. Estne Baptismus absolutè necessarius ad salutem omnibus?

R. Est omninò, et eâ necessitate quidem quam Theologi necessitatem medii vocant, quæ talis est ut sine baptismo nemo possit unquam salutem æternam consequi. Id constat tum ex traditione certissimâ, tum ex his Christi ipsius verbis (*Joan.* III. 5.) *Amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.*

I. Respicitne illa tanta necessitas infantes?

R. Respicit et infantes non secùs ac cæteros homines; hæc fuit semper Ecclesiæ fides: sic semper est interpretata verba hæc Christi, *nisi quis renatus fuerit, etc.* (A)

(F) S. Thom. *in supplem. quæst.* 56. *art.* 1. *in corp.* Sicut carnalis cognatio impedit matrimonium; ita spiritualis ex Ecclesiæ statuto. Tamen distinguendum est de spirituali cognatione; quia aut præcessit matrimonium, aut sequitur: si præcessit, impedit contrahendum, et dirimit contractum; si sequitur, tunc non dirimit vinculum matrimonii. Sed quantùm ad actum matrimonii est distinguendum: quia aut spiritualis cognatio inducitur causâ necessitatis, sicut cùm pater baptizat filium in articulo mortis: et tunc non impedit actum matrimonii, ex neutra parte: aut inducitur extra casum necessitatis, ex ignorantia: et tunc si ille ex cujus actu inducitur, diligentiam adhibuit, est eadem ratio sicut de primo: aut ex industria, extra casum necessitatis: et tunc ille ex cujus actu inducitur, amittit jus petendi debitum, sed tamen debet reddere si petatur: quia ex culpa ejus non debet aliquod incommodum alius reportare.

(A) S. Cyprian. *Epist.* 64. *aliàs* 59. *ad Fidum.* Quantùm verò ad causam Infantium pertinet, quos dixisti intra secundum vel tertium diem quo nati sint, constitutos, baptizari non oportere, et considerandam esse legem circumcisionis antiquæ, ut intra octavam diem eum qui natus est baptizandum et sanctificandum non putares; longè aliud in Concilio nostro omnibus visum est. In hoc enim, quod tu putabas esse faciendum, nemo consensit, sed universi potiùs judicavimus, nulli hominum nato misericordiam Dei et gratiam denegandam. Nam cùm Dominus in Evangelio suo dicat (*Luc.* IX. 56.): *Filius hominis non venit animas hominum perdere, sed salvare;* quantùm in nobis est, si fieri potest, nulla anima

perdenda est... Propter quod neminem putamus à gratia consequenda impediendum esse, eâ lege quæ jam statuta est, nec spiritalem circumcisionem impediri carnali circumcisione debere, sed omnem omninò admittendum esse ad gratiam Christi : quando et Petrus in Actis Apostolorum (x. 28.) loquatur, et dicat : *Dominus mihi dixit neminem hominum communem dicendum et immundum.* Cæterùm si homines impedire aliquid ad consecutionem gratiæ posset ; magis adultos, et proveclos, et majores natu possent impedire peccata graviora. Porrò autem si etiam gravissimis delictoribus, et in Deum multùm antè peccantibus, cùm postea crediderint, remissa peccatorum datur, et à baptismo atque à gratia nemo prohibetur ; quantò magis prohiberi non debet infans, qui recèns natus nihil peccavit, nisi quòd secundùm Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ primâ nativitate contraxit ? qui ad remissam peccatorum accipiendam hoc ipso facilius accedit, quòd illi remittuntur non propria, sed aliena peccata. Et idcircò, frater charissime, hæc fuit in Concilio nostra sententia, à baptismo atque à gratia Dei, qui omnibus misericors et benignus et pius est, neminem per nos debere prohiberi. Quod cùm circa universos observandum sit atque retinendum, magis circa infantes ipsos recèns natos observandum putamus, qui hoc ipso de ope nostra, ac de divina misericordia plus merentur, quòd in primo statim nativitatis suæ ortu plorantes ac flentes, nihil aliud faciunt quàm deprecantur.

ORIGEN. *Homil.* 8. *in Levit.* Quæcunque anima in carne nascitur, iniquitatis et peccati sorde polluitur : et propterea dictum est illud (*Job.* XIV. 4.) quod jam superiùs memoravimus : * *quia nemo mundus à sorde, nec si unius diei sit vita ejus.* Addi his etiam illud potest, ut requiratur quid causæ sit, cùm baptisma Ecclesiæ in remissionem peccatorum detur, secundùm Ecclesiæ observantiam etiam parvulis baptismum dari: cùm utique si nihil esset in parvulis quod ad remissionem deberet et indulgentiam pertinere, gratia baptismi superflua videretur.

Lib. 5. *in Epist. ad Rom. cap.* VI. Ecclesia ab Apostolis traditionem suscepit, etiam parvulis baptismum dare. Sciebant enim illi quibus mysteriorum secreta commissa sunt divinorum, quia essent in omnibus genuinæ sordes peccati, quæ per aquam et Spiritum ablui deberent, propter quas etiam corpus ipsum corpus peccati nominatur.

CONCIL. MILEVIT. II. *Can.* 11. *Concil. Labb. T.* 2. *pag.* 1538. Item placuit, ut quicunque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit, in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro expietur: undè fit consequens, ut in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum non verè, sed falsè intelligatur, anathema sit : quoniam non aliter intelligendum est, quod ait Apostolus (*Rom.* V. 12.) : *per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt*, nisi quemadmodum Ecclesia catholica ubique diffusa semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei, etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideò in peccatorum remissionem veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur quod generatione traxerunt.

CONCIL. CARTHAG. I. *cont. Pelagian. ibid. pag.* 1511. *Aurelius Episcopus dixit :* Status certè infantium hodie baptizandorum utrum talis sit qualis fuit ante transgressionem Adæ, an certè de eadem origine peccati, de qua nascitur, transgressionis culpam trahat ? Hoc vult Paulinus diaconus audire. *Paulinus Diaconus dixit :* utrum docuit hoc an non, negel. *Cælestius dixit :* Jam de traduce peccati dixi, quia intra Catholicam constitutos plures audivi destruere necnon et alios adstruere... Infantes semper dixi egere baptismo ac debere baptizari : quid quærit aliud ? etc.

CONCIL. CARTHAG. II. *Epist. Synod. ad Innocent. PP.* Parvulos etiam, propter salutem, quæ per Salvatorem Christum datur, baptizandos negant, ac sic eos mortiferâ doctrinâ in æternum necant, promittentes etiam si non baptizentur, habituros vitam æternam, nec pertinere ad eos, de quibus Dominus ait (*Matth.* XVIII. 11. *Luc.* XIX. 10.) : *venit enim filius hominis quærere et salvare quod perierat :* quia, inquiunt, isti non perierant, nec est quod in eis salvetur, vel tanto pretio redimatur, quia

nihil est in eis vitiatum, nihil tenetur sub diaboli potestate captivum, nec pro eis fusus esse sanguis in remissionem legitur peccatorum, quanquam per baptismum Christi etiam parvulorum fieri redemptionem libello suo Cælestius in Carthaginensi Ecclesia jam confessus est.

Et paulò post, Quicunque negat parvulos per baptismum Christi à perditione liberari, et salutem percipere sempiternam, anathema sit.

INNOCENT. PP. *Epist.* 25. *rescript. ad Concil. Milevit.* Illud vero, quod eos vestra fraternitas asserit prædicare, parvulos æternæ vitæ præmiis, absque baptismatis gratia posse donari, perfatuum est. *Nisi enim manducaverint carnem filii hominis, et biberint sanguinem ejus, non habebunt vitam in semetipsis.* (*Joan.* VI. 54.) Qui autem hanc in eis sine regeneratione defendunt, videntur mihi ipsum baptismum velle cassare, cùm prædicant, hos habere, quod in eos creditur non nisi baptismate conferendum. Si ergo nihil volunt officere, non renasci: fateantur necesse est, nec regenerationis sacra fluenta prodesse. Verum ut superfluorum hominum prava doctrina celeri veritatis possit ratione discindi, proclamat Dominus in Evangelio, dicens (*Matth.* XIX. 14. *Marc.* X. 14. *Luc.* XVIII. 16.) *: sinite infantes, et nolite eos prohibere venire ad me, talium est enim regnum cœlorum.*

S. AUG. *Lib.* 4. *de Bapt. cont. Donat. cap.* 23. *n.* 30. Quod traditum tenet universitas Ecclesiæ, cùm parvuli infantes baptizantur, qui certè nondum possunt corde credere ad justitiam, et ore confiteri ad salutem (*Rom.* X. 10.)... quin etiam flendo et vagiendo cùm in eis mysterium celebratur, ipsis mysticis vocibus obstrepunt; et tamen nullus Christianorum dixerit eos inaniter baptizari.

Cap. 24. *n.* 31. Et si quisquam in hac re auctoritatem divinam quærat, quanquam quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolicâ traditum rectissimè creditur: tamen veraciter conjicere possumus, quid valeat in parvulis baptismi sacramentum, ex circumcisione carnis, quem prior populus accepit.

S. THOM. *Part.* 3. *Quæst.* 68. *art.* 9. *in corp.* Respondeo dicendum quòd sicut Apost. dicit (*Rom.* V. 17.) *Si unius delicto mors regnavit per unum*, (scilicet per Adam) *multò magis abundantiam gratiæ et donationis et justitiæ accipientes, in vita regnabunt per unum Jesum Christum:* Pueri autem ex peccato Adæ peccatum originale contrahunt: Quod patet ex hoc quòd sunt mortalitati subjecti, quæ per peccatum primi hominis in omnes pertransiit; ut Apost. ibidem (12.) dicit: undè multò magis pueri possunt per Christum gratiam accipere, ut regnent in vita æterna. Ipse autem Dominus dicit (*Joan.* III. 5.) quòd *nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei:* Undè necessarium fuit pueros baptizari; ut sicut per Adam damnationem incurrerunt nascendo, ita per Christum salutem consequantur renascendo: Fuit etiam conveniens pueros baptizari, ut à puerilia nutriti in his quæ sunt Christianæ vitæ, firmiùs in ea perseverent; secundùm illud Prov. (XXII. 6.) *Adolescens juxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea.* Et hanc rationem assignat Dionys. ult. cap. Eccles. Hierarch.

Ad primum ergo, dicendùm quòd regeneratio spiritualis, quæ fit per baptismum, est quodammodo similis nativitati carnali, quantùm ad hoc quòd sicut pueri in maternis uteris constituti non per seipsos nutrimentum accipiunt, sed ex nutrimento matris substentantur; ita etiam pueri nondum habentes usum rationis (quasi in utero matris Ecclesiæ constituti) non per seipsos, sed per actum Ecclesiæ salutem suscipiunt: undè Aug. dicit in lib. de peccatorum meritis et remissione (seu de baptismo parvulorum lib. 1. cap. 25.) « Mater Ecclesia os maternum parvu» lis præbet, ut sacris mysteriis imbuantur; quia nondum possunt corde » proprio credere ad justitiam, nec ore proprio confiteri ad salutem. Si » autem propterea rectè *fideles* vocantur, quoniam fidem per verba gestantium quodammodo profitentur, cur etiam non pœnitentes habeantur, cùm per eorumdem verba gestantium diabolo et huic seculo abrenuntiare monstrentur » ? Et eadem ratione possunt dici intendentes, non per actum propriæ intentionis (cùm ipsi quandoque contrarientur et plorent, sed per actum eorum à quibus offeruntur.

Ad secundum, dicendum quòd sicut Aug. scribens Bonifacio dicit: (Epist. 23.) in *Ecclesia Salvatoris parvuli per alios credunt., sicut ex aliis quæ in baptismo remittuntur peccata traxerunt:* Nec impeditur eorum salus, si parentes sint infideles. Quia sicut Aug. dicit, eidem Bonifacio scribens, « offeruntur parvuli ad percipiendam spiritualem gratiam non » tam ab eis, quorum gestantur manibus (quamvis et ab ipsis si et ipsi » boni fideles sunt), quàm ab universa societate sanctorum atque fide- » lium: ab omnibus namque offerri rectè intelliguntur, quibus placet » quòd offeruntur, et quorum charitate ad communionem sancti Spiri- » tûs adjunguntur. » Infidelitas autem propriorum parentum, etiam si eos post baptismum dæmoniorum sacrificiis imbuere conentur, pueris non nocet: Quia ut Aug. ibidem dicit: (Ab initio) « Puer semel genera- » tus per aliorum carnalem voluptatem, cùm semel regeneratus fuerit » per aliorum spiritualem voluntatem, deinceps non potest vinculo » alienæ iniquitatis obstringi, si nullâ suâ voluntate consentit, secundùm » illud (*Ezech.* 18.) *sicut anima patris mea est, ita et anima filii: anima* » *quæ peccaverit, ipsa morietur.* Sed ideò ex Adam traxit, quod sacra- » menti illius gratiâ solveretur; quia nondum erat anima separatim » vivens: » Fides autem unius (imò totius Ecclesiæ) parvulo prodest per operationem Spiritûs sancti, qui unit Ecclesiam, et bona unius alteri communicat.

Ad tertium, dicendum quòd sicut puer cùm baptizatur, non per seipsum sed per alios interrogatur; et interrogati confitentur fidem Ecclesiæ in persona pueri, qui huic fidei aggregatur per fidei sacramentum: conscientiam autem bonam consequitur puer etiam in seipso non quidem actu, sed habitu per gratiam justificantem.

GUIL. ESTIUS *in Lib.* 4. *Sent. distinct.* 4. §. 23. De baptismo parvulorum, id est, eorum qui per ætatem ratione nondum utuntur varii exstiterunt, atque etiamnum hodie exstant errores; aliis prorsùs negantibus eos baptizari licere; aliis id permittentibus quidem, sed negantibus utilitatem aliquam indè parvulis accedere; aliis denique licèt utilitatem agnoscant, necessitatem tamen ejus abnuentibus. Nam præter Anabaptistas, qui prorsùs tollunt infantium baptismum, atque eos etiam baptizatos in adulta ætate rebaptizant, Calvinistæ necessarium negant. Et olim Pelagiani valere parvulis dicebant, non ad vitam æternam, quam iis etiam absque baptismo promittebant, sed ad regnum consequendum, propter illud quod scriptum est: (*Joan.* III. 5.) *nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest introire in regnum Dei.* Fuerunt et alii perperam de baptismo parvulorum sentientes, ut Hieracitæ, qui omnem salutis spem parvulis etiam baptizatis adimebant, eò quòd certare nequeant, cùm scriptum sit: (2. *Tim.* II. 5.) *Non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit.* De quibus vide Epiphanium hæresi 67. Et Fidiani qui in octavum usque diem Judaïco more baptismum differri volebant, contra quos agit Cyprianus Epist. 36.

Adversùs hanc errorum varietatem primò omnium statuendum est omnem hominem, etiamsi ex justis et sanctis parentibus nascatur, nasci obnoxium peccato originali, et per peccatum morti æternæ, uti in 2. Sententiarum libro ad distinct. 21. monstratum est. Deinde constat ex superioribus ad delendum originale peccatum unicum esse remedium in nova lege institutum, videlicet baptismi sacramentum. Hinc ergo manifestè consequitur, parvulos aut omninò non posse à peccato liberari, et salutem adipisci, aut ut utrumque hoc beneficium consequantur, necessariò baptizandos esse. Quod autem illa Domini sententia: *Nisi quis renatus, etc.* etiam parvulos complectatur, non sic tantùm ut sine baptismo nequeant salvari, verum ita quoque ut per baptismum salvari possint, partim ex Scriptura, partim ex perpetua Ecclesiæ traditione doceri potest.

Primùm enim ne quis putaret ad adultos tantùm pertinere remedium illis verbis præscriptum, *Nisi quis renatus, etc.* subjunxit Dominus: (*Joan.* III. 5.) *Quod natum est ex carne, caro est, et quod natum est ex spiritu, spiritus est.*

Cùm igitur nativitas carnalis sit omnibus communis, oportuit et remedium præscribi omnibus commune, quo possent de carne transire

ad spiritum, atque ita introïre in regnum Dei. Imò quæcunque Scripturæ parvulis faciunt aditum salutis et spem regni, eædem convincunt necessarium iis esse baptismi sacramentum, cùm Scripturæ non aliâ viâ salutem et regnum iis promittant qui carnaliter nati sunt, quàm per Baptismum. Scripturæ sunt hujusmodi. Ait Dominus Discipulis increpantibus illos, qui infantes ei offerebant; (*Matth.* XIX. 14. *Marc.* X. 14. *Luc.* XVIII. 16.) *Sinite parvulos venire ad me, et ne prohibueritis eos, talium enim est regnum Dei.* Deinde complexans eos et imponens manus super illos, benedicebat eos, Marci 10. Ex quo sequitur parvulos et posse venire ad Christum et capaces esse benedictionis, id est, beneficii Christi, quod non in salute aliquâ temporali, sed æternâ consistit. Et eos qui parvulos baptizandos negant, similes esse Discipulis Christi adhuc carnalibus prohibentibus eos qui parvulos Salvatori benedicendos offerebant.

Propiùs autem proposito servire videntur illæ Scripturæ quæ testantur ab Apostolis baptizatas fuisse familias integras, in quibus valdè verisimile est etiam parvulos fuisse. Nam. (1. *Corinth.* I. 16.) scribit Apostolus se baptizasse domum, id est, familiam Stephanæ. Et Act. (XVI. 33.) de custode carceris dicitur: *Baptizatus est ipse et omnis domus ejus continuò.* Et ibidem (15.) Lydia purpuraria simul et domus ejus baptizata esse memoratur.

Denique ex Circumcisione tale argumentum ducitur: Circumcisio figura fuit baptismi, qui et in ejus locum successit. Igitur si rectè infantes in veteri lege circumcidebantur, rectè quoque in nova lege baptizantur, præsertim cùm cæremonia baptismi facilior, atque infantibus tolerabilior sit, quàm ritus circumcisionis. Et si per circumcisionem hoc consequebatur infantulus, ut anima ejus de populo suo non deleretur, consequitur et per baptismum ut renatus ex Spiritu introïre possit in regnum Dei.

Paragr. 24. Quamvis ad probandum parvulorum baptismum ejusque necessitatem satis certa sit ex Scripturis probatio, neque solidi quidquam adversùs eam ab hæreticis afferatur; quoniam tamen expressè nusquam legitur in Scripturis parvulos absque baptismo salvari non posse, aut omninò baptizatos fuisse, aut baptizandos esse: fit ut magis inter traditiones non scriptas hæc doctrina recenseri soleat, quàm inter ea dogmata, quæ de Scripturis adstruuntur. Et sanè Patres, etsi suprà dictis Scripturæ testimoniis, et rationibus à nobis indicatis utantur interdum pro confirmatione præsentis doctrinæ, sæpiùs tamen eam referunt in perpetuam Ecclesiæ traditionem ab ipsis Apostolorum temporibus derivatam. Atque ea traditio tantam vim habuit auctoritatis, ut Pelagius, qui parvulos in peccato nasci negabat, negare tamen ausus non fuerit baptizandos esse, quia videlicet universalem et constantem Ecclesiæ in baptizandis parvulis observationem nec ignorare poterat, nec reprehendere audebat.

Hujus porrò traditionis Apostolicæ certissimum testimonium ex Patrum scriptis, qui post Apostolos omni seculo exstiterunt, atque ex Pontificum et Conciliorum decretis accipitur. Primùm Dionysius Areopag. in fine libri de Ecclesiastica Hierarchiâ testatur se à suis præceptoribus, id est, Apostolis hanc doctrinam accepisse. Ejus meminit et Origenes scribens in illud Rom. VI. 5. *Si enim complantati, etc.*

Justinus quæst. 56. ad Orthodoxos respondet *infantes baptizatos affici baptismi bonis propter fidem eorum, à quibus offeruntur: non baptizatos autem iis bonis privari.*

Cyprianus Epist. 36. quæ est 8. lib. 3. ex sententia 66. Episcoporum qui unà Concilio interfuerant, non aliquod novum condens decretum (ut ait Augustinus Epist. 28. ad Hieronymum) sed firmissimam Ecclesiæ fidem et consuetudinem probans, ad corrigendum eos qui putabant ante octavum à nativitate diem non esse parvulum baptizandum, animam ejus nisi baptizetur perituram asserit, ideoque etiam recentissimè natum à baptismo non esse prohibendum: *Prohiberi*, inquit, *non debet infans à baptismo et gratia, qui recèns natus nil peccavit, nisi quòd secundùm Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ primâ nativitate contraxit, etc.* Quam Cypriani epistolam etiam alibi pro traditione Ecclesiastica baptizandi parvulos in remissionem peccatorum citat Augustinus, ut lib. 4. con-

I. **Unde tanta necessitas baptismi ?**

R. Ex reatu peccati originalis, quod non nisi per baptismum tollitur. Quandiu autem manet hujus peccati reatus, tandiu manemus sub potestate diaboli, nec possumus introire in regnum Dei.

I. **Ergo æternam damnationem subeunt infantes qui sine baptismo moriuntur ?**

tra duas Epistolas Pelag. capite 8. et lib. 1. contra Julianum capite 3. et Sermone 14. de verbis Apostoli.

Ambrosius libro 1. in Luc. 1. ad illud ; *In spiritu et virtute Eliæ,* testatur parvulos per baptismum à malitia reformari. Quem item locum citat Augustinus libro 1. contra Julianum capite 3. Rursùm libro secundo de Abraham capite 2. loquens de ætate eorum, qui olim circumcidi et nunc baptizari debent ; « nullum tempus, *inquit*, vacuum debet esse tutelæ, quia » nullum est culpæ vacuum. *Et iterùm :* omnis ætas peccato obnoxia, et » ideò omnis ætas sacramento idonea. *Et post multa citans illud :* Nisi quis » renatus, etc. *ait*, utique nullum excipit, non infantem, non aliquâ » præventum necessitate.»

Hieronymus in Epistola ad Lætam monet parentes ut curent infantes suos statim baptizari. Meminit et Gregorius Nazianzenus hujus Ecclesiasticæ traditionis Oratione in sanctum lavacrum. Ex Chrysostomo quoque clarum est testimonium Homilia ad Neophytos, Homil. de Adam et Eva, et Hom. 23. in Acta Apostolorum, similiter ex Epiphanio hæresi 67. ubi contra Hieracitas disputat.

Apud Augustinum in iis quæ contra Pelagium scripsit, propè infinita sunt loca, in quibus Ecclesiasticâ consuetudine baptizandi parvulos tanquam invicto argumento utitur ad docendum eos nasci peccato obnoxios. Quorum hæc pauca notari possunt. Epistola 23. 28. 57. et 106. Enchirid. 93. Libro secundo de libero arbitrio capite 23. Libro 10. de Gen. ad litt. capite 11. et 23. Libro 1. de peccatorum meritis capite 20. et libro 2. capite 25. et 27. Libro de peccato originali capite 40. Libro 14. de Civitate Dei capite 1. Libro 2. de origine animæ capite 12. et Libro 3. capite 9. Item homilia 50. in opere homiliarum, et hæresi 47. Et libro 4. contra Donatistas capite 23. et 24. Et serm. 14. de verbis Apostoli. Quo loco sicut et aliis nonnullis scribit tantam fuisse Ecclesiasticæ traditionis auctoritatem in baptizandis parvulis, ut nec hæretici fuerint ausi de ea re quæstionem Catholicis movere. Idem prorsùs senserunt et docuerunt quotquot vel eodem tempore cum Augustino, vel postea clari in Ecclesia exstiterunt, ut Innocentius I. in Epistola ad Concilium Milevitanum, quæ est inter Augustini Epistolas 93. Zosimus Papa, cujus verba citat Augustinus Epistola 157. ad Optatum. Auctor Hypognosticon apud Augustinum libro secundo capite 7. Fulgentius de fide ad Petrum capite 27. Leo Epistolâ 86. Prosper libro 2. de vocatione gent. capite 23. Gregorius libro 7. Epist. 53. Beda in Marci 7. ad illud, *Propter hunc sermonem vade.* Bernardus Epist. 77. et 240. serm. 66. in Cantica, et serm. 1. in ramis Palmarum. Innocentius III. capite *Majores*, extra de baptismo et ejus effectu. Hæc denique baptizandorum infantium consuetudo simul cum doctrina, quâ negantur præter baptismum posse consequi salutem, ad nos usque perpetuâ et fideli traditione transmissa est.

Nec Conciliorum auctoritas hac in parte defuit ; nam statim exorto Pelagio Synodus Palæstina, in qua suum errorem Pelagius verbo tenus recantavit, anathemate notavit eos qui dicunt parvulos sine baptismo vitam æternam habere, ut refert Augustinus Epist. 106. Huic accedit Synodus Carthaginensis 4. in Epist. ad Innocentium I. quæ est apud Augustinum nonagesima. Successit deinde Milevitanum seu Numidiæ Concilium, cui Augustinus interfuit, in cujus canone 2. dicitur anathema negantibus parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos esse. Ejusdem Concilii nomine scripta est (apud Augustinum 92.) ad Innocentium Papam, in qua idem dogma confirmatur. His adde quintam Synodum Carthaginensem, quæ can. 6. sine scrupulo baptizari vult infantes etiam eos, de quorum baptismo dubitatur, ne per nostram trepidationem pereant. Demùm accessit auctoritas generalium Conciliorum, Florentini in Decreto de Sacramen-

R. (Manent æternum à Deo segregati, ab ejus conspectu semoti, quæ maxima reproborum pœna est, quam vocant Theologi pœnam damni. Utrum autem crucientur etiam igne æterno, quod vocant Theologi pœnam sensûs non definivit Ecclesia: nihil eà de re certi elicitur ex Scripturis, nec certa traditio est, nec una eâ de re catholicorum Theologorum sententia. Rem paulò enucleatiùs explico.

Ait Christus in Evangelio, congregandas esse ante suum tribunal omnes gentes ad judicium subeundum, et separandas à se invicem, ita ut oves quidem à dextris statuantur, hædi autem à sinistris: ituros esse illos in vitam æternam, hos autem in ignem æternum. Infantes sine Baptismo mortui judicandi sunt certè non secùs ac cæteri hominum. Nullum iis statum medium Christus assignat inter dexteram et sinistram suam, inter ignem æternum et vitam æternam; videtur ergo solvisse saltem indirectè quæstionem. Rem videtur Joannes Apostolus verbis adhuc apertioribus definivisse. Nam capite vigesimo primo Apocalypsis (*v.* 27.) ait, *Non intraturos* in civitatem cœlestem *nisi* eos qui *scripti sunt in libro vitæ;* capite autem vigesimo, (*v.* 15.) ejusdem libri ait, mittendos in stagnum ignis omnes qui non inventi fuerint scripti in libro vitæ. At infantes sine Baptismo mortui scripti sanè non sunt in libro vitæ. S. Augustinus his sacrarum scripturarum testimoniis adductus est ut crederet infantes sine baptismo morientes affici pœnâ sensûs, sed pœnâ omnium mitissimâ. (*Manuale ad Laurentium*, *cap.* 93. *n.* 23.) Idem existimavit S. Fulgentius. (*De Fide*, *cap.* 27. *n.* 68.) Sed non idem, verbis saltem perspicuis, docuerunt cæteri scriptores Ecclesiastici: nec una est eà de re Theologorum sententia. Multi sanctum Thomam secuti (B) contendunt hæc testimonia scripturarum de solis adultis esse intelligenda; idque probare conantur ex illis ipsis testimoniis, in quibus agi videtur de iis solùm qui capaces sunt bonorum vel malorum operum. Quæstionem non definivit Ecclesia. Id fide certum est, infantes nullâ felicitate donari, quod contendebant Pelagiani, in quo planè confutati

tis, et Tridentini sess. 5. capite 4. in quo ipsa Milevitani Concilii verba repetuntur, additis istis, *etiamsi fuerint à baptizatis parentibus orti*, et sess. 7. can. 5. 12. et 13. de baptismo.

(B) S. THOM. *suppl.* 3. *part. quæst.* 69. *art.* 5. *in corp.* Limbus Patrum et infernus... si considerentur quantùm ad situm loci, sic probabile est, quòd idem locus vel quasi continuus sit infernus, et limbus: ita tamen, quòd quædam superior pars inferni limbus Patrum dicatur: existentes enim in inferno secundùm diversitatem culpæ, diversam sortiuntur et pœnam: et ideò secundùm quod gravioribus peccatis irretiuntur damnati, secundùm hoc obscuriorem locum et profundiorem obtinent in inferno.

Art. 5 *in corp.* Respondeo... quòd limbus Patrum et limbus puerorum absque dubio differunt, secundùm qualitatem præmii vel pœnæ. Pueris enim non adest spes beatæ vitæ, quæ Patribus in limbo aderat; in quibus etiam lumen fidei et gratiæ refulgebat. Sed quantùm ad situm, probabiliter creditur utrorumque locus idem fuisse, nisi quòd requies beatorum adhuc erat in superiori loco quàm limbus puerorum, sicut de limbo et inferno dictum est.

sunt à S. Augustino, cujus hac in parte sententiam amplexa est Ecclesia : certum est quoque pœnam damni, quam æternam patientur, esse illis infantibus acerbissimam.)

I. Tantane est Baptismi necessitas, ut nullà prorsùs ratione suppleri possit?

R. Suppleri potest duplici ratione. 1° Per ardens illius desiderium, si charitate perficiatur. 2° Per martyrium. Hinc dicitur esse triplex baptismus, fluminis nimirùm, flaminis, et sanguinis.

Baptismus fluminis is est qui per aquam et verba, *Ego te baptizo*, *etc.* vel his similia confertur.

Baptismus flaminis, est ardens desiderium baptismi, ubi non adest ejus copia. Si enim quis Baptismum ardenter et cum intimo charitatis sensu exspectat, nec possit tamen aquà baptizari, hunc haud dubiè consequi salutem, existimavit semper Ecclesia et docuit. Desiderium autem illud vocatur Baptismus flaminis, id est baptismus Spiritùs sancti, quia non nisi Spiritu sancto afflante haberi potest ejusmodi desiderium. (C)

(C) S. AMBROS. *de obitu Valent. n.* 75. Offert quæ servaverit fratri nova et vetera, hoc est, Testamenti veteris et Evangelii sacramenta, et dicit: (*Cantic.* VIII. 1.) *Quis dabit te, frater, fratrem mihi lactentem ubera matris meæ*, hoc est, non quicunque te, sed Christus illuminavit gratiâ spiritali. Ille te baptizavit, quia humana tibi officia defuerunt : plus adeptus es, qui minora amisisse credebas. Quæ sunt ubera Ecclesiæ, nisi sacramenta baptismatis.

N. 77. Nec nos quidem dubitemus de meritis Valentiani, sed jam credamus vel testimoniis Angelorum, quòd detersà labe peccati, ablutus ascendit, quem sua fides lavit, et petitio consecravit.

S. AUG. *de Bapt. contr. Donat. lib.* 4. *cap.* 22. *n.* 29. Baptismi sanè vicem aliquando implere passionem, de latrone illo cui non baptizato dictum est (*Luc.* XXIII. 43.), *hodie mecum eris in Paradiso*, non leve documentum idem beatus Cyprianus assumit : quod etiam atque etiam considerans, invenio non tantùm passionem pro nomine Christi id quod ex Baptismo deerat posse supplere ; sed etiam fidem conversionemque cordis, si fortè ad celebrandum mysterium Baptismi in angustiis temporum succurri non potest. Neque enim latro ille pro nomine Christi crucifixus est, sed pro meritis facinorum suorum : nec quia credidit passus est, sed dum patitur credidit. Quantum itaque valeat etiam sine visibili sacramento Baptismi, quod ait Apostolus (*Rom.* X. 10.) *corde creditur ad justitiam*, *ore autem confessio fit ad salutem*, in illo latrone declaratum est. Sed tunc impletur invisibiliter, cùm ministerium baptismi non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit.

Cap. 23. *n.* 30. Quid autem valeat et quid agat in homine corporaliter adhibita sanctificatio sacramenti, (sine qua tamen ille latro non fuit, quia non ejus accipiendæ voluntas defuit, sed non accipiendæ necessitas adfuit,) difficile est dicere.

Cap. 24. *n.* 31. In illo latrone, quod ex Baptismi sacramento defuerat complevit omnipotentis benignitas, quia non superbiâ vel contemptu, sed necessitate defuerat.

Cap. 25. *n.* 32. Quibus rebus omnibus ostenditur aliud esse Sacramentum Baptismi, aliud conversionem cordis, sed salutem hominis ex utroque compleri : nec si unum horum defuerit, ideò putare debemus consequens esse, ut alterum desit ; quia et illud sine isto potest esse in infante, et hoc sine illo potuit esse in latrone, complente Deo sive in illo, sive in isto, quod non ex voluntate defuisset : cùm verò ex voluntate alterum horum defuerit, reatu hominem involvi. Et baptismus quidem inesse potest ubi conversio cordis defuerit : conversio autem cordis potest quidem

Baptismus sanguinis, est martyrium, seu mors pro Christo perpessa; qui enim traduntur morti propter Christum, dicuntur ab Ecclesia proprio sanguine baptizari. (D)

nesse non percepto baptismo, sed contempto non potest: neque enim ullo modo dicenda est conversio cordis ad Deum, cùm Dei sacramentum contemnitur.

S. BERNARD. *Tract. de Bapt. ad Hugon. de S. Vict. cap.* 2. *n.* 6. Quisquis post vulgatum ubique Baptismi remedium renuit jam baptizari, generali originalique maculæ addidit et ex proprio crimen superbiæ, duplicem secum portans justissimæ damnationis causam, si sic de corpore exire contigerit. Tamen si ante exitum resipuerit, et voluerit, et petierit baptizari, sed mortis præoccupatus articulo fortè obtinere nequiverit: dum non desit fides recta, spes pia, charitas sincera: propitius sit mihi Deus, quia huic ego ob solam aquam, si defuerit, nequaquam omninò possum desperare salutem, nec vacuam credere fidem, nec confundere spem, nec excidere charitatem: tantùm si aquam non contemptus, sed sola (ut dixi) prohibeat impossibilitas. Si quis aliter sapit, viderit unde sibi quod asserit persuaserit.

N. 8. Ab his ergo duabus columnis, Augustinum loquor et Ambrosium, crede mihi, difficilè avellor. Cum his, inquam, me aut errare, aut sapere fateor: credens et ipse, solâ fide hominem posse salvari, cum desiderio percipiendi sacramentum: si tamen pio adimplendi desiderio mors anticipans, seu alia quæcunque vis invincibilis obviarit. Vide etiam ne fortè ob hoc Salvator cùm diceret (*Marc.* XVI. 6.), *qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit*, cautè et vigilanter non repetierit (*Ibid.*), qui verò baptizatus non fuerit, sed tantùm, *qui verò*, inquit, *non crediderit condemnabitur*: nimirùm innuens solam interdum fidem sufficere ad salutem, et sine ipsa sufficere nihil.... Sic sola fides et mentis ad Deum conversio, sine effusione sanguinis, et sine perfusione aquæ, salutem sine dubio operatur volenti, sed non valenti, prohibente mortis articulo, baptizari.

CONCIL. TRIDENT. *sess.* 6. *cap.* 4. Justificationis impii descriptio insinuatur (*Galat.* III. *et* IV. *Tit.* III. 5. *et seq.*), ut sit translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius Adæ, in statum gratiæ et adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Jesum Christum Salvatorem nostrum: quæ quidem translatio, post Evangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis, AUT EJUS VOTO, fieri non potest, sicut scriptum est (*Joan.* III. 5.): *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei,*

(D) TERTULL. *de Bapt. cap.* 16. Est quidem nobis etiam secundum lavacrum, unum et ipsum, sanguinis scilicet, de quo Dominus (*Luc.* XII. 50.): *habeo*, inquit, *baptismo tingi*. cùm jam tinctus fuisset. Venerat enim per aquam et sanguinem, sicut Joannes scripsit (1. *Joan.* V. 6.), ut aqua tingeretur, sanguine glorificaretur, proinde nos faceret aquâ vocatos, sanguine electos. Hos duos baptismos de vulnere perfossi lateris emisit; quatenùs qui in sanguinem ejus crederent, aquâ lavarentur: qui aquâ lavissent, etiam sanguinem potarent. Hic est baptismus, qui lavacrum et non acceptum repræsentat, et perditum reddit.

S. CYPRIAN. *Epist.* 73. *ad Jubaïan.* Sciant.... Catechumenos.... nec privari baptismi sacramento, ut pote qui baptizentur gloriosissimo et maximo sanguinis baptismo, de quo et Dominus dicebat: (*Luc.* XII. 50.) habere se aliud baptisma baptizari. Sanguine autem suo baptizatos, et passione sanctificatos consummari, et divinæ pollicitationis gratiam consequi, declarat in Evangelio idem Dominus, quando ad latronem ipsâ passione credentem et confitentem loquitur (*Luc.* XXIII. 43.), et quòd secum futurus sit in Paradiso pollicetur.

S. CYRILL. JEROSOL. *Catech.* 3. Si quis non baptizatur, salutem non habet, præter solos Martyres, qui vel sine aqua regno cœlesti potiuntur. Redimens enim terram Salvator, per crucem, et in latere vulneratus, sanguinem et aquam emisit (*Joan.* XIX. 34.): ut alii quidem pacis tempore in aqua baptizarentur; alii verò tempore persecutionis, in propriis san-

I. Nunquid et infantes pro Christo occisi non accepto aquæ baptismate salvantur ?

R. Et ipsi proprio sanguine baptizantur, et salutem consequuntur æternam : cujus rei exstant exempla multa. Ideoque SS. Innocentium, quos mactavit impius Herodes, festum semper celebravit Ecclesia, ut patet ex S. Augustino. (E)

guinibus baptizentur. Quòd verò etiam is rectè baptismus vocetur, vide Salvatoris testimonium, qui dicit (*Matth.* XX. 22. *Marc.* X. 38.) : *potestis bibere calicem, quem ego bibam, et baptismo, quo ego baptizor, baptizari?*

S. AUG. *de Civit. Dei lib.* 13. *cap.* 7. Nam quicunque etiam non percepto regenerationis lavacro pro Christi confessione moriuntur, tantùm eis valet ad dimittenda peccata, quantùm si abluerentur sacro fonte baptismatis. Qui enim dixit (*Joan.* III. 5.), *si quis non renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in Regnum cœlorum* : aliâ sententiâ istos fecit exceptos, ubi non minùs generaliter dixit (*Matth.* X. 32.), *qui me confessus fuerit coram omnibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est* ; et alio loco (*Matth.* X. 39.) : *qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Hinc est quod scriptum est (*Psal.* CXV. 5.) : *pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.* Quid enim pretiosius quàm mors, per quam fit ut et delicta omnia dimittantur, et merita cumulatiùs augeantur ? Neque enim tanti sunt meriti, qui cùm mortem differre non possent, baptizati sunt, deletisque omnibus peccatis ex hac vita emigrarunt, quanti sunt hi qui mortem, cùm possent, ideò non distulerunt, quia maluerunt Christum confitendo finire vitam, quàm eum negando ad ejus baptismum pervenire.

S. BASIL. *lib. de Spirit. sanct. cap.* 15. *versùs finem.* Jam verò sunt nonnulli, qui in certaminibus pro pietate, reverà imitatione Christi mortem perpessi, nihil hujusmodi sacramentis quæ sunt in aqua opus habuerunt ad salutem, nimirùm in proprio baptizati sanguine.

Acta SS. JACOBI *et* MARIANI *Martyr. apud* THEODOR. RUINART, *pag.* 231. Alveus ipsum medio sinu fluorem beati sanguinis hauriebat. Nec deerat utriusque sacramenti genus, cùm et baptizarentur suo sanguine et lavarentur in flumine.

Acta SS. *Martyr.* ROGAT. *et* DONAT. *apud.* THEODOR. RUINART, *pag.* 298. Sit famulo tuo Rogatiano pura fides donum baptismatis; et si contigerit, persistente Præside, crastinâ die nos feriente gladio interire, sanguinis effusio fiat ei chrismatis sacramentum.

(E) S. AUG. *Serm.* 373. *aliàs* 66. *de divers. cap.* 3. *n.* 3. O parvuli beati, modò nati, nunquam tentati, nondum luctati, jam coronati. Ille de vestra corona dubitaverit in passione pro Christo, qui etiam baptismum parvulis prodesse non existimat Christi. Non habebatis quidem ætatem, quâ in Christum passurum crederetis : sed habebatis carnem, in qua pro Christo passuro passionem sustineretis.... Absit, absit, ut ad liberandos homines (Christus) veniens, de illorum præmio qui pro eo interficerentur nihil egerit, qui pendens in ligno pro eis à quibus interficiebatur oravit.

S. LEO. *Serm.* 30. *in Epiph.* 1. *cap.* 3. Herodes necari omnes Bethlehem parvulos jubet.... Sed quod Rex impius eximit mundo, Christus inserit cœlo : et quibus nondum sanguinis sui impendit redemptionem, jam Martyrii tribuit dignitatem.

Serm. 31. *in Epiph.* 2. *cap.* 3. Felicior ergo ignorantia infantium, quos persecutor occidit, quàm vestra scientia, quam in sua perturbatione consuluit. Vos noluistis regnum ejus recipere, cujus oppidum potuistis ostendere. Illi potuerunt pro eo mori, quem nondum poterant confiteri : itaque Christus, ne ullum ei tempus esset absque miraculo, ante usum linguæ potestatem verbi lacitus exercebat : et quasi jam diceret : (*Matth.* XIX. 14.) *sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum cœlorum*, novâ glorià coronabat infantes, et de initiis suis parvulorum primordia consecrabat : ut diceretur neminem hominum divini incapacem esse sacramenti, quando etiam illa ætas gloriæ esset apta martyrii.

Serm. 36. *in Epiph.* 7. *cap.* 4. Puer Salvator.... ut imitatoribus suis quid

I. Potestne iterari Baptismus ?

R. Non potest, jam ut diximus, quia per baptismum spiritualis character imprimitur. Unde nefas est rebaptizare eum qui semel ritè baptizatus est. (F)

gloriæ pararet, ostenderet, ortus sui tempore editos Martyrio consecravit : ut in Bethlehem, ubi Christus natus est, geniti, per communionem ætatis consortes fierent passionis.

S. Petr. Chrysolog. *Serm.* 152. *in SS. Innoc.* Christus non despexit suos milites, sed provexit : quibus dedit antè triumphare, quàm vivere : quos fecit capere sine concertatione victoriam, quos donavit coronis antequam membris, quos voluit virtutibus vitia præterire, antè cœlum possidere quàm terram, nec antè humanis inserere quàm divinis. Prænisit ergo Christus suos milites, non amisit : recepit suas acies, non reliquit. Beati, quos martyrio natos videmus esse, non seculo. Beati, qui labores in requiem, in refrigerium dolores, mœrores in gaudium commutarunt. Vivunt.... verè vivunt, qui pro Christo merentur occidi.

(F) *Vide Momenta Patrum superiùs allata Capite secundo paragr. primo hujusce Sect. litt.* (K)

Concil. Nicæn. *Can.* 35. *tom.* 2. *Concil. Labb. pag.* 326. Qui sunt ex secta Cudanorum, Cabariorum, et Calimeorum non oportet eos iterùm baptizare.

Can. 36. Idem quoque agendum est cum omnibus iis, qui firmiter et sanè in sanctissimam credunt Trinitatem, et baptismum, atque Ecclesiæ leges tenent ut reliqui Christiani orthodoxi.

Concil. Arelat. I. *an.* 314. *Can.* 8. De Afris quòd propriâ lege suâ utuntur ut rebaptizent, placuit, ut si ad Ecclesiam aliquis de hæresi venerit, interrogent eum symbolum, et si perviderint eum in Patre, et Filio, et Spiritu sancto esse baptizatum, manus ei tantùm imponatur, ut accipiat Spiritum sanctum. Quòd si interrogatus non responderit hanc Trinitatem, baptizetur.

S. Ignatius Martyr. *in Epist. ad Philippenses ipsi falsò adscriptâ.* Unus autem etiam Spiritus sanctus, qui operabatur in Moïse et Prophetis, et Apostolis. Unum quoque et baptisma, quod datur in morte Christi. Una itaque Ecclesia etiam esse debet, et una fides quæ est in Christo.

Lege lib. 3. *et* 4. *de Baptismo contra Donatistas, in quibus id unum probare intendit* S. Augustinus Baptisma ab Hæreticis et Schismaticis datum nunquam esse iterandum. *Ex aliis verò libris hæc pauca exscripsimus.*

S. Aug. *contra Epist. Parmen. lib.* 2. *cap.* 13. *n.* 29. Sed et si nullâ necessitate usurpetur (*Baptismus,*) et à quolibet cuilibet detur, quod datum fuerit non potest dici non datum, quamvis rectè dici possit illicitè datum... Non tamen pro non dato habebitur ; neque ullo modo per devotum militem, quod à privatis usurpatum est, signum regale violabitur.... Aut si quisquam, sive desertor, sive qui nunquam omninò militavit, notâ militari privatum aliquem signet, nonne ubi fuerit deprehensus, ille signatus pro desertore punitur, et eò graviùs quò probari potuerit nunquam omninò militasse, simul secum punito, si eum prodiderit, audacissimo signatore ? Aut si fortè illum militiæ caracterem in corpore suo, non militans pavidus exhorruerit, et ad clementiam Imperatoris confugerit, ac prece fusâ et impetratâ jam veniâ militare jam cœperit, nunquid homine liberato atque correcto caracter ille repetitur, ac non potiùs agnitus approbatur ? An fortè minùs hærent sacramenta Christiana, quàm corporalis hæc nota, cùm videamus nec apostatas carere baptismate, quibus utique per pœnitentiam redeuntibus non restituitur, et ideò amitti non posse judicatur.

Cap. 16. *n.* 35. *Qui*, inquit, « malè credidit, consequi non potest bap» tismi sacramentum : quia scriptum est,* (*Eccli.* I. 15.) Perversum non » potes adornare. » Quid si ergo apud eos quispiam baptizatus fuerit, qui putaverat, verbi gratiâ, Christum ex eo esse cœpisse, ex quo secundùm carnem de Virgine Maria natus est ; postea veritatis sermone commonitus, cùm comperisset ipsum esse de quo Joannes, ait (I. 1.) « In principio » erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat verbum ; *de* » *quo consequenter ait :* (*Ibid.* 14.) Verbum caro factum est, et habitavit

I. Quid ergo facto opus est cùm dubitatur de alicujus baptismo ?

R. Si legitimum dubitandi fundamentum adsit, sub conditione baptizandum, ex hodierno Ecclesiæ ritu his verbis: *Si non es baptizatus, ego te baptizo In nomine Patris* †, *et Filii* †, *et Spiritûs* † *sancti.*

Id, inquam, ex hodierno Ecclesiæ ritu. Antiquitùs enim absolutè et sine conditione baptizabantur quos non constabat fuisse baptizatos : quia *quod non ostenditur gestum, ratio non sinit, ut videatur iteratum*, inquit S. Leo. (*Epist.* 2. *aliàs* 92. *ad Rust. Narbon. Epist. Quæst.* 16.)

I. Potestne gratia baptismi amitti ?

R. Potest : et reipsâ amittitur per peccatum lethale ; quo quidem damno vix majus aliud excogitari potest, nisi recuperetur.

I. Quid facto opus iis qui Baptismi gratiam amiserunt ?

R. Non aliud ipsis remedium adest quàm pœnitentia, quæ ideò dicitur altera post naufragium tabula.

» in nobis : » fateretur eis suum pristinum errorem, atque in eo se fuisse cùm baptizaretur sollicitus indicaret, juberent eum denuò baptizari ? Nunquam utique facerent : sed hominibus imperitam simplicitatem carnali opinione priùs depravatam, veritatis ratione correctam gratularentur : aut si etiam talis perversitas pertinaciter ei defendenda videretur, et diu reluctatus neque correctus, etiam de Ecclesia pelleretur, et posteà cognitâ veritate remearet, pœnitentiâ utique curandum esse censerent, non iteratione baptismatis vulnerandum ; quamvis in corde se habuisse fateretur etiam illo tempore quo apud ipsos fuerat baptizatus. Perversum ergo non potes adornare, quia non ei ad ornamentum valeret sacramentum quod acceperat, si in fide perversa persisteret, sed potiùs ad supplicium : cùm tamen ipsum sacramentum per se, etiam in perverso quem non ornabat, sed judicabat, integrum permaneret; et ideò nullomodo esset illius sacramenti violanda sanctitas, etiam cùm esset illius hominis corrigenda perversitas

De Bapt. cont. Donatist. lib. 2. *cap.* 7. *n.* 12. Nolite ergo nobis auctoritatem objicere Cypriani ad baptismi repetitionem: sed tenete nobiscum exemplum Cypriani ad unitatis conservationem. Nondum enim erat diligenter illa Baptismi quæstio pertractata, sed tamen saluberrimam consuetudinem tenebat Ecclesia, in ipsis quoque scismaticis et hæreticis corrigere quod pravum est, non iterare quod datum est; sanare quod vulneratum est, non curare quod sanum est. Quam consuetudinem credo ex Apostolica traditione venientem : sicut multa quæ non inveniuntur in litteris eorum, neque in Conciliis posteriorum, et tamen quia per universam custodiuntur Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita et commendata creduntur.

De unic. Bapt. cont. Petil. lib. 1. *cap.* 3. *n.* 4. Cùm ad nos venit schismaticus vel hæreticus, ut Catholicus fiat, schisma ejus et hæresim dissuadendo et destruendo rescindimus : sacramenta verò Christiana si eadem in illo invenimus, et quidquid aliud veri tenet, absit ut violemus, absit ut, si semel data novimus, iteremus ; ne dum vitia humana curamus, divina medicamenta damnemus ; aut quærendo sanare quod vulneratum non est, hominem sanctum et ubi sanus est, vulneremus, Proindè si de aliqua re ad fidem Christianam et Catholicam pertinente, si denique de ipsa etiam Trinitatis unitate dissentientem hæreticum invenio, et tamen Evangelicâ et Ecclesiasticâ regulâ baptizatum ; intellectum hominis corrigo, non Dei violo sacramentum.

Enarr. in Psal. XXXX. *n.* 1. *versùs finem.* Baptismus ille tanquam character infixus est : ornabat militem, convincit desertorem.

§. 4. De susceptoribus è sacro fonte Baptismatis ; qui vulgò Patrini et Matrinæ dicuntur.

I. Cur dantur Patrinus et Matrina baptizandis ?

R. 1. Ut ipsi baptizandos Ecclesiæ offerant. 2. Ut nomen imponant, sintque testes baptismatis. 3. Ut pro baptizando, si sit infans, respondeant Ecclesiæ ; sintque veluti fidejussores et vades promissorum solemnium quæ ab ipsis pro infante spondentur : (A)

(A) TERTULL. *de Bapt. cap.* 18. Quid enim necesse est sponsores etiam periculo ingeri ? Quia et ipsi per mortalitatem destituere promissiones suas possunt, et proventu malæ indolis falli.

Passio SS. VICTOR. ALEXAND. *etc. ann.* 290. *vel* 303. *in Act. Martyr. sinceris apud* THEODOR. RUINART, *pag.* 303. Milites ergo claritatem tanti cernentes fulgoris, ad pedes sancti cernui procidunt, veniam flagitant, baptismum petunt. Quos pro tempore diligenter instructos, adscitis sacerdotibus, ipsâ nocte ad mare duxit, ibique baptizatos propriis manibus de fonte levavit.

S. AUG. *Epist.* 98. *aliàs* 23. *ad Bonifac. n.* 7. « Quid est illud quod quando » ad Baptismum offeruntur, pro eis parentes tanquam fidedictores respon- » dent, et dicunt illos facere, quod illa ætas cogitare non potest ; aut si » potest, occultum est ? Interrogamus enim eos à quibus offeruntur, et » dicimus, Credit in Deum ? De illa ætate, quæ utrum sit Deus, ignorat, » respondent, Credit : et ad cætera sic respondetur singula, quæ quæruntur. Undè miror parentes in istis rebus, tam fidenter pro parvulo respon- » dere, ut dicant eum tanta bona facere, quæ ad horam quâ baptizatur, » baptizator interrogat, tamen eâdem horâ si subjiciam, erit castus qui » baptizatur, aut non erit fur : nescio utrum audet dicere aliquis, Aliquid » horum erit, aut non erit : sicut mihi sine dubitatione respondet, quod » credat in Deum, et quòd se convertat. »

Huic quæstioni sic respondet August. n. 9. Sacramentum fidei fides est. Nihil est autem aliud credere, quàm fidem habere. Ac per hoc cùm respondetur parvulus credere, qui fidei nondum habet affectum, respondetur fidem habere propter fidei sacramentum, et convertere se ad Deum propter conversionis sacramentum, quia et ipsa responsio ad celebrationem pertinet sacramenti.

S. DIONYS. *de Eccles. Hierarch. cap.* 2. Qui autem horum, quæ verè cœlestia sunt, particeps fieri cupit, cùm ad aliquem eorum, qui initiati sunt adiit, suadet ille quidem, ut se rectà ad Pontificem ducat, ipse autem se omninò ea quæ tradentur, secuturum esse pollicetur : petitque ut ad eum adducatur, et vitæ omnis quam deinceps aget, curam suscipiat. Illum autem, qui ejus quidem salutis sanctâ cupiditate ducitur, sed cum rei magnitudine humanæ naturæ vires conferentem, horror quidem repentè, reique difficultas deterret, ad extremum tamen id quod petivit, benignè se facturum esse promittit, acceptumque eum ducit ad Pontificem... qui ad virum qui adest, venit, eumque interrogat, cur venerit. Ille posteaquàm pro suo in Deum amore juxta quod à susceptore suo fuerat edoctus Dei privationem, ignorationemque veri boni, atque (suam) actionis divinæ vitæ vacuitatem accusavit, petiitque ut eo quasi sequestre, Deo, et iis quæ ad Deum pertinent, potiatur : tùm ei exponit rationem perfectam, quâ ad Deum, qui perfectus integerque sit, accedendum est : explanatâque eidem divinâ vitâ, et ut ita dicam, conversatione, ex eo præterea quærit, num ita instituat vivere : cùm promisit, manum ejus capiti admovet ; (eoque) signo crucis consignato, sacerdotibus imperat, ut viri atque sponsoris nomina perscribant... Cumque Sacerdos aliquis ex tabula professionis, et eum, et sponsorem citat, hic quidem ad aquam à sacerdotibus ducitur, ad Hierarchæ manum ab eis manu ductus : Hierarcha autem in locò superiore stans, cùm rursùs sacerdotes ad aquas sub Hierarchæ manu, ejus qui initiatur, nomen citaverunt, ter quidem illum demergit, atque in tribus ejus qui initiatur demersionibus emersionibusque trium divinæ

I. Cur Patrini et Matrinæ dicuntur susceptores ?

R. Quia dum vigebat mos baptizandi per immersionem, horum officium erat baptizatos suscipere et levare de fonte baptismatis.

I. Debentne quilibet indiscriminatim recipi in susceptores?

R. Non debent : sed necesse est qui ad id muneris eliguntur eos esse 1. Catholicos, 2. Sacramento Chrismatis confirmatos, si fieri possit, 3. Benè doctos, 4. Probos. 5. Non debet ad illud muneris assumi pater vel mater baptizandi. (B)

beatitudinis personarum nomina appellat et invocat: acceptumque eum sacerdotes et sponsori et duci viæ permittunt.

S. JOAN. CHRYSOST. *in cap.* 5. *Gen. Hom.* 21. *pag.* 235. *Et Setho*, inquit, (*Gen.* IV. 26.) *factus est filius, et appellavit nomen illius Enos ; hic speravit invocare nomen Domini Dei.* Vidisti appellationem diademate clariorem, purpurâ meliorem? Quid fuerit illo beatius, qui invocatione Dei ornatur, idque pro nomine possidet? Vides id quod ab initio dicebam, et in parvis appellationibus magnas sententiarum divitias reconditas esse? Non solùm enim hic parentum monstratur pietas, sed et magna erga liberos diligentia. Et quomodo statim et à principio erudiebant puerulos qui ipsis nascebantur, admonentes appellationibus, quas illis imposuerant, ut virtutem exercerent? Et non sicut nunc fortuitò et absque causa nomina fiunt. Dicunt enim, Juxta nomen avi vel proavi nominetur puer : at prisci non ita, sed omnem operam adhibebant, ut talia natis imponerent nomina, quæ non solùm illos qui nomina sortiebantur, in virtutes adducerent, sed et alios omnes etiam qui sequentibus seculis futuri sunt, nullam non sapientiam docerent. Id quod sciemus si sermo aliquantò ampliùs processerit. Igitur nos neque quævis nomina pueris indamus, neque avorum et proavorum, et eorum qui genere clari fuerunt, nomina tribuamus : sed sanctorum virorum, qui virtutibus fulserunt, plurimaque apud Deum gratiâ valuerunt. Imò neque horum nominibus fidant vel parentes, vel pueri quibus talia nomina contingunt. Nihil enim prodest alicui vocabulum virtute vacuum, sed habenda est salutis exspectatio in omni virtutis operatione. Et neque in appellatione sublime sapere, neque in cognatione sanctorum virorum, neque in aliquo alio, sed in fiducia propriorum operum, imò neque in illis multùm de se sentire : sed tunc magis humilem et modestum esse oportet, cùm magnas virtutum divitias congerere possumus ; sic enim et ipsi collectas divitias custodiemus, et gratiam Dei nobis conciliabimus.

(B) CONCIL. PARISIENS. *cap.* 7. Quia illi in sua sponsione aliquos de sacrosancto fonte suscipiunt, nec fidei nec baptismatis sacramento sunt instructi : et idcircò eos quos suscipiunt, et secundùm sanctorum Patrum documenta docere debuerant, erudire nequeunt.

Lib. 6. *Capitularium* CAROLI MAGNI *cap.* 179. Placuit, ut instruantur fideles, qui parvulos de sacro fonte suscipere cupiunt, ut intelligant, et vim ejusdem sacramenti, et quid pro aliis sponponderunt, vel pro quo fidejussores exstiterunt : et sciant se nullo modo antea aliorum patres efficere, quàm supradicta discant et intelligant, seu reddant. Et si fidejussores pro terreno lucro damnari solent, quantò magis pro divino jure damnentur cavere oportet : illi tamen ab iis officiis removendi sunt, ne alios de sacro fonte in baptismate suscipiant, nec etiam ad percipiendum Spiritûs sancti donum aliorum patrini existant, qui et communione canonicâ privati, et publicæ pœnitentiæ sunt subacti, donec per pœnitentiam, satisfactionis reconciliationem mereantur : vel etiam illi qui tale peccatum commissum habent, pro quo publicè pœnitentiâ plectendi et ligandi sint.

CONCIL. MEDIOLAN. I. *sub S. Carol. const. part.* 2. *tit. de Bapt.* Curabitque, ut compatres tales deligantur, qui fidei et morum ratione suscipiendo muneri satisfacere possint. Caveant verò Parochi ne excommunicatos, vel eos qui eo anno Paschæ tempore, ex præcepto Ecclesiæ peccata confessi non fuerint, et sanctissimam Eucharistiam non sumpserint,

I. Cur susceptores debent esse Catholici?

R. 1. Quia qui sunt extra Ecclesiam jus non habent offerendi baptizandos ad Ecclesiam, et spondendi pro iis.

2. Ecclesia non communicat in orationibus et sacris ritibus cum excommunicatis vel infidelibus, quales sunt omnes non Catholici.

I. Cur decet susceptores esse sacro Chrismate confirmatos?

R. Quia decet perfectione vitæ Christianæ donatos jam esse eos qui baptizandos offerunt Ecclesiæ.

I. Quo genere doctrinæ imbutos esse opportet eos qui susceptorum officio funguntur?

R. Debent nosse præcipua Christianæ religionis mysteria, præcepta Dei et Ecclesiæ, præterea vim et significationem eorum quæ ipsi promiserunt Deo antequam baptismi gratiâ donarentur. Tenentur enim ipsi isthæc omnia docere eos quos de sacro Fonte suscipiunt: quomodo autem docebunt quod ipsi nesciunt?

I. Cur susceptores probos esse necesse est?

R. 1. Quia pravorum hominum sponsionem non admittit Ecclesia.

2. Quia parùm aptus est ad spondendum pro cæteris abrenuntiationem diabolo et pompis et operibus ejus, qui ipse suo exteriori habitu vel pravis moribus palàm demonstrat non abrenuntiasse se diaboli pompis et operibus. Et hæc quidem ratio est cur feminæ, quæ exteriori ornatu et cultu parùm ad modestiam composito, ad id muneris veniunt ad Ecclesiam, non sunt à Sacerdotibus admittendæ. Cæterùm ubi nihil est in exteriori habitu quod offendat, nihil in moribus quod scandalum pariat, non licet propter occulta peccata quemquam rejicere; quia nemo malus esse præsumitur, nec Ecclesia judicat de occultis.

I. Cur parentes non debent propriam prolem de sacro Fonte suscipere?

R. Propter spiritualem cognationem quæ ex illa sacrà susceptione oritur.

Hac spirituali cognatione fit ut non possit esse conjugium inter susceptores et susceptos de sacro Fonte, nec inter susceptores et suscepti parentes.

Quòd si extra casum evidentissimæ necessitatis parentes suam prolem de sacro Fonte susciperent, tenerentur ex multorum opinione abstinere à petendo conjugali debito, quousque fuisset cum ipsis ab Episcopo dispensatum. (C)

admittant ad levandum baptizatum de sacro fonte. *Eadem legere est in omnibus omnium Ecclesiarum Sacramentariis et Ritualibus.*

(C) *Vide suprà hujusce Capitis §. 2. litt.* (F)

Decret. GREGOR. IX. *lib. 4. Tit. 11. de Cognat. spirituali cap. 2.* Si vir vel mulier scienter, vel ignoranter filium suum de sacro fonte susceperit, an propter hoc separari debeant... Respondet quòd quamvis generaliter sit institutum ut debeant separari, quidam tamen humaniùs sentientes, aliter statuerunt. Ideò nobis videtur, quòd sive ex ignorantia, sive ex malitia id fecerint, non sunt ab invicem separandi, nec alter alteri

Hæc autem cognatio spiritualis locum habet solùm ubi Baptismus reipsâ collatus est, non autem ubi baptismo priùs collato suppletæ sunt sacræ Baptismi cæremoniæ.

I. Quænam sunt susceptorum officia erga filios spirituales?

R. Debent 1° Paternum erga ipsos gerere affectum.

2. Eorum institutioni Christianæ invigilare, id est, vel curare ut Christianè instituantur à parentibus, vel suscipere in se hanc institutionem, si parentes negligentiores in ea sint, aut imperitiores, aut fortè mortui.

3. Curare ut ipsi dum tempus erit accipiant sacramentum Confirmationis.

4. Exponere illis quid ipsi pro iis Ecclesiæ spoponderint, et curare ut promissiones illæ ab iis impleantur.

5. Pro illis orare assiduè. (D)

§. 5. Explicantur solemnes Baptismi Ritus et Cæremoniæ.

I. Cur foris exspectant ad limen Ecclesiæ, qui offeruntur baptizandi, ibique sistuntur à Sacerdote?

R. Quia indigni sunt qui introducantur in Ecclesiam, utpote qui præ originali peccato subjiciantur diabolo. (A)

I. Cur ter insufflat Sacerdos in faciem baptizandi?

R. Ut expellat ab eo diabolum per virtutem Spiritûs Dei. (B) Ter autem insufflat, idque in modum crucis, ut significetur non nisi in nomine sanctissimæ Trinitatis et per merita Christi crucifixi dæmonem expelli.

I. Cur Sacerdos signum crucis imprimit in fronte baptizandi?

R. Ut hoc signo significetur homini baptizando gloriandum esse in cruce Domini nostri Jesu Christi, nedùm erubescendum.

I. Quid hoc rei est erubescere crucem Christi, gloriari in cruce Christi?

P. Erubescit crucem Christi, qui non audet videri Christianus, et ita se gerere ut Christianum decet. Gloriatur in cruce Christi qui Christianum esse se palàm et voce et moribus profitetur.

debitum debet subtrahere, nisi ad continentiam servandam possint induci: quia si ex ignorantia id factum est, eos ignorantia excusare videtur: si ex malitia, eis sua fraus non debet patrocinari vel dolus. *Cætera lege ibidem.*

CONCIL. TRIDENT. *Sess.* 24. *cap.* 2. *de Reformat. matrim. Vide suprà* §. 2. *hujusce Cap. litt.* (E)

(D) CONCIL. MEDIOLAN. I. *sub S. Carolo part.* 2. *Tit. de Bapt.* Deindè compatres moneat... teneri se pro suo susceptionis officio, eos Catholicâ fide, et probatis moribus instituere, si parentes id facere omiserint.

(A) *Instruct.* S. CAROL. *de Sacram. admin. actor. parte* 4. *pag.* 412. Ante fores Ecclesiæ, qui Baptismo initiandi sunt offeruntur, proplerea quod indigni sint, qui more fidelium, domum Dei, antequàm Christo Domino se addixerint, ingrediantur.

(B) S. AUG. *Serm.* 1. *de Symb. ad Catech. cap.* 1. *n.* 2. Sicut nostris et parvuli exsufflantur et exorcizantur, ut pellatur ab eis Diaboli potestas inimica, quæ decepit hominem, ut possideret homines. Non ergo creatura Dei in infantibus exorcizatur aut exsufflatur: sed ille sub quo sunt omnes qui cum peccato nascuntur, est enim princeps peccatorum.

I. Cur Sacerdos crucem Christi imprimit in pectore baptizandi ?

R. Ut hoc signo significetur diligendam esse crucem Christi et doctrinam Christi crucifixi, spemque omnem et fiduciam in Christo Crucifixo collocandam.

I. Cur signat sæpiùs iterato signo crucis baptizandum Sacerdos ?

R. Ut significetur Baptismum vim omnem habere à cruce Christi, id est, à meritis Christi crucifixi.

I. Cur baptizandis imponitur nomen Sancti alicujus ?

R. Ut Sanctum illum sumant sibi in exemplum vitæ et in protectorem apud Christum.

I. Cur tot fiunt super eos exorcismi ?

I. Ut expellatur ab iis diabolus, sub cujus potestate sunt per peccatum originale. (C)

(C) S. CYPRIAN. *Epist.* 69. *aliàs* 76. *versùs finem.* Cùm tamen ad aquam salutarem, atque ad Baptismi sanctificationem venitur, scire debemus et fidere quia illic Diabolus opprimitur, et homo Deo dicatus divinâ indulgentiâ liberatur.

S. GREGOR. NAZIANZ. *Orat.* 40. *p.* 643. Si per avaritiam te oppugnet (Diabolus,) dic, signaculo fretus, Ipse quoque Dei imago sum : nondum, ut tu, à superna gloria propter superbiam dejectus sum. Christo indutus sum : in Christo transmutatus sum : tu me ipse adora. His verbis, mihi crede, ut à Christo primo lumine, ita ab iis qui ab ipso illuminati sunt, victus ac pudefactus recedet. Hæc beneficia iis lavacrum affert, qui ipsius vim agnoscunt : has iis, qui laudabili fame correpti sunt, epulas proponit. Baptizemur itaque, ut victoriam assequamur : lustralium aquarum participes simus, quæ et hyssopum extergendi facultate superant.

Pag. 663. Excessit à te impurus et crassus Spiritus, per Baptismum ejectus ac profligatus.

S. OPTAT. *Lib.* 4. *adv. Parm. paulò post med.* Quamvis (infans) de parentibus Christianis nascatur, sine spiritu mundi esse non possit, quem necesse sit ante salutare lavacrum, ab homine excludi et separari. Hoc exorcismus operatur, per quem spiritus immundus depellitur, et in loca deserta fugatur : et domus vacua in pectore credentis, fit domus munda : intrat Deus et habitat ; Apostolo dicente : (1. *Cor.* III. 16.) *Vos estis Templum Dei, et in vobis Deus habitat.*

S. CYRILL. HIEROSOLYM. *in Catech. prœemiali.* Exorcismos studiosè suscipe, etiamsi inspiratus jam sis, et exorcizatus : salubris enim est tibi res ista. Nam ut rude, infectumque aurum, vel adulteratum, multisque aliis commixtum mineris, uti cum ære, stanno, ferro, plumbo, si cupimus aurum tantùm habere, non poterit illud sine igne ab diversis à se metallis purgari : sic absque exorcismis anima purgari non poterit. Divini enim sunt, ex divinisque scripturis collecti.... Cùm exorcistæ per Spiritum sanctum inculiunt timorem, et in corpore, tanquam in fornace, animam accendunt : fugit tunc inimicus Dæmon, adest autem salus, et spes vitæ æternæ assistit : Denique anima repurgata à peccatis, salutem consequitur.

S. CÆLESTIN. PP. *in Epist. ad Episc. Galliæ tom.* 10. *oper.* S. AUG. *in Appendice, cap.* 12. Illud etiam quod circa baptizandos in universo mundo sancta Ecclesia uniformiter agit, non otioso contemplemur intuitu, cùm sive parvuli, sive juvenes ad regenerationis veniunt sacramentum, non priùs fontem vitæ adeunt, quàm exorcismis et exsufflationibus Clericorum spiritus ab eis immundus abigatur : ut tunc verè appareat, quomodo, (*Joan.* XII. 31.) Princeps mundi hujus mittatur foràs, et quomodo (*Matth.* XII. 21. *Marc.* III. 27.) priùs alligetur fortis, et deinceps vasa ejus diripiantur, in possessionem translata victoris, qui (*Ephes.* IV. 8.) *captivam ducit captivitatem et dat dona hominibus.*

I. **Cur fiunt et illi exorcismi super eos qui urgente necessitate jam baptizati sunt sine solemnitate, adeoque jam à servitute diabolica liberati, participes effecti sunt adoptionis divinæ ?**

R. **Fiunt illis exorcismi, non ut ab iis expellatur diabolus, sed ut arceatur ; ne ad eos accedat, ne iis noceat.** (D)

I. **Quo nomine appellantur qui nomen Ecclesiæ dederunt, vel ipsi oblati sunt, baptizandi ?**

S. Aug. *de Peccat. orig. cont. Pelag. et Cœlest. cap.* 40. *n.* 45. Denique ipsa Ecclesiæ sacramenta, quæ tam priscæ traditionis auctoritate concelebrat, ut ea isti, quamvis in parvulis existiment simulatoriè potiùs quàm veraciter fieri, non tamen audeant apertà improbatione respuere : ipsa, inquam, sanctæ Ecclesiæ sacramenta satis indicant, parvulos à partu etiam recentissimos per gratiam Christi de diaboli servitio liberari. Excepto enim quòd in peccatorum remissionem, non fallaci, sed fideli mysterio baptizantur, etiam priùs exorcizatur in eis et exsufflatur potestas contraria : cui etiam verbis eorum à quibus portantur, se renuntiare respondent. Quibus omnibus rerum occultarum sacratis et evidentibus signis, à captivatore pessimo ad optimum redemptorem transire monstrantur : qui pro nobis infirmitate susceptâ, (*Matth.* xii. 29.) alligavit fortem, ut vasa ejus criperet : quia infirmum Dei (1. *Cor.* i. 25.) non solùm hominibus, verùm et Angelis fortius.

De Nupt. et concupisc. lib. 1. *cap.* 20. *n.* 22. Non enim fides dubitat Christiana, quam novi hæretici oppugnare cœperunt, et eos qui lavacro regenerationis abluuntur, redimi de Diaboli potestate : et eos qui nondum tali regeneratione redempti sunt, etiam parvulos filios redemptorum sub ejusdem Diaboli esse potestate captivos, nisi et ipsi eâdem Christi gratiâ redimantur. Ad omnes namque pertinere non dubitamus ætates, illud de quo Apostolus loquitur (*Coloss.* i. 13.) beneficium Dei : *qui eruit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in Regnum filii charitatis suæ.* Ab hac igitur potestate tenebrarum, quarum est Diabolus princeps, id est, à potestate Diaboli et angelorum ejus, quisquis erui cùm baptizantur negaverit parvulos, ipsorum Ecclesiæ sacramentorum veritate convincitur, quæ nulla hæretica novitas in Ecclesia Christi auferre vel mutare permittitur, regente atque adjuvante capite totum corpus suum, pusillos cum magnis. In veritate itaque non in falsitate, postestas diabolica exorcizatur, in parvulis : eique renuntiant, quia per sua non possunt, per corda et ora gestantium : ut eruti à potestate tenebrarum in Regnum sui Domini transferantur.

Lib. 2. *cap.* 29. *n.* 50. Perfectè Pelagianus est, qui malum originale non credit. Neque enim ex quo esse cœpit Manichæi pestilentiosa doctrina, ex illo cœperunt in Ecclesia Dei parvuli baptizandi exorcizari et exsufflari, ut ipsius mysteriis ostenderetur non eos in regnum Christi nisi erutos à tenebrarum potestate transferri : aut in libris Manichæi legitur, quòd (*Luc.* xviii. 10.) venerit *filius hominis quærere et salvare quod perierat :* aut quòd (*Rom.* v. 12.) *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit :* et cætera ad eamdem sententiam pertinentia, quæ suprà commemoravimus.

(D) *Rituale Paris.* sub Eminent. Card. Ludov. Ant. de Noailles, *ann.* 1697. *pag.* 49, *in Ord. supplendi cæremonias.* La Benediction de l'eau nous fait voir que cet élément est consacré pour servir à notre sanctification : l'Exorcisme ; Que nous sommes délivrés de la servitude du démon : le Souffle ; Que nous recevons par le saint Esprit, dans la régénération, une autre vie que celle que reçut dans la création le premier Adam : l'Onction : Que nous sommes dédiés pour être ses temples vivans : le Signe de la Croix ; Que nous sommes marqués au caractère de Jésus-Christ : le Chresme ; Que nous avons part à sa Royauté et son Sacerdoce : l'Habit blanc ; Que nous sommes entrés dans l'innocence, et que nous devons mener une vie pure et sans tache ; et enfin le Cierge allumé ; Que nous sommes passés des ténèbres à la lumière, pour aller au-devant de l'Epoux, et pour l'accompagner à ses nôces éternelles.

R. Vocantur *Catechumeni.* Quæ vox è Græco sermone derivata significat hominem præceptis et institutionibus magistri subjacentem. Adulti enim baptismum postulantes, quorum magnus olim numerus fuit, imbuebantur sedulò præceptis fidei et morum antequam ad Baptismi gratiam admitterentur, et interea propter illas institutiones Catechumeni dicebantur. Jam Catechumeni dicuntur et infantes baptizandi, quia quod fiebat olim Catechumenis adultis, hoc fit jam et infantibus baptizandis, excepto catechismo cujus nondum per ætatem sunt capaces.

§. 6. Continuatio Paragraphi superioris de Ritibus Baptismi.

I. Cur immittit Sacerdos modicum salis in os Catechumeni?

R. Sal symbolum est sapientiæ. Immittitur ergo sal in os Catechumeni, ut significetur postulari sapientiam Catechumeno et saporem rerum cœlestium. (A)

I. Cur Sacerdos salivà oris sui tangit aures Catechumeni?

R. Imitatur in eo Ecclesia actionem Christi, qui salivà suâ hominem surdum et mutum sanavit. Ideoque ipsis Christi verbis utitur. Tunc enim Sacerdos Christi vice fungens ait (*Marc.* VII. 34.), *Ephpheta*, *quod est adaperire.* Postulat nimirùm his verbis, ut Catechumenus aures apertas habeat ad vocem Dei, et nares ad percipiendam veritatis suavitatem. (B)

(A) S. Aug. *Confess. Lib.* 1. *cap.* 11. *n.* 17. Signabar jam signo crucis, et condiebar ejus sale, jam indè ab utero matris meæ.

Lib. de Catech. rudibus cap. 26. *n.* 50. De Sacramento salis quod accipit, cùm ei benè commendatum fuerit, signacula quidem rerum divinarum esse visibilia, sed res ipsas invisibiles in eis honorari; nec sic habendam esse illam speciem benedictione sanctificatam, quemadmodum habetur in usu quolibet: dicendum etiam quid significet et sermo ille quem audivit, quid in illo condiat, cujus illa res similitudinem gerit.

Lib. 2. *de peccat. meritis et remiss. cap.* 26. *n.* 42. Non unius modi est sanctificatio: nam et Catechumenos secundùm quemdam modum suum per signum Christi et orationem manûs impositionis puto sanctificari: et quod accipiunt, quamvis non sit corpus Christi, sanctum est tamen, et sanctius quàm cibi quibus alimur, quoniam sacramentum est.

Concil. Carthaginense III. *Can.* 5. *ann.* 397. Item placuit, ut etiam per solemnissimos Paschales dies Sacramentum catechumenis non detur, nisi solitum sal; quia si fideles per illos dies Sacramentum non mutant, nec Catechumenis oportet mutari.

S. Isidor. Hispal. *Lib.* 2. *Offic. Eccles. cap.* 20. Exorcizantur autem baptizandi primùm, deinde salem accipiunt, et unguntur. Exorcismus autem sermo increpationis est contra immundum spiritum in Energumenis sive Catechumenis factus, per quem ab illis diaboli nequissima virtus et inveterata malitia vel violenta incursio expulsa fugetur.... Potestas autem diaboli exorcizatur, et insufflatur in eis, ut ei renuntient, atque eruti à potestate tenebrarum, in regnum sui Domini per Sacramentum Baptismatis transferantur. Quod quia parvuli per se renuntiare non possunt, per corda et ora gestantium adimpletur. Sales autem in ministerio Catechumenis dandos, à Patribus ideò est institutum, ut eorum gustu condimentum sapientiæ percipiant, neque dissipentur à sapore Christi, nec sint fatui, et retrò respiciant.... quo signo condirentur hi qui per fidem mundo et actibus desideriisque ejus renuntiant, ut affectionis pristinæ non recordentur, neque ad seculi illecebras revocentur.

(B) S. Ambros. *Lib. de Myst. cap.* 1. *n.* 3. Aperite igitur aures, et bonum odorem vitæ æternæ inhalatum vobis munere Sacramentorum carpite:

I. Cur susceptores cùm fuerint Ecclesiam ingressi cum infante baptizando, recitant Symbolum Apostolorum, et præterea pluribus in locis Orationem Dominicam?

R. Symbolum et Orationem Dominicam recitant nomine Catechumeni quem offerunt, qui si adultus foret redderet ipse ex prisco more Symbolum et Orationem Dominicam. Symbolum quidem, quia neminem ad fidei Sacramentum recipit Ecclesia nisi credat in Christum, teneatque Catholicam fidem. (C) Orationem verò Dominicam, quia hanc orandi formulam à Christo ipso traditam Ecclesia vult ab omnibus filiis suis memoriter teneri.

I. Cur introducitur Catechumenus in Ecclesiam dum recitatur Symbolum fidei?

R. Ut intelligatur solà veræ fidei professione patere aditum ad Ecclesiam, ad Baptismum, ad gloriam cœlestem.

I. Quid exigit Ecclesia à Catechumeno antequam admittatur ad Baptismi gratiam?

R. Solemnes ab eo promissiones exigit, nimirùm ut abrenuntiet Satanæ, et omnibus pompis ejus, et omnibus ope-

quod vobis significavimus, cùm apertionis celebrantes mysterium diceremus (*Marc.* VII. 34.) : *Ephpheta*, *quod est adaperire*; ut venturus unusquisque ad gratiam quid interrogaretur, cognosceret : quid responderet, meminisse deberet.

N. 4. Hoc mysterium celebravit Christus in Evangelio, sicut legimus, cùm mutum curaret et surdum.

Lib. 1. *de Sacrament. cap.* 1. *n.* 2. Ergo quid egimus sabbato? Nempe apertionem : quæ mysteria celebrata sunt apertionis, quando tibi aures tetigit Sacerdos et nares : quod significat in Evangelio (*Ibid.*) Dominus noster Jesus Christus, cùm ei oblatus esset surdus et mutus, et tetigit aures ejus et os ejus : aures, quia surdus erat; os, quia mutus; et ait : *Ephpheta*. Hebraïcum verbum est, quod Latinè dicitur adaperire. Ideò ergo tibi Sacerdos aures tetigit, ut aperirentur aures tuæ ad sermonem, et ad alloquium Sacerdotis.

N. 3. Sed dicis mihi : Quare nares? Ibi quia mutus erat, os tetigit; ut quia loqui non poterat Sacramenta cœlestia, vocem acciperet à Christo : et ibi, quia vir; hic, quia mulieres baptizantur, et non eadem puritas servi, quanta et Domini : (cùm enim ille peccata concedat, huic peccata donentur, quæ potest esse comparatio?) Ideò propter gratiam operis et muneris non os tangit Episcopus, sed nares; ut bonum odorem accipias pietatis æternæ, et ut dicas : *Christi enim bonus odor sumus Deo*, quemadmodum dixit Apostolus sanctus (2. *Cor.* II. 15.), et sit in te fidei devotionisque plena fragrantia.

(C) S. Aug. *Serm.* 1. *de Symb. ad Catech. cap.* 1. *n.* 1. Accipite filii regulam fidei, quod Symbolum dicitur : et cùm acceperitis, in corde scribite, et quotidie dicite apud vos : antequam dormiatis, antequam procedatis, vestro Symbolo vos munite. Symbolum nemo scribit ut legi possit : sed ad recensendum, ne fortè deleat oblivio quod tradidit diligentia, sit vobis codex vestra memoria : quod audituri estis, hoc crediturí : et quod credideritis, hoc etiam linguâ reddituri. Ait enim Apostolus (*Rom.* X. 10.), *corde creditur ad justitiam*, *ore autem confessio fit ad salutem*. Hoc est enim Symbolum, quod recensuri estis et reddituri. Ista verba quæ audistis, per divinas Scripturas sparsa sunt : sed indè collecta et ad unum redacta, ne tardorum hominum memoria laboraret; ut omnis homo possit dicere, possit tenere quod credit. Numquid enim modò solummodo audistis, quia Deus omnipotens est? Sed incipitis eum habere Patrem, quando nati fueritis per Ecclesiam matrem.

V. 2. Indè ergo jam accepistis, meditati estis, et meditati tenuistis, ut dicatis, Credo in Deum Patrem omnipotentem.

ribus ejus : et uni Deo et Christo per rectam fidem adhærere se profiteatur. Si autem Catechumenus infans sit, id susceptores ejus vice promittunt. (D)

(D) TERTULL. *Lib. de coron. mil. cap.* 3. Aquam adituri, ibidem, sed et aliquantò priùs in Ecclesia sub Antistitis manu contestamur nos renuntiare diabolo, pompæ et angelis ejus. Dehinc ter mergitamur, ampliùs aliquid respondentes, quàm Dominus in Evangelio determinavit. Indè suscepti, lactis et mellis concordiam prægustamus, exque ea die lavacro quotidiano per totam hebdomadem abstinemus.

Lib. de Spectacul. cap. 24. (Nihil enim non diaboli est, vel quidquid Dei non est, vel Deo displicet,) hoc erit pompa diaboli, adversùs quam in signaculo fidei ejeramus. Quod autem ejeramus, neque facto, neque dicto, neque visu, neque prospectu participare debemus. Cæterùm nonne ejeramus et rescindimus signaculum, rescindendo testationem ejus?

S. BASIL. *Lib. de Spiritu sanct. cap.* 11. Professi sunt se credere in Patrem et Filium et Spiritum sanctum, cùm renuntiantes diabolo et angelis ejus salutiferam illam vocem ediderunt. Quod igitur istis dignum vocabulum repertum est à filiis lucis? Nonne perfugæ ac prævaricatores appellantur, ut qui sua salutifera pacta violarint?

Cap. 27. Consecramus autem aquam baptismatis, et oleum unctionis, præterea ipsum qui Baptismum accipit, ex quibus scriptis? nonne à tacita secretaque traditione? Ipsam porrò olei inunctionem, quis sermo scripto proditus docuit? Jam ter immergi hominem, undè est traditum? reliqua item quæ fiunt in baptismo, veluti renuntiare Satanæ et angelis ejus, ex qua scriptura habemus? nonne ex privata et arcana hac traditione.

S. JOAN. CHRYS. *Homil.* 21. *ad popul. Antioch. versùs finem.* Volis illius recorderis, quam dum sacris initiareris, emisisti: Abrenuntio tibi Satana, et pompæ tuæ, et cultui tuo. Circa margaritarum enim cultum insania, est pompa satanica. Aurum enim cepisti, non ut corpus vincias, sed ut pauperes solvas, et enutrias. Dic igitur continuè, Abrenuntio tibi Satana. Nihil hac tutius voce, si ipsam per opera exhibeamus. Hanc et vos initiandi discutatis obsecro. Hæc enim vox confœderatio cum Domino est: et sicut nos servos ementes, ipsos qui venduntur, priùs interrogamus an nobis servire velint: ita facit et Christus, quando debet te in servitutem capere, priùs interrogat an velis illum crudelem tyrannum dimittere et immitem: et ad fœdera suscipit: non enim coactum est ipsius imperium. Et vide benignitatem.... Christus pretium erogavitpro omnibus nobis pretiosum sanguinem suum: *pretium enim*, inquit (1. *Cor.* IV. 20.) *empti estis magno*: et tamen neque sic cogit sibi servire nolentes. Sed nisi gratiam habeas, et à teipso et sponte ejus vel dominatui adscribi, Non cogo, inquit, neque compello.... Et post hæc omnia non testes à nobis, non chirographa exigit, sed solà contentus est voce: et si dicas ex corde, Abrenuntio tibi Satana, et pompæ tuæ, totum recepit. Hoc igitur dicamus, Abrenuntio tibi Satana: tanquam in illa die hujus vocis rationem reddituri; et ipsam custodiamus, ut salvum tunc reddamus depositum. Pompa verò satanica sunt, theatra, circenses, et omne peccatum, et dierum observatiò, et præsagia, et omina.

S. GREGOR. NAZIAN. *Orat.* 40. *pag.* 641. Nam ut compendio dicam, nihil aliud esse vim et facultatem Baptismi existimare debemus, quàm secundæ vitæ ac purioris vivendi rationis pactum cum Deo initum. Ac proinde vel maximo in metu omnes esse, atqui omni custodiâ nostras animas servare debemus, ne hoc pactum violasse comperiamur. Nam cùm ad mutua hominum pacta firmanda Deus medius adhiberi soleat, quantum quæso periculum est ne fœdera cum Deo ipso contracta perfregisse reperiamur, ac, præter alia peccata, ipsius quoque mendacii apud veritatis tribunal rei peragamur?

S. AMBROS. *Libr. de myst. cap.* 2. *n.* 5. Post hæc reserata tibi sunt Sancta Sanctorum, ingressus es regenerationis sacrarium: repete quid interrogatus sis, recognosce quid responderis. Renuntiasti diabolo et operibus ejus, mundo et luxuriæ ejus ac voluptatibus. Tenetur vox tua, non in tumulo mortuorum, sed in libro viventium.

I. Cur promissiones illæ exiguntur à Catechumeno ?

R. Quia per Baptismum fit quasi contractus Deum inter et hominem. Spondet homo abrenuntiare se Satanæ et omnibus pompis operibusque ejus, et adhærere se Christo. Spondet Deus daturum se vitam æternam baptizato, si stet ille promissis suis.

I. Quis sensus est verborum quibus sponsiones illæ hominis baptizandi continentur ?

R. Abrenuntio Satanæ : id est, solemniter spondeo me jam nunc ita diaboli partes deserere, ut nullam deinceps cum eo societatem habere velim.

Et omnibus pompis ejus : id est, omnibus mundi vanitatibus et pravis opinionibus.

Et omnibus operibus ejus : id est, omnibus peccatis.

Credo in Deum Patrem.... Et in Jesum Christum.... Et in

N. 6. Vidisti illic Levitam, vidisti Sacerdotem, vidisti summum Sacerdotem.... Præsentibus Angelis locutus es, sicut scriptum est (*Malach.* II. 17.) : *Qui labia Sacerdotis custodiunt scientiam, et legem exquirunt ex ore ipsius ; quoniam Angelus est Domini omnipotentis.* Non est fallere, non est negare : Angelus est qui regnum Christi et vitam æternam annuntiat. Non specie tibi æstimandus sit, sed munere. Quid tradiderit considera, usum ejus expende, et statum ejus agnosce.

N. 7. Ingressus es igitur ut adversarium tuum cerneres, cui renuntiandum in os putaris : ad orientem converteris ; qui enim renuntiat diabolo, ad Christum convertitur, illum directo cernit obtutu.

Lib. 1. *de Sacram. cap.* 2. *n.* 4. Venimus ad fontem, ingressus es : Considera quos videris, quid locutus sis considera, repete diligenter. Occurrit tibi Levita, occurrit Presbyter : unctus es quasi athleta Christi, quasi luctam hujus seculi luctaturus, professus es luctaminis tui certamina.

N. 5. Quando te interrogavit : Abrenuntias diabolo et operibus ejus, quid respondisti ? Abrenuntio. Abrenuntias seculo et voluptatibus ejus, quid respondisti ? Abrenuntio. Memor esto sermonis tui et nunquam tibi excidat tuæ series cautionis. Si chirographum homini dederis, teneris obnoxius, ut pecuniam ejus accipias : teneris adstrictus, et reluctantem te fenerator adstringit ; si recusas, vadis ad Judicem, atque illic tuâ cautione convinceris.

N. 6. Ubi promiseris considera, vel quibus promiseris. Levitam vidisti, sed minister est Christi. Vidisti illum ante altaria ministrare. Ergo chirographum tuum tenetur non in terra, sed in cœlo.

N. 8. Ergo abrenuntiasti mundo, abrenuntiasti seculo, esto sollicitus. Qui pecuniam debet, semper cautionem suam considerat : et tu qui fidem debes Christo, fidem serva, quæ multò pretiosior quàm pecunia est ; fides enim æternum patrimonium est, pecunia temporale. Et tu ergo semper recordare quid promiseris ; et eris cautior. Si teneas promissionem tuam tenebis et cautionem tuam.

S. AUGUST. *seu* AUCTOR *Serm.* 2. *de Symb. ad Catech. n.* 2. Si adjutorium nostrum in nomine ejus est : renuntiemus diabolo, pompis et angelis ejus. Hoc audistis, hoc et vos professi estis, renuntiare vos diabolo, et pompis et angelis ejus. Videte, dilectissimi, qui hanc professionem vestram in curiam profertis Angelicam : nomina profitentium in libro excipiuntur vitæ, non à quolibet homine, sed à superiore cœlitùs potestate.

S. CYRILL. *Catech. mystag.* 1. Primùm ingressi estis in porticum domûs baptisterii, et stantes versùs Occidentem, mandari vobis audistis, ut protensâ manu, tanquam præsenti Satanæ renuntiaretis.... Verumtamen audi, quod nutu manûs, tanquam ad præsentem dicitur : *renuntio tibi Satanæ....* Doceris mox et alteram renuntiationis partem addere : *et omnibus tuis operibus....* Posteà dicis : *et omni pompæ illius....* dicis prætereà : *et omni tuo cultui.*

Spiritum Sanctum, etc. id est, uni Deo trino adhærere volo : quidquid revelavit credere me profiteor ; Christum doctorem et magistrum sequor, illius mores et doctrinam amplector, illius me discipulis accenseo.

I. Expeditne renovari interdùm à Christianis factas in Baptismo sponsiones ?

R. Eas sæpiùs renovari expedit ; tum ut illas in memoriam revocando excitemur ad eas sanctiùs adimplendas ; tum ut hac sæpiùs iteratâ sponsione moveamur ad reparandum, si quid fortè à nobis hac in parte peccatum est. (E)

I. Quo maximè tempore has sponsiones renovari à nobis expedit ?

R. 1. Qui pueros vel puellas erudiunt, curare debent 1. ut statim atque perfectus fuerit in illis usus rationis, sponsiones illas renovent : 2. ante susceptionem Sacramenti Confirmationis : 3. ante primam sacrosanctæ Eucharistiæ sumptionem : 4. quolibet anno in vigiliis Paschæ et Pentecostes, dum fit solemnis aquæ Baptismalis benedictio : 5. dum aliquos infantes ex sacro fonte suscipimus : 6. in die anniversaria Baptismi : 7. dum Sacramenti Baptismi administrationi solemni nos adesse contigit : 8. denique in ipso mortis articulo.

I. Tenemurne servare quod pro nobis à Susceptoribus nostris promissum est ?

R. Tenemur omninò : tum quia hàc solùm conditione ad Baptismi gratiam admissi sumus : tum quia etiamsi nulla ea de re facta fuisset solemnis sponsio, tamen sic se res habet, ut nisi quis abrenuntiet Satanæ et pompis operibusque ejus, et nisi adhæreat uni Deo Christo, fieri nequaquam possit hunc ad vitam æternam intromitti.

Formula Renovationis

Promissionum quæ ante Baptismum fiunt.

Credo in Deum Patrem omnipotentem creatorem cœli et terræ.

Credo in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum, natum et passum.

Credo in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem ; Remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam æternam.

Abrenuntio Satanæ, et omnibus pompis ejus, et omnibus operibus ejus.

(E) S. Greg. Nazian. *Orat.* 40. *Vide suprà litt.* (D) *hocce* §.

Concil. Paris. VI. *Cap.* 8. *Tom.* 7. *Conc. Labb. pag.* 1604. Omnibus fidelibus studendum est, ut pactionis et sponsionis, quam cum Deo in baptismate fecerunt, semper memores existant, cavcantque ne quibuslibet vitiorum sordibus se maculantes, non solùm eumdem sibi reaccendant ignem, verùm etiam immundum spiritum à se tempore baptismi expulsum, cum septenario dæmonum numero sibi addito, ad se quoquomodo redire faciant ; fiantque illis, ut Dominus ait : (*Matth.* xii. 45. *Luc.* xi. 26.) *novissima pejora prioribus*

Tibi Christe conjungor, tibi adhæreo, te sequor unum, tibi vivere, tibi mori cupio. In nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti. Amen. (F)

§. 7. Continuatio Paragraphi superioris de Ritibus Baptismi.

I. Cur ungitur Catechumenus sacro oleo in pectore et inter scapulas ?

R. Hàc unctione significatur gratia quam dat Christus ad ferendos labores, ad sustinenda prælia vitæ Christianæ : item ad tollendum suaviter jugum Christi, cui sese submittit ultrò Catechumenus. (A)

I. Cur postulat Sacerdos à Catechumeno num baptizari velit ?

R. Quia nemini dat Ecclesia gratiam Baptismi, nisi petenti et postulanti. (B)

I. Infantes tamen baptizantur, licèt incapaces hujus petitionis ?

R. Idcircò gratiam hanc postulat pro illis Ecclesia, et Susceptores eligit qui id pro infante, nomine Ecclesiæ, postulent, et pro ipsis spondeant.

I. Cur Sacerdos ungit sacro Chrismate summitatem capitis recèns baptizati ?

R. Ut significetur fieri nos per Baptismum veluti Reges et Sacerdotes : nam ex ritu è Scripturis petito Sacerdotes et Reges inungi solent. Rem explico.

Vos genus electum, inquit Petrus Apostolus (1. *Petr.* II. 9.), *Regale Sacerdotium*, *gens sancta*, *populus acquisitionis.* Nimirùm ex ineffabili quam per Baptismum habemus cum Christo unione fit, ut ejus Sacerdotalis et Regiæ dignitatis participes efficiamur. Adde quòd Sacerdotes sumus aliquatenùs, in quantùm debemus, ut ait Apostolus (*Rom.* XII. 1.) offerre jugiter nosmetipsos Deo, *hostiam viventem*, *sanctam*, *Deo placentem.* Reges autem sumus, quia debemus pravis animi affectibus Deo juvante dominari. Tandem paratum nobis est

(F) *Hanc formulam ex Catech. Meldensi ferè ad verbum exscripsimus : eam autem Illustriss.* MELDORUM EPISC. *ex libris Ritualibus compegit.*

(A) S. CYRIL. HIEROSOL. *Catech.* 2. *Mystag.* Exuti, exorcizato oleo à summis capillis ad infimos usque perunctì estis, et participes effecti fructiferæ illius oleæ Jesu-Christi (*Rom.* XI. 17.). Excisi enim ex oleastro in oleam frugiferam inserti estis, et pinguedinis illius veræ oleæ, quisque vertrùm particeps effectus. Illud ergo exorcizatum oleum, symbolum est pinguedinis Christi nobiscum communicatæ, et quòd omne vestigium diabolicæ operationis in nobis deletum sit. Nam ut insufflationes sanctorum, et nominis Dei invocatio, tanquam vehementissima quædam flamma urit dæmones, et in fugam convertit : sic et exorcizatum hoc oleum, per orationem, Deique invocationem, tantam virtutem consequitur, ut non modò ardentia peccatorum vestigia expurget, verùm etiam omnes visibiles dæmones repellat.

S. AMBROS. *de Sacrament. lib.* 1. *cap.* 2. *Vide superiori* §. *litt.* (D)

(B) S. CYRIL. HIEROSOL. *Catech.* 1. *pag.* 27. Qui itaque spiritale hoc signaculum et salutare accipiunt, opus est ut voluntariè id faciant. Ut enim calamus scriptorius aut telum, ut ab aliquo impellatur necesse est sic et gratia indiget credentibus.

æternum cum Christo regnum, quod ubi obtinuerimus, offeremus nos Deo juge cum Christo sacrificium.

Porrò sacrarum hujusmodi unctionum antiquitas et Scripturâ et certissimâ traditione constat.

Ex Scriptura quidem : *Unxit nos Deus*, inquit Paulus Apostolus (2. *Corinth.* I. 21. 22.), *et signavit nos, et dedit pignus Spiritûs in cordibus nostris;* et Joannes Apostolus hæc habet (1. II. 20.) : *Vos unctionem habetis à sancto.* Et infrà (*Ibid.* 27.), *unctionem quam habetis ab eo maneat in vobis, etc.*

Ex Traditione verò, (C) cujus argumenta sumenda sunt ex iis quæ suprà diximus, vel dicemus infrà (*Part.* 3. *Sect.* 2. *Cap.* 8. §. 3.) de benedictione sacrorum Oleorum. Ex ibidem dicendis constat, quidquid Ecclesia benedictione solemni consecrat, id unctione sacrorum Oleorum et sacri Chrismatis consecrari. His ergo unctionibus omninò consecrantur Deo Christiani ; templum Dei fiunt. Debet ergo tam sanctæ consecrationi vitæ sanctitas respondere. (D)

I. Cur imponitur linteolum album capiti infantis baptizati ?

R. In signum innocentiæ baptismalis, quam baptizatus simul monetur immaculatam servare toto vitæ tempore. *Accipe*, inquit Sacerdos hoc linteolum capiti imponendo, *vestem candidam, quam immaculatam perferas ante tribunal Domini nostri Jesu Christi, ut habeas vitam æternam.*

Olim recèns baptizati vestibus albis in ipso Baptismi ritu vestiebantur, in signum innocentiæ, ut fit etiamnùm in Baptismo adultorum ; et per totam hebdomadam in albis vestibus incedebant : interèà adstabant quotidiè et communicabant sacrosancto Missæ sacrificio, quod pro ipsis po-

(C) *Vide suprà litt.* (A) *hocce.* §.

INNOCENT. PP. I. *Epist. ad Decent. cap.* 3. *tom.* 2. *Concil. Labb.* Presbyteris, seu extra Episcopum, seu præsente Episcopo baptizant, chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cùm tradunt spiritum Paracletum.

CONCIL. ARAUSIC. I. *Can.* 1. Hæreticos in mortis discrimine positos, si Catholici esse desiderant, si desit Episcopus, à Presbyteris cum chrismate et benedictione consignari placuit.

Can. 2. Nullum ministrorum, qui baptizandi recepit officium, sine chrismate usquam debere progredi, quia inter nos placuit semel chrismari. De eo autem, qui in baptismate quacunque necessitate faciente non chrismatus fuerit, in Confirmatione Sacerdos commonebitur. Nam inter quoslibet chrismatis ipsius non nisi una benedictio est : non ut præjudicans quidquam, sed ut non necessaria habeatur repetita chrismatio.

S. AMBROS. *lib. de Myster. cap.* 6. *n.* 29. Post hæc utique ascendisti ad Sacerdotem : considera quid secutum sit. Nonne illud quod ait David : (*Psal.* CXXXII. 2.) *sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron* ? Hoc est unguentum, de quo et Salomon ait : (*Cant.* I. 2.) *unguentum exinanitum est nomen tuum, propterea adolescentulæ dilexerunt te, et attraxerunt te.*

N. 30. Quare hoc fiat intellige ; quia (*Eccle.* II. 14.) *oculi sapientis in capite ejus.* Ideò.... defluit, ut (1. *Pet.* II. 19.) fias electum genus, sacerdotale, pretiosum ; omnes enim in Regnum Dei et in sacerdotium ungimur gratiâ spiritali.

Vide Patrum Testimonia Cap. seq. §. I. *litt.* (C)

(D) *Lege librum*, de tribus consecrationibus, etc. *inscriptum.*

tissimùm offerebatur, ut patet ex antiquissimis precibus quæ in Canone recitantur etiamnùm infra hebdomadas Paschæ et Pentecostes, ut dicemus infrà. Et hæc ratio est cur Dominica in octava Paschæ dicatur Dominica post albas, vel Dominica in albis depositis; quia nimirùm recèns baptizati pridiè ad vesperas vestes albas deposuerant. Jam loco vestis albæ imponitur capiti infantis recèns baptizati linteolum album. (E)

I. Cur datur recèns baptizato cereus accensùs?

R. Hujus ritùs ratio patet ex verbis quæ simul à Sacerdote proferuntur: *Accipe lampadem ardentem*, inquit, *et irreprehensibilis custodi Baptismum tuum: serva Dei mandata, ut cùm Dominus venerit ad nuptias, possis occurrere ei unà cum omnibus sanctis in aula cœlesti, habeasque vitam æternam, et vivas in secula seculorum.*

Ex his verbis patet denotari hoc ritu parabolam Evangelicam (*Matth.* XXV. 2. *et seq.*), in quâ dicuntur prudentes virgines procedere obviam sponso cum lampadibus ardentibus: quibus, ut sancti Patres docent, charitas intelligitur. Monetur ergo hoc ritu baptizatus lampadem ardentem semper ferre præ manibus, id est, sic agere ut bonis operibus præluceat omnibus, imò ut ipse sit lucerna lucens fulgore bonorum operum et ardens charitatis igne. (F)

I. Ritus illi suprà expositi, qui vel præcedunt, vel comitantur, vel sequuntur baptismi celebrationem, suntne antiquitùs instituti?

R. Horum antiquitas constat ex suprà laudatis testimoniis SS. Patrum, qui primis Ecclesiæ seculis vixerunt; certè ritus illos proferunt in argumentum eorum quæ ab Apostolis per traditionem non scriptam accepimus. (G)

(E) S. AMBROS. *lib. de Myster. cap.* 7. *n.* 34. Accepisti post hæc vestimenta candida, ut esset indicium quòd exueris involucrum peccatorum, indueris innocentiæ casta velamina.

S. AUGUST. *Serm.* 223. *aliàs de divers.* 81. *n.* 1. Infantes isti, quos cernitis exteriùs dealbatos, interiusque mundatos, candore vestium splendorem mentium præfigurant.

AMALAR. *lib. de divers. Offic. cap.* 29. Albati propter vestes albas vulgò appellantur... A sabbato enim usque ad sabbatum portantur albæ vestes... Et hìc possumus intelligere, quod talia debeant esse opera nostra omni tempore, qualia sunt vestimenta albatorum, tam munda et candida.

(F) MATTH. v. 16. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.

EPHES. v. 8. Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate.

S. CYRIL. HIEROSOL. *Catech.* 1. *init.* Qui fidei lampades nuper accendistis: nunc non exstinctas easdem manu tenendo custodite.

(G) TERTULL. *lib. de coron. Mil. cap.* 3. Observationem inveteratam... si nulla scriptura determinavit, certè consuetudo corroboravit, quæ sine dubio de traditione manavit. Quomodo enim usurpari quid potest, si traditum priùs non est? Etiam in traditionis obtentu exigenda est, inquis, auctoritas scripta. Ergo quæramus, an et traditio nisi scripta non debeat recipi? Planè negabimus recipiendam, si nulla exempla præjudicent aliarum observationum, quas sine ullius scripturæ instrumento, solius traditionis titulo, et exinde consuetudinis patrocinio vindicamus. Denique ut à baptismate ingrediar, aquam, etc. *Superiori* §. *litt.* (D)

CAPUT TERTIUM.

De Sacramento Confirmationis.

§. 1. Quid sit Confirmatio.

I. QUOD est alterum Sacramentum novæ legis ?

R. Confirmatio.

I. Quid est Confirmatio ?

R. Confirmatio Sacramentum est quo confertur Spiritus sanctus baptizatis, ut et firmentur in fide, et perfectionem accipiant vitæ Christianæ.

I. Cur ais Confirmationem esse Sacramentum ?

R. Quia est signum sensibile à Christo Domino institutum ad nostram sanctificationem.

I. Quâ ratione constat institutam esse à Christo Domino Confirmationem ?

R. Ex Scripturâ sacrâ, et Traditione constat Confirmationem esse Sacramentum ; id est, signum sensibile gratiam conferens, ut mox dicemus. At nemo nisi Christus potuit dare signo sensibili vim conferendi gratiam ; adeoque constare non potest Confirmationem esse Sacramentum novæ legis, quin constet simul hoc Sacramentum fuisse à Christo Domino institutum.

I. Quodnam est signum sensibile in hoc Sacramento ?

R. Impositio manuum, inunctio sacri Chrismatis, verba ab Episcopo prolata.

I. Quam gratiam signum hoc confert ad nostram sanctificationem ?

R. Gratiam Spiritûs sancti, qui datur baptizato, ut et firmetur in fide, et perfectionem accipiat vitæ Christianæ.

I. Quomodo constat impositione manuum Episcopi et sacri Chrismatis inunctione dari Spiritum sanctum baptizatis ?

R. Id et Scripturâ sacrâ et certâ Traditione constat.

Scripturâ quidem, in qua sæpiùs legitur recèns baptizatis

S. BASIL. *lib. de Spirit. sanct. cap.* 27. Dogmata quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habemus è doctrina scriptorum prodita ; quædam rursùs ex Apostolorum traditione in mysterio, id est, in occulto tradita recepimus. Quorum utraque parem vim habent ad pietatem, nec his quisquam contradicit, quisque sanè vel tenuiter expertus est, quæ sint jura Ecclesiastica. Nam si consuetudines quæ scripto proditæ non sunt, tanquam haud multum habentes momenti conemur retinere, imprudentes et ea damnabimus quæ in Evangelio necessaria ad salutem habentur, imò potiùs ipsam fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus.... Consecramus autem, etc. *Superiori* §. *litt.* (D)

Qui plura de Ritibus Baptismi scire cupient, adeant JOSEPHI VICECOMITIS *Observationes Ecclesiasticas de antiquis Baptismi ritibus et cæremoniis ; et* D. EDMUNDI MARTENNE è Cong. S. Mauri *librum* de antiquis Ecclesiæ ritibus, etc.

Apostolos per impositionem manuum Spiritum sanctum contulisse. (A)

De sacri Chrismatis inunctione videtur loqui Apostolus (2. *Cor.* I. 21. 22.) his verbis : *Confirmat nos vobiscum in Christo, et unxit nos Deus, et signavit nos, et dedit pignus Spiritûs in cordibus nostris.* (B)

Ex traditione verò certissimâ constat, hanc fuisse semper Ecclesiæ fidem, nimirùm penès Episcopos, Apostolorum successores, jus esse dandi Spiritum sanctum recèns baptizatis, sive per impositionem manuum, sive per inunctionem chrismatis, sive per utrumque simul. Id patet ex Tertulliano, S. Cornelio Papa et Martyre, S. Cypriano, S. Optato, S. Paciano, S. Ambrosio, S. Hieronymo, S. Cyrillo Alexandrino, S. Leone, S. Augustino, etc. (C)

(A) ACT. VIII. 17. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum.

XIX. 5.... Baptizati sunt in nomine Jesu, 6. et cùm imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos.

HEBR. VI. 2.... Impositionis quoque manuum.

(B) MENOCHIUS. *in* 2. *ad Corinth. cap.* 1. *v.* 21. 22. *Qui autem confirmat nos :* qui nos facit stabiles in promissis, ille est qui etiam confirmat nos, et roborat, per sacramentum Confirmationis. *Et qui unxit nos*, unctione chrismatis in eodem sacramento; *signavit nos*, signo crucis in fronte per manum Episcopi, et caractere impresso in anima : *et dedit pignus Spiritûs sancti :* et dedit Spiritum sanctum, quem qui accipiunt habent pignus vitæ æternæ.

ESTIUS *in Epist.* 2. *ad Corinth. cap.* 1. *v.* 21. Idem Deus est *qui nos unxit :* videlicet Spiritu sancto, id est, delibutos reddidit multorum et magnorum Spiritûs sancti donorum infusione.... Pelagius et Primasius etiam chrismatis hîc meminerunt, dicentes, *Unxit nos Spiritu sancto vel chrismate :* quasi sit allusio ad chrismatis unctionem, quæ fit in sacramentis... *v.* 22. *Qui et signavit nos... qui etiam obsignavit nos ;* nempè Spiritu sancto, id est, tanquam sigillum quoddam nobis impressit Spiritum sanctum, largiendo varia ejus charismata.... *Et dedit Pignus spiritûs in cordibus nostris.* Pignus, (Græcè *Arrhabona*) *Arrhabonem*, sive *Arrham :* quæ nimirùm dari solet ad confirmationem contractûs aut promissi.., Hîc rursùs Spiritum intellige secundùm varia ejus dona, quæ largiùs effusa fuerunt in Apostolos, quàm in cæteros fideles. Conferendus est hic locus cum eo qui est *Ephes.* I. 13. ubi leguntur hæc verba : *Signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ.*

FROMONDUS *in Epist.* 2. *ad Corinth. cap.* 1. Bellarminus lib. 2. cap. 20. de Sacram. et quidam alii totum hunc locum intelligunt de sacramento Confirmationis, in quo ungimur chrismate exteriùs, sed gratiâ interiùs. Signatur in fronte signo crucis, ut significetur pretiosum esse illud pignus quod in corde accipimus. *Res enim pretiosæ solent sigillo aliquo obsignari*, inquiunt Scdulius et Primasius discipuli S. Augustini, qui favent huic expositioni. Undè gratia Spiritûs sancti eadem est pignus, quod corde excipitur, et oleum quo anima ungitur, et spirituale signaculum quo signatur. *Ita omnes ferè Interpretes.*

(C) TERTULL. *de Bapt. cap.* 7. Exindè egressi de lavacro perungimur benedictâ unctione de pristina disciplina, quâ ungi oleo de cornu in sacerdotium solebant. (*Exod.* XXIX. 35. *et* XXX. 30.) Ex quo Aaron à Moïse unctus est, unde Christus dicitur à chrismate, quod est unctio, quæ Domino nomen accommodavit, facta spiritalis, quia spiritu unctus est à Deo patre sicut in Actis (*Act.* IV. 27. X. 38.) : *Collecti sunt enim verè in ista civitate adversùs sanctum filium tuum, quem unxisti.* Sic et in nobis carnaliter currit unctio, sed spiritaliter proficit : quomodo et ipsius Baptismi carnalis actus, quòd in aqua mergimur ; spiritalis effectus, quòd delictis liberamur.

Cap. 8. Dehinc manus imponitur, per benedictionem advocans et invitans Spiritum sanctum. Sanè humano ingenio licebit Spiritum in aquam arcessere, et concorporationem eorum accommodatis desuper manibus alio spiritu tantæ charitatis animare, Deo autem in suo organo non licebit per manus sanctas sublimitatem modulari spiritalem? Sed est hoc quoque de veteri sacramento, quo nepotes suos in Joseph, Ephraïm et Manassen, Jacob (*Gen.* XLVIII. 14.) capitibus impositis et intermutatis manibus benedixerit, et quidem ita transversim obliquatis in se, ut Christum deformantes, jam tunc portenderent benedictionem in Christum futuram. Tunc ille sanctissimus Spiritus super emundata et benedicta corpora libens à Patre descendit, super Baptismi aquas, tanquam pristinam sedem recognoscens conquiescit, columbæ figurâ delapsus in Dominum, ut natura Spiritûs sancti declararetur per animal simplicitatis et innocentiæ: quod etiam corporaliter ipso felle careat columba. Ideoque *estote* (inquit *Matth.* X. 16.) *simplices sicut columbæ.*: ne hoc quidem sine argumento præcedentis figuræ. Quemadmodum enim (*Gen.* VIII. 8. 10. 12.), post aquas diluvii, quibus iniquitas antiqua purgata est, post baptismum (ut ita dixerim) mundi, pacem cœlestis iræ, præco columba terris annuntiavit demissa ex arca, et cum oleâ reversa: quod signum etiam apud nationes paci prætenditur: eadem dispositione spiritualis effectus, terræ, id est, carni nostræ, emergenti de lavacro post vetera delicta, columba sancti Spiritûs advolat, pacem Dei afferens, emissa de cœlis, ubi Ecclesia est arca figurata.

Lib. de Resurrect. carnis cap. 8. Scilicet caro abluitur, ut anima emaculetur. Caro ungitur, ut anima consecretur. Caro signatur, ut et anima muniatur. Caro manûs impositione adumbratur, ut et anima Spiritu illuminetur. Caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur.

S. CORNEL. PP. *apud.* EUSEB. *Hist. Eccles. lib.* 6. *cap.* 43. *Epist. ad Fabium Antioch.* Neque ab Episcopo consignatus est (*Novatus.*) Hoc autem signaculo minimè perceptо, quo tandem modo Spiritum sanctum potuit accipere?

S. CYPRIAN. *Epist.* 70. *ad Januar. paulò post initium.* Ungi quoque necesse est eum, qui baptizatus sit, ut accepto chrismate, id est, unctione, esse unctus Dei, et habere in se gratiam Christi (*supple* possit.)

Epist. 73. *ad Jubaïan. pag.* 308. Quod deerat (Samaritanis), id à Petro et Joanne (*Act.* VIII. 14. *et seq.*) factum est, ut oratione pro eis habitâ, et manu impositâ, invocaretur et infunderetur super eos Spiritus sanctus. Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, Præpositis Ecclesiæ offerantur, et per nostram orationem ac manûs impositionem Spiritum sanctum consequantur, et signaculo Dominico consummentur.

S. OPTAT. *lib.* 7. *cont. Parmen.* Oleum confectum jam chrisma vocatur, in quo est suavitas, quæ cutem conscientiæ mollit, exclusâ duritiâ peccatorum, quæ animum innovat lenem, quæ sedem Spiritui sancto parat, ut invitatus illic, asperitate fugatâ, libentur inhabitare dignetur... Seduxistis homines, rebaptizastis, iterùm unxistis.

S. PACIAN. Barcil. Episc. *Epist.* 1. *ad Sympron.* Si ergo et lavacri et chrismatis potestas, majorum et longè charismatum ad Episcopos indè descendit: et ligandi quoque jus adfuit, atque solvendi (*Scil.* ex potestate Christi.) Ergo nec chrisma, nec baptisma, nec criminum remissio, nec innovatio corporis, sanctæ potestati ejus indulta est, quia nihil propriâ usurpatione mandatum est, totumque id ex Apostolico jure defluxit.

Serm. ad Cathecum. Joannes Apostolus dicit: (I. 12.) *Quotquot eum receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Hæc autem compleri aliàs nequeunt, nisi lavacri et chrismatis et Antistitis sacramento. Lavacro peccata purgantur, chrismate sanctus Spiritus superfunditur; utraque verò ista, manu et ore Antistitis impetramus: atque ita totus homo renascitur et innovatur in Christo.

S. AMBROS. *de Mysteriis cap.* 7. *n.* 41. Undè Dominus Jesus et ipse invitatus tantæ studio charitatis, pulchritudine decoris et gratiæ; quòd nulla jam in ablutis delicta sorderent, dicit ad Ecclesiam (*Cant* VIII. 6.); *Pone me ut signaculum in cor tuum, ut sigillum in brachium tuum*; hoc est

Utrum autem unctio sola, an sola impositio manuum, an utraque simul necessaria sit ad validitatem sacramenti, non una est Catholicorum Theologorum sententia.

I. **Cur sacramentum hoc vocatur Confirmatio?**

R. **Quia confirmat et perficit et roborat Christianos in nova vita quam acceperunt per baptismum.**

decora es, proxima mea, tota formosa es, nihil tibi deest. *Pone me ut signaculum in cor tuum*, quo fides tua pleno fulgeat sacramento. Opera quoque tua luceant, et imaginem Dei præferant, ad cujus imaginem facta es. Charitas tua nullâ persecutione minuatur, quam multa aqua excludere, flumina undare non possint.

N. 42. Undè repete quia accepisti signaculum Spiritale, spiritum sapientiæ et intellectûs, spiritum consilii atque virtutis, spiritum cognitionis atque pietatis, spiritum sancti timoris: et serva quod accepisti. Signavit te Deus Pater, confirmavit te Christus Dominus; et *dedit pignus Spiritûs in cordibus* tuis, sicut Apostolicâ lectione didicisti (2. *Cor.* I. 22.)

S. Hieron. *Dial. adv. Lucifer. tom.* 4. *part.* 2. *pag.* 294. *Luciferianus Doctor hæc dicit:* An nescis etiam Ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea manus imponantur, et ita invocetur Spiritus sanctus? Exigis ubi scriptum sit? In Actibus Apostolorum. (VIII. 17.) Etiam si Scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret... *Cui suffragatur Hieron. his verbis p.* 295. Non quidem abnuo hanc esse Ecclesiarum consuetudinem; ut ad eos qui longè in minoribus urbibus per Presbyteros et Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem sancti Spiritûs manum impositurus excurrat.

S. Cyril. Alex. *in cap.* 2. *Joël. n.* 35. En perspicuè sancti Spiritûs gratiam se donaturum promittit, id est, donationem largifluam.... in omnes, qui accipere merebuntur: id quod Christo redivivo, et destructo mortis imperio factum esse confitemur. Nam velut de integro ideò venerandam et admirabilem gratiam sanctis Discipulis immisit, insufflans, et dicens: (*Joan.* XX. 22.) *Accipite Spiritum sanctum.* Oportebat enim, oportebat Ecclesiæ Mystagogos, et orbis terrarum magistros futuros, etiam ante alios dono Spiritûs sancti cohonestari, et veluti quoddam ornamentum per fidem in sanctificationem ab initio factos, divinâ et cœlesti gratiâ inaurari. Diebus verò sacræ Pentecostes (*Act.* II. 1. *et seq.*) congregatis in unam domum Discipulis, et consuetis precationibus Deo oblatis utrumque contigit.... Effusus est de cœlero in nos Spiritus sanctus, Deo lætificante naturam humanam, et supernâ ac primævâ gloriâ coronante.

S. Leo *Serm.* 23. *in Nativit. Domin.* 4. *cap.* 6. Permanete stabiles in ea fide, quam confessi estis coram multis testibus, et in qua renati per aquam et Spiritum sanctum accepistis chrisma salutis, et signaculum vitæ æternæ.

S. August. *lib.* 15. *de Trinit. cap.* 26. *n.* 46. Quomodo ergo Deus non est qui dat Spiritum sanctum? Immò quantus Deus est qui dat Deum? Neque enim aliquis Discipulorum ejus dedit Spiritum sanctum. Orabant quippe (*Act.* VIII. 15.) ut veniret in eos quibus manum imponebant, non ipsi eum dabant. Quem morem in suis Præpositis etiam nunc servat Ecclesia.

Lib. 3. *de Bapt. cap.* 16. *n.* 21. Neque enim temporalibus et sensibilibus miraculis attestantibus per manûs impositionem modò datur Spiritus sanctus, sicut antèà dabatur ad commendationem rudis fidei et Ecclesiæ primordia dilatanda. Quis enim nunc hoc exspectat, ut ii quibus manus ad accipiendum Spiritum sanctum imponitur, repentè incipiant linguis loqui (*Act.* II. 4. X. 46. XIX. 6.)? Sed invisibiliter et latenter intelligitur propter vinculum pacis eorum cordibus divina charitas inspirari, ut possint dicere: (*Rom.* V. 5.) quoniam *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.*

Tract. 6. *in* I. *Epist. Joan. n.* 10. Nunquid modò quibus imponitur manus ut accipiant Spiritum sanctum, hoc exspectatur, ut linguis loquantur? Aut quando imposuimus manum istis infantibus, attendit unusquisque vestrûm utrum linguis loquerentur, et cùm videret eos linguis non loqui,

§. 2. De effectibus Confirmationis, et de Donis Spiritûs sancti.

I. Qui sunt effectus Confirmationis ?

R. Duos præcipuè effectus Confirmatio producit. 1° Gratiam Spiritûs sancti, qui et dat robur animæ adversùs tentationes omnes sive interiores, sive exteriores ; et seipsum cum donis suis omnibus communicat.

2° Caracterem animæ impressum, ut fit in baptismo : caracterem, inquam, qui deleri non possit, undè nefas iterare hoc sacramentum. (A)

I. Quid intelligis per tentationes sive interiores, sive exteriores ?

R. Tentationum exteriorum nomine intelligo persecutiones, afflictiones, contumelias, injurias, dolores, verbera, carceres, neces, et cætera id genus, quæ dæmonum impulsu possunt Christianis à cæteris hominibus infligi ad

ita perverso corde aliquis vestrûm fuit ut diceret, Non acceperunt isti Spiritum sanctum ; nam si accepissent, linguis loquerentur, quemadmodum tunc factum est (*Act.* II. 4. X. 46. XIX. 6.) ? Si ergo per hæc miracula non fiat modò testimonium præsentiæ Spiritûs sancti ; undè fit, undè cognoscit quisque accepisse se Spiritum sanctum ? Interroget cor suum : si diligit fratrem, manet Spiritus Dei in illo... Ergo si vis nosse quia accepisti Spiritum, interroga cor tuum ; ne fortè sacramentum habes, et virtutem sacramenti non habes. Interroga cor tuum : si est ibi dilectio fratris, securus esto. Non potest esse dilectio sine Spiritu Dei : quia Paulus clamat (*Rom.* V. 5.), *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.*

(A) S. Aug. *lib.* 2. *cont. litt. Petil. cap.* 104. *n.* 239. In hoc unguento sacramentum chrismatis vultis interpretari : quod quidem in genere visibilium signaculorum sacro-sanctum est, sicut ipse Baptismus : sed potest esse et in hominibus pessimis, in operibus carnis vitam consumentibus, et regnum cœlorum non possessuris ; et ideò, nec ad barbam Aaron (*Psal.* CXXXII. 2.) nec ad oram vestimenti ejus, nec ad ullam contextionem vestis sacerdotalis pertinentibus.... Discerne ergo visibile sanctum sacramentum, quod esse et in bonis et in malis potest, illis ad præmium, illis ad judicium, ab invisibili unctione charitatis, quæ propria bonorum est.

S. Greg. *lib.* 12. *Epist.* 32. *ad Felic. circa med.* Hoc vos ritè tenere debetis, quod nos ab antecessoribus nostris traditum accepimus : id est, ut quotiens tam de Baptismo aliquorum vel Confirmatione... dubitatio habetur : et nec scriptis, nec testibus ratio certa habetur utrum baptizati vel confirmati.... sint, ut baptizentur tales ac confirmentur ;.... ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat : quoniam non monstratur iteratum quod non certis indiciis ostenditur ritè peractum. Hæc vos adminiculante divinâ gratia ita tenere cupimus, vobisque ut postulastis tenere et docere mandamus, et ea quæ à sanctis Patribus antè non sunt statuta, non protervè irrumpere, sed fideliter servare optamus.

Concil. Tolet. VIII. *an.* 653. *can.* 7. *tom.* 6. *Concil. Labb.* Sicut sanctum chrisma collatum, et altaris honor, evelli non queunt : ita quoque Sanctorum decus honorum, quod his compar habetur et socium, qualibet fuerit occasione perceptum, manebit omnibus modis inconvulsum.

Concil. Cabilon. *ann.* 813. *can.* 27. *tom.* 7. *Conc. Labb. pag.* 1278. Dictum nobis est, quòd quidam de plebe bis et ter ab Episcopis, ignorantibus eisdem Episcopis, confirmentur. Undè nobis visum est, eamdem Confirmationem, sicut nec Baptismum iterari minimè debere.

Concil. Trident. *Sess.* 7. *can.* 9. Si quis dixerit, in tribus sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, et Ordine, non imprimi caracterem in anima, hoc est signum quoddam spiritale, et indelebile, undè ea iterari non possunt : anathema sit.

labefactandam eorum fidem et virtutem, eosque in errorem abducendos.

Tentationum interiorum nomine intelligo omnes concupiscentiæ motus, quos intùs per fragilitatem carnis experimur, vel diabolus per pravas suggestiones, vel mundus per malignitatem et exempla prava excitat.

I. Quomodo Spiritus sanctus adjuvat nos ad vincendas tentationes omnes?

R. Augendo in nobis et perficiendo charitatem, *et alias virtutes Theologicas et morales.*

I. Quænam sunt dona Spiritûs sancti?

R. Septem numerantur in Scripturis. Nimirùm sapientia, intelligentia, consilium, fortitudo, scientia, pietas, et timor Domini. (B)

Sapientia est donum Spiritûs sancti, quo fit ut à terrenis abstracti et alieni, sapiamus, et diligamus ea solùm quæ Dei sunt. (C)

Intelligentia est donum Spiritûs sancti, quo fit ut intelligamus et mente facili assequamur veritates omnes et mysteria omnia religionis. (D)

Consilium donum est Spiritûs sancti, quo facilè discernimus et suademus vel nobis, vel aliis, quidquid magis confert ad gloriam Dei et ad salutem. (E)

(B) Isai. xi. 2. Et requiescet super eum Spiritus Domini; spiritus sapientiæ, et intellectûs, spiritus consilii, et fortitudinis, spiritus scientiæ, et pietatis, 3. et replebit eum spiritus timoris Domini.

(C) S. August. *Enchirid. ad Laurent. cap.* 1. *n.* 1. Apostolus.... dicit, (*Rom.* xvi. 19.) *volo autem vos sapientes quidem esse in bono, simplices autem in malo.* Sicut autem nemo à seipso esse potest, ita etiam nemo à seipso sapiens esse potest, sed ab illo illustrante, de quo scriptum est, (*Eccli.* i. 1.) *omnis sapientia à Deo est.* Hominis autem sapientia pietas est.

Lib. Quæst. 83. *quæst.* 66. *n.* 6. Prudentia carnis dicitur, cùm anima pro magnis bonis temporalia bona concupiscit. Quandiù enim appetitus talis inest animæ, legi Dei subjecta esse non potest: id est, non potest implere quæ lex jubet. Sed cùm spiritalia bona desiderare cœperit, et temporalia contemnere, desinet esse carnis prudentia, et spiritui non resistet. Eadem namque anima cùm inferiora appetit, prudentiam carnis habere dicitur; cùm superiora, prudentiam spiritûs: non quia prudentia carnis substantia est, quâ induitur anima vel exuitur; sed ipsius animæ affectio est, quæ omninò esse desinet, cùm se totam ad superna converterit.

(D) S. Aug. *Tract.* 27. *in Joan. Evang. n.* 6. *Quisquis autem*, inquit Apostolus, (*Rom.* viii. 9.) *spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Spiritus* ergo (*Joan.* vi. 64.) *est qui vivificat, caro* autem *non prodest quidquam. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.* Quid est, *spiritus et vita sunt?* Spiritaliter intelligenda sunt. Intellexisti spiritaliter? *Spiritus et vita sunt.* Intellexisti carnaliter? Etiam sic illa *spiritus et vita sunt*, sed tibi non sunt.

N. 9. Petrus dante Deo, recreante Spiritu sancto, intellexit: undè, nisi quia credidit?

De agone Christi cap. 13. *n.* 14. Fides est prima quæ subjugat animam Deo, deindè præcepta vivendi, quibus custoditis spes nostra firmatur, et nutritur charitas, et lucere incipit quod anteà tantummodò credebatur... Itaque priùs quàm mens nostra purgetur, debemus credere quod intelligere nondum valemus: quoniam verissimè dictum est per Prophetam, (*Isai.* vii. 9.) *Nisi crediderilis, non intelligetis.*

(E) S. Aug. *lib.* 1. *de serm. Dom. in monte cap.* 4. *n.* 11. Consilium con-

Fortitudo est donum Spiritûs sancti, quo fit ut facilè toleremus quidquid pro Christo tolerandum est, et vincamus quid obest saluti. (F)

Scientia donum est Spiritûs sancti, quo fit ut et cognoscamus viam quæ ducit ad cœlum, et pericula quæ ab eo possent arcere. (G)

gruit misericordibus : hoc enim unum remedium est de tantis malis evadendi, ut dimittamus, sicut nobis dimitti volumus ; et adjuvemus in quo possumus alios, sicut nos in quo non possumus cupimus adjuvari.

(F) S. Aug. *lib.* I. *de serm. Dom. in monte cap.* 4. *n.* 11. Fortitudo congruit esurientibus et sitientibus : laborant enim desiderantes gaudium de veris bonis, et amorem à terrenis et corporalibus avertere cupientes.

Enarr. in Psal. cxli. *n.* 4. Martyres clauserunt januam contra diabolum, Christo aperuerunt. Promisit eis multa mundus iste : riserunt, clauserunt valvam cupiditatis adversùs diabolum. Minatus est mundus iste bestias, ignes, cruces : non timuerunt, clauserunt timoris valvam contra diabolum. Videamus si aperuerunt eas Christo : *Qui confessus me*, inquit, (*Matth.* x. 32. *Luc.* xii. 8.) *fuerit coram hominibus, confitebor illum et ego coram Patre meo, qui est in cœlis.* Amaverunt ergo regnum cœlorum, ubi eos confitebitur Christus.

(G) S. Aug. *lib.* 5. *Confess. cap.* 4. *n.* 7. Infelix enim homo qui scit illa omnia, te autem nescit : beatus autem qui te scit, etiam si illa nesciat... Qui verò et te et illa novit, non propter illa beatior, sed propter te solùm beatus est, si cognoscens te sicut Deum glorificet, et gratias agat, et non evanescat in cogitationibus suis.... Sic fidelis homo, cujus totus mundus divitiarum est, et quasi nihil habens, omnia possidet, inhærendo tibi cui serviunt omnia, quamvis nec saltem septentrionum gyros noverit, dubitare stultum est quin utique melior sit quàm mensor cœli, et numerator siderum, et pensor elementorum, et negligens tui, qui *omnia in mensura et numero et pondere disposuisti.* (*Sap.* xi. 21.)

Lib. 4. *de Trinit. cap.* 1. *n.* 1. Scientiam terrestrium cœlestiumque rerum magni æstimare solet genus humanum : in quo profectò meliores sunt qui huic scientiæ præponunt nosse semetipsos ; laudabiliorque est animus, cui nota est vel infirmitas sua, quàm qui eâ non respectâ, vias siderum scrutatur etiam cogniturus, aut qui jam cognitas tenet, ignorans ipse quà ingrediatur ad salutem ac firmitatem suam. Qui verò jam evigilavit in Deum, Spiritûs sancti calore excitatus, atque in ejus amore coram se viluit, ad eumque intrare volens nec valens, eoque sibi lucente attendit in se, invenitque se, suamque ægritudinem illius munditiæ contemperari non posse cognovit ; flere dulce habet, eumque deprecari, ut etiam atque etiam misereatur, donec exuat totam miseriam, et precari cum fiducia, jam accepto gratuito pignore salutis, per ejus unicum salvatorem hominis et illuminatorem : hunc ita agentem et dolentem *scientia* non *inflat*, quia *charitas ædificat* : (1. *Cor.* viii. 1.) præposuit enim scientiam scientiæ, præposuit scire infirmitatem suam, magis quàm scire mundi mœnia, fundamenta terrarum et fastigia cœlorum : et hanc apponendo scientiam, apposuit dolorem ; dolorem peregrinationis suæ ex desiderio patriæ suæ, et conditoris ejus beati Dei sui.

Lib. 12. *de Trinit. cap.* 13. et 14 *n.* 21. Apparet tamen cùm secundùm Deum vivimus, mentem nostram in invisibilia ejus intentam, ex ejus æternitate, veritate, charitate, proficienter debere formari : quiddam verò rationalis intentionis nostræ, hoc est ejusdem mentis, in usum mutabilium corporaliumque rerum, sine quo hæc vita non agitur, dirigendum ; non ut conformemur huic seculo, finem constituendo in bonis talibus, et in ea detorquendo bealitudinis appetitum ; sed ut quidquid in usu temporalium rationabiliter facimus, æternorum adipiscendorum contemplatione facimus, per ista transeuntes, illis inhærentes. Habet enim et scientia modum suum bonum, si quod in ea inflat vel inflare adsolet, æternorum charitate vincatur, quæ non inflat, sed ut scimus ædificat. Sine scientia quippe nec virtutes ipsæ, quibus rectè vivitur,

Pietas donum est Spiritûs sancti, quo fit ut libenter et facilè amplectamur quidquid ad Dei gloriam et honorem conducit. (H)

possunt haberi, per quas hæc vita misera sic gubernetur, ut ad illam quæ verè beata est perveniatur æternam.

S. BERNARD. *Serm.* 36. *in Cant. n.* 2. Non prohibet (Apostolus *Rom.* XII. 3.) sapere, sed *plus sapere quàm oportet.* Quid est autem, *sapere ad sobrietatem?* Vigilantissimè observare, quid scire magis, priusve oporteat: tempus enim breve est. Est autem, quod in se est, omnis scientia bona, quatamen veritate subnixa sit: sed tu qui cum timore et tremore tuam ipsius operari salutem pro temporis brevitate festinas, (*Philip.* II. 12.) ea scire priùs, ampliusque curato, quæ senseris viciniora saluti.

N. 3. *Qui se*, inquit, (1. *Cor.* VIII. 2.) *putat aliquid scire, nondum scit quomodo oporteat eum scire.* Vides quoniam non probat multa scientem, si sciendi modum nescierit. Vides, inquam, quomodo fructum et utilitatem scientiæ in modo sciendi constituit? Quid ergo dicit modum sciendi? quid? nisi ut scias, quo ordine, quo studio, quo fine quæque nosse oporteat? quo ordine: ut id prius, quod maturius ad salutem: quo studio; ut id ardentius, quod vehementius ad amorem: quo fine; ut non ad inanem gloriam, aut curiositatem, aut aliquid simile, sed tantùm ad ædificationem tuam vel proximi. Sunt namque qui scire volunt eo fine tantùm, ut sciant: et turpis curiositas est. Et sunt qui scire volunt, ut sciantur ipsi: et turpis vanitas est... Et sunt item qui scire volunt, ut scientiam suam vendant, verbi causâ pro pecunia, pro honoribus: et turpis quæstus est. Sed sunt quoque qui scire volunt, ut ædificent: et charitas est. Et item qui scire volunt, ut ædificentur: et prudentia est.

N. 4. Horum omnium soli ultimi duo non inveniuntur in abusione scientiæ, quippe qui ad hoc volunt intelligere ut benè faciant.

N. 5. Volo proinde animam primò omnium scire seipsam, quòd id postulet ratio et utilitatis, et ordinis: et ordinis quidem, quoniam quod nos sumus primum est nobis: utilitatis verò, quia talis scientia non inflat, sed humiliat, et est quædam præparatio ad ædificandum. Nisi enim super humilitatis stabile fundamentum, spirituale ædificium stare minimè potest. Porrò ad se humiliandum nihil anima invenire vivacius seu accommodatius potest, quàm si se in veritate invenerit: tantùm non dissimulet, non sit in spiritu ejus dolus, (*Ps.* XXXI. 2.) statuat se ante faciem suam, nec se à se avertere adducatur. Nonne se ita intuens clarâ luce veritatis... convertetur... ad lacrymas, convertetur ad planctus et gemitus, convertetur ad Dominum, et in humilitate clamabit: (*Ps.* XL. 5.) *sana animam meam, quia peccavi tibi.* Porrò conversa ad Dominum recipiet consolationem.

N. 6. Tali itaque experimento et tali ordine salubriter innotescit Deus, cùm priùs se homo noverit in necessitate positum, et clamabit ad Dominum, et exaudiet eum, et dicet: (*Ps.* XLIX. 15.) *Eruam te, et honorificabis me.* Atque hoc modo erit gradus ad notitiam Dei cognitio tui: et ex imagine sua, quæ in te renovatur ipse videbitur.

(H) S. AUG. *de Civit. Dei, lib.* 10. *cap.* 3. *n.* 1. Nobis mortalibus ac miseris, ut immortales ac beati esse possimus, unum Deum deorum colendum.

N. 2. Huic nos servitutem, quæ *Latreia* Græcè dicitur, sive in quibusque sacramentis, sive in nobis ipsis debemus. Hujus enim templum simul omnes, et singuli templa sumus; quia et omnium concordiam, et singulos inhabitare dignatur: non in omnibus quàm in singulis major: quoniam nec mole distenditur, nec partitione minuitur. Cùm ad illum sursum est, ejus est altare cor nostrum: ejus unigenito cum sacerdote placamus: ei cruentas victimas cædimus, quando usque ad sanguinem pro ejus veritate certamus: ei suavissimum adolemus incensum, cùm in ejus conspectu pio sanctoque amore flagramus: ei dona ejus in nobis, nosque ipsos vovemus, et reddimus: ei beneficiorum ejus solemnitatibus festis et diebus statutis dicamus sacramusque memoriam, ne voluminе temporum ingrata subrepat oblivio: ei sacrificamus hostiam humilitatis et laudis in ara cordis igne fervidæ charitatis. Ad hanc videndum, sicut

Timor Domini donum est Spiritûs sancti, quo fit ut Deum diligendo revereamur, timeamusque ne quid ipsi odiosum nobis subrepat. (1)

videri potest, eique cohærendum, ab omni peccatorum et cupiditatum malarum labe mundamur, et ejus nomine consecramur. Ipse enim fons nostræ beatitudinis, ipse omnis appetitionis est finis... Ad eum dilectione tendimus, ut perveniendo quiescamus : ideò beati, quia illo fine perfecti.

Epist. 140. *aliàs* 120. *ad Honorat. cap.* 18. *n.* 45. *Qui timetis Dominum, laudate eum.* (*Ps.* XXI. 24.) Quis autem veraciter laudat, nisi qui sincerè amat ? Tantumdem ergo est ac si diceret, Qui timetis Dominum, amate eum. * *Dixit enim homini*, sicut scriptum est, (*Job.* XXVIII. 28.) *ecce pietas est sapientia.* Porrò pietas cultus Dei est, nec colitur ille, nisi amando. Summa igitur et vera sapientia est in præcepto illo primo, (*Matth.* XXII. 37.) *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua.* Ac per hoc sapientia est charitas Dei ; nec diffunditur in cordibus nostris, nisi per Spiritum sanctum qui datus est nobis. (*Rom.* V. 5.)

(1) S. AUG. *Epist.* 140. *aliàs* 120. *cap.* 21. *n.* 53. *Perfecta charitas foràs mittit timorem ;* (1. *Joan.* IV. 18.) sed illum servilem, illum quo cùm se quisque ab opere malo abstinet, pœnâ terretur, non justitiâ delectatur ; hunc charitas foràs mittit, quam non delectat iniquitas, etiamsi proponitur impunitas : non illum quo timet anima, ne amittat ipsam gratiam, quâ in illa factum est, ut eam non peccare delectet ; quo timet ne Deus eam deserat, etiamsi nullis dolorum cruciatibus puniat. Hic timor castus est, non cum charitas ejicit, sed adsciscit. De illo quippe scriptum est, (*Ps.* XVIII. 10.) *Timor Domini castus permanens in seculum seculi :* nequaquam istum diceret permanentem, nisi sciret alium, qui non permaneret. Et benè istum castum dixit, hoc enim non caret amor, quo anima inhæret Deo, quæ dicit in alio Psalmo, (*Ps.* LXXII. 27.) « Perdidisti omnem qui fornicatur abs te, mihi autem adhærere Deo, « bonum est. » Nam et conjux quæ adulterinum animum gerit, etiamsi timore viri non adulterium perpetrat, tamen quod deest operi, inest voluntati. Casta verò aliter timet : nam et ipsa timet virum, sed castè. Denique timet illa, ne vir infestus adveniat, ista, ne offensus abscedat. Non amanti enim præsentia viri molesta est ; amanti autem, absentia. Timore itaque casto permanenti in seculum seculi, (*Ps.* XXI. 25.) *timeat Deum omne semen Israël...* Timeant quem diligunt, non alta sapiendo, sed humilibus consentiendo : cum timore et tremore suam ipsorum salutem operentur. (*Philip.* II. 12.)

In Psal. CXVIII. *serm.* 12. *n.* 3. Statuit itaque Deus eloquium suum in timorem suum eis, quibus dat spiritum timoris sui : timoris autem non illius de quo dicit Apostolus, (*Rom.* VIII. 15.) *non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore ;* hunc enim consummata *charitas foràs mittit timorem :* (1. *Joan.* IV. 18.) sed illius timoris, quem dicit Propheta (*Isai.* XI. 3.) spiritum timoris Dei ; timoris utique casti permanentis in seculum seculi : (*Ps.* XVIII. 10.) ; timoris quo timetur offendi qui amatur. Aliter quippe timet adultera virum suum, aliter casta : adultera, ne veniat ; casta, ne deserat.

In Psal. CXXVII. *n.* 7. Effecti membra Christi, ambulemus vias Domini : et timeamus Dominum timore casto ; timore (*Ps.* XVIII. 10.) permanent in seculum seculi. Est enim alius timor quem charitas excludit, dicente Joanne : (1. IV. 18.) *timor non est in charitate, sed perfecta charitas foràs mittit timorem.* Non de omni timore dicit, quia mittitur foràs à charitate : habes enim Psalmum (XVIII. 10.) dicentem, *timor Domini castus permanens in seculum seculi.* Alius ergo timor permanet, alius excluditur. Timor qui excluditur, castus non est : qui autem permanet, castus est. Quis est timor qui excluditur ? Dignamini advertere. Aliqui propterea tantùm timent, ne aliquid mali in terra patiantur, ne illis ægritudo accidat, ne damnum, ne orbitas, ne alicujus amissio chari, ne exilium, ne damnatio, ne carcer, ne aliqua tribulatio : propterea timent et tremunt : adhuc iste timor non est castus. Adhuc audi. Alius non in hac terra pati timet,

sed gehennas timet, undè terruit et Dominus. Audistis cùm Evangelium legeretur (*Marc.* IX. 43. *et seq.*) : *ubi vermis eorum non moritur, et ignis eorum non extinguetur.* Audiunt hæc homines : et quia verè futura sunt impiis, timent, et continent se à peccato... Timent quidem, sed non amant justitiam. Cùm autem per timorem continent se à peccato, fit consuetudo justitiæ, et incipit quod durum erat amari, et dulcescit Deus ; et jam incipit homo propterea justè vivere, non quia timet pœnas, sed quia amat æternitatem. Exclusus est ergo timor à charitate, sed successit timor castus.

N. 8. Quis est iste timor castus ?... Pone aliquam feminam castam timentem virum suum aliam pone adulteram, et ipsa timet virum suum. Casta timet, ne discedat vir ; adultera, ne veniat. Quid si ambo absentes sunt ? Illa timet ne veniat, illa, ne tardet. Absens est quodam modo cui desponsati sumus, absens est qui nobis arrham dedit Spiritum sanctum, absens est qui nos redemit sanguine suo.... absens est sponsus noster, interroga conscientiam tuam : vis ut veniat, an adhuc vis ut tardet ?... Quàm multi . si dicatur illis, Ecce jam Christus, cras dies judicii, non dicunt, Utinam veniat. Qui enim dicunt, multùm amant : et si dicatur illis, tardabit, timent ne tardet, quia timor castus est. Quomodo autem nunc timetur ne tardet, sic cùm venerit, timebitur ne discedat ; erit autem castus iste timor, quia tranquillus et securus. Non enim deseremur ab eo, cùm invenerit nos, quando quæsivit nos antequam quæreremus eum. Castus ergo timor, fratres mei, hoc habet, venit de amore. Ille autem timor nondum castus, præsentiam et pœnas timet. Timore facit quidquid boni facit ; non timore amittendi bonum illud, sed timore patiendi illud málum. Non timet ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi, sed timet ne mittatur in gehennam. Bonus est et iste timor, utilis est, non quidem permanebit in seculum seculi : sed nondum est ille *castus permanens in seculum seculi.* (*Ps.* XVIII. 10.)

N. 9. In quo est castus ?... Si diceret Deus, faciem meam nunquam videbis : ecce omni istâ terrenâ felicitate, omnibus rebus abundabis, circumfluent te bona temporalia, non illa amittis, non illa deseris : quid vis ampliùs. Fieret quidem et gemeret timor castus, et diceret, Immò tollantur omnia, et faciem tuam videam. Timor castus exclamaret de Psalmo (LXXIX. 8.), et diceret, *Deus virtutum converte nos, et ostende faciem tuam, et salvi erimus.* Timor castus exclamaret de Psalmo, et diceret, *unam petii à Domino.* Vide quomodo ardeat timor iste castus, amor verus, amor sincerus (*Ps.* XXVI. 4.) *Unam petii à Domino, hanc requiram.* Quid ? *ut inhabitem in domo Domini omnes dies vitæ meæ.*

Tract. 9. *in Epist. Joan. n.* 4. *Timor non est in charitate.* (1. IV. 18.) Sed in qua charitate ? Non in inchoata. In qua ergo ? Sed *perfecta*, inquit, *charitas foràs mittit timorem.* Ergo incipiat timor : quia (*Psal.* XC. 10.) *initium sapientiæ timor Domini.* Timor quasi locum præparat charitati. Cùm autem cœperit charitas habitare, pellitur timor qui ei præparavit locum : quantùm enim illa crescit, ille decrescit ; et quantùm illa fit interior, timor pellitur foràs. Major charitas, minor timor : minor charitas, major timor. Si autem nullus timor, non est quà intret charitas... Torquet cor conscientia peccatorum, nondum facta est justificatio. Est ibi quod titillet, quod pungat... Stimulat timor : sed nolite timere, intrat charitas, quæ sanat quod vulnerat timor. Timor Dei sic vulnerat, quomodo medici ferramentum ; putredinem tollit, et quasi videtur vulnus augere... Occupet ergo cor tuum timor, ut inducat charitatem.... Nam si sine timore es, non poteris justificari... Opus est ergo ut intret timor primò, per quem veniat charitas. Timor medicamentum, charitas sanitas.

N. 5. Est autem alia sententia, quæ videtur huic esse contraria, si non habeat intellectorem : dicitur enim quodam loco in Psalmo (XVIII. 10.), *timor Domini castus, permanens in seculum seculi...* Est timor alius qui dicitur castus, est autem alius qui non dicitur castus. Discernamus istos duos timores... Sunt homines qui propterea timent Deum, ne mittantur in gehennam, ne fortè ardeant cum Diabolo in igne æterno. Ipse est timor ille qui introducit charitatem : sed sic venit ut exeat. Si enim adhuc propter pœnas times Deum ; nondum amas quem sic times. Non bona desideras, sed mala caves. Sed ex eo quòd mala caves, corrigis te,

I. Estne aliquid discriminis inter caracterem Confirmationis, et caracterem Baptismi ?

R. Accipimus in Baptismo caracterem filiorum Dei, in Confirmatione caracterem militum Christi : illo fit ut Deo specialiter mancipemur ; hoc fit ut Deo militemus ? (K)

§. 3. De ministro et subjecto et necessitate Confirmationis. Item de dispositionibus ad suscipiendum hoc sacramentum requisitis.

I. Quisnam est minister Confirmationis ?

R. Soli Episcopi sunt illius ministri ordinarii : hoc est solis Episcopis competit jus sacramentum illud potestate ordinariâ conferendi. Id constat et ex Scriptura sacra, et ex Traditione, et ex Ecclesiæ definitione.

Ex Scriptura quidem. Patet id ex cap. 8. libri Actuum, *v.* 15. *et seq.* ubi legitur Petrum et Joannem missos Samariam à cæteris Apostolis, dedisse Spiritum sanctum Samaritanis, qui baptizati jam fuerant in nomine Christi per Discipulos. (A)

Ex Traditione verò, et perpetuo usu Ecclesiæ ; cujus testes sunt SS. Patres omnes, S. Cyprianus, S. Joannes Chrysostomus, S. Hieronymus, S. Innocentius I. etc. (B)

et incipis bona desiderare. Cùm bona desiderare cœperis, erit in te timor castus ? Quis est timor castus ? Quis est timor castus ? Ne amittas ipsa bona. Intendite : aliud est timere Deum, ne mittat te in gehennam cum Diabolo : aliud est timere Deum, ne recedat à te. Ille timor quo times ne in gehennam mittaris cum diabolo, nondum est castus ; non enim venit ex amore Dei, sed ex timore pœnæ : cùm autem times Deum, ne deserat te præsentia ejus ; amplecteris eum, ipso frui desideras.

V. 8. *Perfecta charitas foràs mittit timorem* (1. *Joan.* IV. 18.) Et cùm venerit ad ejus amplexum timet, sed securiter. Quid timet ? Cavebit, et observabit se ab iniquitate sua, ne iterùm peccet : non ne mittatur in ignem, sed ne ab illo deseratur. Et erit in illa, quid ? *Timor castus permanens in seculum seculi* (*Ps.* XVIII. 10.)... Illa de timore dicit, et illa de timore : sed illa de timore quo timet anima ne damnetur, illa de timore quo timet anima ne deseratur. Ille est timor quem charitas excludit : ille est *timor permanens in seculum seculi.*

(K) TERTULL. *lib. de Præscript. Hæret. cap.* 40. *Postquam ad effectus Sacramentorum alludentem Diabolum, eamdemque gratiam hæreticis, paganisque promittentem induxit, ait :* Tingit et ipse quosdam, utique credentes et fideles suos : expositionem delictorum de lavacro repromittit et si adhuc memini, Mithra signat illic in frontibus milites suos.

CONCIL. SENONENS. *anni* 1528. *n.* 10. *titul. de Confirmat.* Baptismo regeneramur ad vitam, post Baptismum hoc sacramento confirmamur ad pugnam ; in baptismo abluimur, post baptismum hoc sacramento roboramur.

(A) ACT. VIII. 14. Cùm autem audissent Apostoli, qui erant Jerosolymis quòd recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem 15. Qui cùm venissent oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum sanctum : 16. nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantùm erant in nomine Domini Jesu. 17. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum.

(B) S. CYPRIAN. *Epist.* 73. *ad Jubaïan. Vide hujusce Cap.* §. 1. *litt.* (C) *ut et* S. HIERONYM. *Dial. adv. Lucifer...*

S. INNOCENT. PP. I. *Epist. ad Decent. cap.* 3. *tom.* 2. *Conc. Labb.* De consignandis verò infantibus manifestum est, non ab alio quàm ab Episcopo fieri licere. Nam Presbyteri, licèt sint sacerdotes, Pontificatûs tamen apicem non habent. Hæc autem Pontificibus solis deberi, ut vel consignent, vel Paracletum Spiritum tradant, non solùm consuetudo Eccle-

Id denique definivit Ecclesia in Concilio Tridentino, cui præiverat Decretum ab Eugenio IV. Armenis datum in Concilio Florentino.

I. Quinam sunt capaces hujus sacramenti suscipiendi ?

R. Omnes baptizati nondum confirmati.

I. Debetne necessariò Baptismus Confirmationem præcedere ?

R. Debet omninò. Baptismus enim est cæterorum omnium sacramentorum janua ; cætera enim sacramenta omnia sunt instituta nisi iis qui jam in Christo renati sunt, quod fit per Baptismum. Confirmatio verò specialiùs Baptismum sequi debet, utpote quæ sit Baptismi perfectio.

I. Possuntne infantes ante rationis usum confirmari ?

R. Olim Ecclesia confirmabat infantes recèns baptizatos, ubi Episcopi aderant : nec baptizabant Episcopi quemquam quin simul et confirmarent. Hic ritus jam in Occidente obsolevit pro infantibus : sed servatur etiamnum in Ecclesiâ Orientali, non dissentiente Romanâ Ecclesiâ. (C)

siastica demonstrat, verùm et illa lectio Actuum Apostolorum (VIII. 14. *et seq.*), quæ asserit, Petrum et Joannem esse directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum sanctum.

S. JOAN. CHRYS. *Homil.* 18. *in Act. Apost. c.* VIII. Quare non acceperunt Spiritum sanctum ii qui baptizarentur ? Vel forsan quia Philippus in hoc Apostolos brevi venturos honorabat, vel quòd hoc donum non habebat. Erat enim ex septem illis, id quod magis videtur dicendum. Undè meà sententiâ, hic Philippus unus ex septem erat secundus à Stephano. Ideò baptizans Spiritum sanctum non dabat, neque enim facultatem habebat. Hoc enim donum solorum Apostolorum erat... Nam virtutem quidem acceperant faciendi signa, non autem dandi aliis Spiritum sanctum. Igitur hoc erat in Apostolis singulare. Unde et præcipuos, et non alios videmus hoc facere.

CONCIL. ELIBERIT. *ann.* 305. *Can.* 38. Peregrè navigantes, aut si Ecclesia in proximo non fuerit, posse fidelem, qui lavacrum suum integrum habet, nec sit bigamus, baptizare in necessitate infirmitatis positum Catechumenum : ita ut si supervixerit, ad Episcopum eum perducat, ut per manûs impositionem proficere possit.

Cap. 77. Si quis Diaconus regens plebem, sine Episcopo, vel Presbytero aliquos baptizaverit, Episcopus eos per benedictionem perficere debebit. Quòd si antè de seculo recesserint, sub fide, quâ quis credidit, poterit esse justus.

EUGENIUS IV. *Decr. ad Armenos, in* CONC. FLORENT. Secundum sacramentum est Confirmatio.... Ordinarius minister est Episcopus : et cùm cæteras unctiones simplex Sacerdos valeat exhibere, hanc non nisi Episcopus debet conferre : quia de solis Apostolis legitur (*Act.* VIII. 17.), quorum vicem tenent Episcopi, quòd per manûs impositionem Spiritum sanctum dabant.

CONCIL. TRIDENT. *Sess.* 7. *Can.* 3. *de Confirm.* Si quis dixerit, sanctæ Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem ; anathema sit.

(C) EUCHOL. GRÆCORUM, *seu* RITUALE, *in fol. Paris. ann.* 1647. *pag.* 356. Baptizatum sancto unguento ungit, crucis signum faciens in fronte, in oculis, in naribus, et in utraque aure et in pedibus, dicens : *Signaculum Doni Spiritûs sancti. Amen.*

S. INNOCENT. PP. I. *Epist. ad Decent. cap.* 3. *Vide suprà hocce* §. *litt.* (B)

S. CYPR. *Epist. ad Jan. et ad Jubaïan. Vide suprà hujusce Cap.* §. 1. *litt.* (C)

S. GREGOR. *lib.* 3. *Epist.* 9. *ad Januar. circa finem.* Presbyteri baptizatos infantes signare sacro in frontibus chrismate non præsumant : sed Presbyteri baptizandos ungant in pectore, ut Episcopi postmodum ungere debeant in fronte.

D. JOAN. MABILL. *Comm. in Ord. Rom. n.* 15. *tom.* 2. *Mus. Ital.* Recepto Baptismo, singuli infantes uni Presbytero offerebantur : ipse verò Presbyter chrismate crucis signum cum pollice in eorum vertice imprimebat. Mox eorum susceptores lintea in manibus habentes ipsos infantes à Presbyteris et Diaconis, qui baptizaverant, accipiebant, eosque Pontifici sedenti offerebant. Is vero, datâ singulis stolâ, casulâ, et chrismali cum decem siliquis, universos albis vestibus induebat, et dictâ super eos oratione, cum chrismate crucem faciens in frontibus singulorum cum invocatione sanctæ Trinitatis, tradebat eis septiformem gratiam Spiritûs sancti ; id est, sacramentum Confirmationis eis conferebat. Hanc duplicem unctionem, unam quidem per Presbyterum, aliam per Pontificem faciendam, præscribunt libelli nostri, qui de Ritu Baptismi agunt, atque etiam Sacramentarium Gelasianum, his verbis : *Posteà cùm ascenderit à fonte infans, signatur à Presbytero in cerebro de chrismate his verbis* : Deus omnipotens etc. *Deinde a Episcopo datur eis Spiritus septiformis. Ad consignandum imponit eis manum in his verbis :* Deus omnipotens, etc. *Posteà signat eos in fronte de chrismate dicens*, Signum Christi in vitam æternam. R. Amen.... In nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti. Pax tecum. R. Amen. De utràque unctione agit Innocentius I. in Epistolâ ad Decentium.... Porrò hâc Pontificali chrismatione omne Baptisma legitimum Christianitatis nomine confirmari tradit Ordo Romanus : non quòd unctio posterior sit appendix Baptismi, sed quòd Baptismi gratiam corroboret ac confirmet. Totum Baptismi ritum paucis exprimit Augustinus in fine Sermonis 324. *Baptizatus est, sanctificatus est, unctus est, impositâ est ei manus ; completis omnibus sacramentis assumptus est.*

R. P. GOAR. *pap.* 367. *Euchol. nota* 28. *in offic. Baptismi.* Unctionem quoque hanc germanam apud eos (Græcos *scilicet*) esse Confirmationem, post Baptismum consignationem, Spiritûs sancti sigillum, è septem Sacramentis secundum paucis ut Græcorum rituum vindex evinco. Primò ex Ecclesiæ Romanæ sensu quæ numero Christianorum consignatorum adlegit eos, qui semel susceptò baptismo, in Ecclesia Orientali, Chrismate hoc fuerint inuncti. Secundò ex totius ejusdem portionis Orientalis fide.

D. EDM. MARTENNE *de antiquis Ecclesiæ Ritibus lib.* 1. *cap.* 2. *art.* 1. *n.* 5. Cæterùm etsi ex communi et constanti Ecclesiæ disciplina usus obtinuerit, ut statim post baptismum traderetur ab Episcopo per manuum impositionem et sacram inunctionem Spiritus sanctus, idque infinitis prope testimoniis comprobari posset : haudquaquam tamen ibo inficias, nonnulla à quibusdam huic muneri præfixa fuisse tempora, id faciente non absentiâ modò Episcoporum, sed multitudine præsertim baptizatorum, quibus tingendis et confirmandis nox solida vix fuisset satis. Habemus ea de re Concilii Parisiensis anno 829. celebrati Decretum 1. parte cap. 33. « Sicut autem duobus temporibus Paschâ videlicet et Pentecoste » baptismus, ita etiam traditio sancti Spiritûs per impositionem manuum » fidelibus tradatur ; exceptis videlicet, ut dictum est, infirmis et morie » periclitantibus, quibus sicut baptismatis gratiâ succurrendum, ita » incunctanter donum Spiritûs sancti est tradendum. » Ea fortè de causa S. Udalrico Augustano Episcopo consuetudo fuit, ut feriâ secundâ post Pascha ad S. Aphram *post peracta Missarum solemnia multitudinem populi illic congregati sacro chrismate confirmaret*, ut habent ejus Acta cap. 4. Rabanus in lib. 2. de Institutione clericorum cap. 39. huic officio octavum à baptismo diem assignat, cùm scilicet vestes candidas Neophyti deponunt. Idem docet Auctor libri de Divinis officiis sub nomine Alcuini cap. de Septuagesima, ubi sic loquitur : « Septuagesima tendit ad sabba- » tum, ante octavas Paschæ baptizati alba vestimenta deponunt, et tunc » confirmari eos oportet ab Episcopo, et per impositionem manûs acci- » pere Spiritum sanctum.... » At verò auctor est Amalarius in libro 4. de Ecclesiasticis officiis cap. 29. *Secundùm modum primitivæ Ecclesiæ* ipso sacratissimæ Pentecostes die horâ tertiâ datam fuisse Confirmationem, quâ scilicet horâ per illapsum Spiritûs sancti confirmati sunt Apostoli. Sed hoc de his præsertim intelligendum, qui nocte Pentecostes divino lavacro fuerant ablati. Confirmationi quoque baptizatorum quinque post Pentecosten dies impendit Ecclesia Mediolanensis, ut videre est in Cæ-

I. Quâ jam ætate confirmandi sunt baptizati ex hodierno ritu Romanæ Ecclesiæ ?

R. Cùm infantes ad rationis usum pervenerint, id jam Ecclesia Romana ideò observandum esse duxit : 1° ut majori cum fructu percipiatur sacramentum ab habentibus usum rationis. 2° Ut eo maximè tempore contra tentationes roborentur baptizati, quo incipiunt tentationes insurgere. 3° Ut meminerint baptizati faciliùs se fuisse confirmatos, atque ita difficiliùs exponantur periculo Confirmationem bis suscipiendi.

I. Debentne baptizati confirmari ubi urget mortis periculum, si nondum confirmati sunt ?

R. Debent certè si adest Episcopus, eo maximè tempore confirmari ex perpetuo Ecclesiæ more. Cùm enim tunc acriores sint dæmonis impetus ad perdendas animas, æquum est ut præsentiori remedio succurratur, et majores accipiantur vires ad resistendum diabolo. (D)

I. Quæ sunt dispositiones ad ritè suscipiendum hoc sacramentum requisitæ ?

R. Qui sacramentum hoc suscepturus est debet esse, 1° in statu gratiæ, id est, debet esse justificatus vel per baptismum, vel saltem per pœnitentiam, si fortè à gratia baptismali jam excidit. 2° Debet esse sufficienter eruditus myste-

remoniali Ambrosiano, jussu Federici Borromæi dignissimi S. Caroli successoris edito.

(D) CAPITULAR. REG. FRANC. *Karlomann. Principis Capitul.* 1. *n.* 3. Quandocumque jure Canonico Episcopus circumeat parochiam ad confirmandos populos, Presbyter semper paratus sit ad suscipiendum Episcopum, cum collectione et adjutorio populi qui ibi confirmari debet. *Idem præcipitur totidem verbis in Capit.* 1. KAROLI M. *ann.* 769. *cap.* 8. *et Capit. lib.* 5. *cap.* 2. *in Syn. ann.* 742. *circa med.*

PIPPINI Princip. *Capit. seu Canon.* CONCIL. SUESSION. *ann.* 744. *cap.* 4. Quando jure Canonico Episcopus circumit Parochiam ad confirmandum populum, Abbates et Presbyteri parati sint ad suscipiendum Episcopum in adjutorium necessitatis.

Capit. lib. 6. *cap.* 83. Ut omnes maximam curam habeant, ne sine confirmatione Episcopi quis vitam finiat, animaque periclitetur. *Idem præcipiunt Can.* ISAAC Episc. Lingonens. *tit.* II. *cap.* 12.

Capitul. Reg. Franc. tom. 2. *Tit.* 48. SYNOD. PONTIGON. *cap.* 6. Ut Episcopi ministerium suum secundùm sacros et sancto Spiritu promulgatos Canones peragant, parochias suas absque alicujus impedimento, prædicando, corrigendo, et confirmando circumeant; et in hoc agendo nullus eis contraire, et quod ad ministerium illorum pertinet contradicere in ipsis parochiis audeat, vel eis exinde aliquam molestiam inferat : sed adjutor, si oportuerit, invitatus à Pontifice quisque Ecclesiæ filius existat.

Cap. 174. Annuntient Presbyteri populis, ut quàm citiùs potuerint, suos infantulos ad confirmandum Episcopo præsentare faciant.

Cap. 175. Ut Presbyteri sine sacro chrismate, oleoque benedicto, et salubri Christi Eucharistia alicubi non proficiscantur : sed ubicunque vel fortuitu requisiti fuerint, ad officium suum veniant parati reddendo debito.

CONCIL. MEDIOLAN. V. *sub S. Carolo, part.* 1. *tit. de Confirmat.* Quòd si quis dum periculo è ægrotat, se chrismatis sacramento confirmatum non esse meminerit, ac propterea id sibi ministrari petat; tunc Episcopus, si eo loci est, ubi ille ægrotat, ut ne sine hoc sacramento decedat, cum charitate paternâ invisat, et ritè confirmet.

riis fidei, si jam ad adultam pervenit ætatem. 3° Maximè decet sacramentum hoc à jejunis suscipi. (E)

(E) Concil. Mediolan. IV. *sub S. Carol. part.* 2. *tit. de Confirm.* Elaborent prætereà iidem, ut qui adultà ætate confirmandi sunt, primò de peccatis confiteantur, tum etiam admoneant, ut jejuni illud suscipiant, cùm manè ministratur.

Idem præcipiunt omnia Galliarum Concilia supra annos ducentos congregata; quorum plurima à D. Edm. Martenne laudata reperies infrà.

D. Edm. Martenne *de antiq. Eccles. Ritib. lib.* 1. *cap.* 2. *art.* 2. *n.* 2. Dispositiones interiores sunt præsertim, ut depositis ad sacerdotem in confessione peccatis, ab omni lethali macula conscientia mundetur: exteriores, ut confirmandus jejunus ad sacramentum accedat. Primam præcipiunt Constitutiones Odonis Parisiensis Episcopi c. 4. *Si confirmandus adultus fuerit, confiteatur priùs, et posteà confirmetur.* Constitutiones Anonymi Episcopi anno 1237. editæ apud Spelmannum tom. 2. Concil. Angliæ: *Quòd si adultus fuerit confirmandus, monendus est per sacerdotem loci, ut priùs confiteatur.* Concilium Coloniense anni 1289. cap. 5. *Confirmandi verò si fuerint decem annorum vel ultrà, priùs suis sacerdotibus confiteantur, quàm confirmentur.* De posteriori ita loquitur Anonymus in Tractatu Theologico qui MS. ante annos 400. servatur in Majori Monasterio cap. 26. de Confirmatione: *Hoc quoque sacramentum non nisi à jejunis debet dari vel accipi, nisi necessitas cogat.* Utramque verò longè antea Herardus Turonensis Archiepiscopus in Capitulari, n. 75. præscripsit his verbis: *Ut jejuni ad Confirmationem veniant perfectæ ætatis, et moneantur confessionem dare priùs, ut mundi donum sancti Spiritûs valeant percipere.* Quæ quidem verba tanquam ex Concilio Aurelianensi citat Gratianus de cons. dist. 5. cap. 6. Similiter Concilium Bajocense anni 1300. cap. 5. *Adulti autem, qui debent confiteri, et qui confirmandi fuerint, priùs confiteantur.... jejuni, si fieri potest, hoc recipiant sacramentum.* Concilium Trecense anni 1400. *Jejuni si fieri potest omnes debent recipere sacramentum. Si confirmandus est adultus, antequam confirmetur instruatur, ut confiteatur peccata sua.* Concilium Lingonens. anni 1404. *Prisquam quis confirmetur aut chrismetur, si annos discretionis habet, confiteatur peccata sua, et sit jejunus, si fieri potest.* Concilium Senonense anni 1524. *Illud sacramentum pœnitentes, et si fieri potest, jejuni recipiant.* Concilium Carnotense anni 1526. *Præcipimus Curatis et eorum Vicariis, ut moneant suscepturos hoc sacramentum, ut sint jejuni, si commodè fieri posset: et si adulti fuerint, sint contriti et confessi.* Concilium Parisiense anni 1557. *A cibo abstinens, si commodè potest, et sacramentali confessione purgatus confirmationis sacramentum rite suscipiat.* Concilium Rhemense anni 1583. Episcopi Sacramentum confirmationis *conferent gratis, et iis qui usum aliquem rationis habent, confessis; et si commodè fieri potest jejunis.* Concilium Aquense anni 1585. *Qui adultæ ætate confirmandi sunt, primò de peccatis suis confiteantur; jejuni illud suscipiant.* His adde Statuta synodalia Guillelmi Gubernatoris Episcopi Maculoviensis de Confirmatione cap. 5. et Catechismum Concilii Tridentini.

N. 3. Prætereà requiritur ex parte confirmandi ut sit sufficienter instructus: undè Concilium Aquense anni 1585. *Qui confirmandi sunt*, inquit *et qui patrini adhibentur, parochus antè videat, præsertim quos rudiores esse suspicabitur, an orationem Dominicam, salutationem Angelicam, symbolum Apostolorum, decem præcepta norint. Atque ob eam quidem causam Episcopus illa fidei rudimenta sibi ab illis recitari jubebit.* Simile aliquid legitur in Concilio Narbonensi anni 1609, et in Statutis Synodalibus Guillelmi Gubernatoris Episcopi Macloviensis. In Concilio etiam Rothomagensi ann. 1681. præscribitur, ut confirmandi coram Episcopo recitent Symbolum.

Præter laudatos à D. Edm. Martenne *Concil. Gall. Canones, hos etiam duximus exscribendos.*

Synod. Senon. *anni.* 1424. Susceptùri hoc sacramentum, si commodè fieri potest, sint jejuni; et si adulti fuerint, contriti et confessi. Nec expedit ut pueris conferatur, donec memoriam habeant competentem, propter quam excitandam alapantur: ne ignorantes se esse confirmatos, faciant se iterùm confirmari. Et ad istius venerabilis sacramenti

I. Estne sacramentum Confirmationis prorsùs necessarium ad salutem ?

R. Non est. Peccaret tamen qui sacramentum hoc suscipere vel negligeret, vel contemneret : tum quia ideò institutum est ut ab omnibus baptizatis, quantùm fieri potest, suscipiatur : tum quia non licet hoc tanto præsidio ad salutem seipsum ultrò privare. (F)

susceptionem Presbyteri Parochiales frequenter populum exhortentur in pronis.

CONCIL. BURDIG. *anni* 1583. Moneantur qui adulti sunt, ut ad tantum sacramentum non accedant, nisi præmissâ peccatorum confessione, aut saltem maximo peccatorum dolore, et maturè confitendi proposito.

SYNODAL. ECCLESIÆ TRECENS. Si confirmandus est unus adultus : antequam confirmetur instruatur, ut confiteatur peccata sua.

CONCIL. BITUR. *ann.* 1584. Moneantur omnes confirmandi, ut ante hujus sacramenti susceptionem peccata sua confiteantur.

SYNOD. TURON. *ann.* 1583. Ut decentiùs confirmationis sacramentum conferatur, statuit Synodus ne ad id illud facilè minores septennio, qui autem sunt adulti, non nisi prævià peccatorum confessione admittantur.

SYNOD. ROTHOM. *ann.* 1581. Episcopi ad levamen populi per oppida suæ Diœcesis frequentiùs ad sacramentum confirmationis gratis conferendum obambulent ; adultis non nisi confessis et profitentibus symbolum Apostolicum tradant.

SYNODAL. RHEMENS. Eccles. *apud* BOCHELL. *Decret. Eccles. Gallic. lib.* 2. *tit.* 5. *de Confirmat. cap.* 60. Si confirmandus fuerit, priùs confiteatur peccata sua, et posteà confirmetur.

CONCIL. TOLOS. *ann.* 1610. *cap.* 3. *de Confirmat. n.* 3. Quos in sua Parochia, diligenti adhibitâ sollicitudine hoc sacramento carere cognoverit Parochus, eos quamprimùm sese obtulerit occasio, ad illud debitè suscipiendum, adultos etiam, et peccata confiteri, et jejunos accedere hortetur.

CONCIL. NARBON. *ann.* 1609. *cap.* 15. *de Confirm.* (Parochi) adultos etiam peccata confiteri, Symbolum profiteri, et jejunos accedere hortentur, si horâ matutinâ hoc sacramentum conferatur.

CONCIL. BURDIG. *ann.* 1624. *tit. de Confirm.* (*Parochi*) præcipuè curent ut adulti vel anteà de peccatis confiteantur, vel compuncto animo sacramentum recipientes quamprimùm ad pœnitentiam accedant ; ne quid scilicet præposterè, inordinatè et sine fructu fiat.

PONTIF. ROM. *part.* 1. *tit. de Confirmandis, pag.* 1. Adulti deberent priùs peccata confiteri, et posteà confirmari ; vel saltem peccata quæ admiserunt doleant : confirmandi deberent esse jejuni.

(F) CONCIL. MEDIOLAN. IV. *sub S. Carol. part.* 2. *tit. de Confirmat.* Illud omnes suscipiant, qui ætate sunt, quâ Episcopus eos duxerit esse debere, qui ad hoc sacramentum tunc accedant. Si quis verò neglexerit, canonicis subjaceat disciplinis.

JONAS. Aurelian. Episc. *Moral. lib.* 1. *cap.* 7. Perceptio sancti Spiritûs, quæ per manûs impositionem ab Episcopis tribuitur, à quibusdam congruenter, à quibusdam verò negligenter appetitur. Sunt enim quidam nobiles, quod est laudabile, qui hujusmodi dono se suosque insigniri accelerant ardenter : sunt etiam quidam, quod emendatione dignum est, qui in longum id facere differunt. Porrò ignobiles partim incuriâ, partim ignorantiâ in tantum in hac re negligentes existunt, ut etiam quidam illorum, non nisi jam in decrepitâ ætate, hujus doni consecrationem percipiant.... Præmissis itaque documentis plenissimè prædocetur nequaquàm à fidelibus tanti doni perceptio negligenter differenda, sed potiùs remôto torpore negligentiæ, cum magna animi aviditate et devotione petenda, et percipienda ; ne, quod absit, sine ipsius doni munere quis rebus humanis eximatur.

CONCIL. SENONENS. *ann.* 1528. *n.* 10. *tit. de Confirmat. Vide suprà* §. 2. *hujusce Cap. litt.* (K)

L. BOCHELLUS. *Decret. Eccles. Gallic. lib. 2. de Confirmat. tit. 5.* ARCTURUS Sylv. Episc. *in Synodali ann.* 1510. *cap.* I. In hoc sacramento sunt multæ commoditates, et ad multa prodest. Primò, quia in eo imprimitur caracter qui est quoddam signum, quod quando dæmon videt, timet aggredi personam hoc signum habentem. Secundò, quia habens hoc sacramentum fortiùs resistit tentationibus dæmonis, mundi, et carnis. Tertiò, quia habens hoc sacramentum efficitur magis devotus et promptus ad Deo serviendum, et ad præcepta Dei implendum. Quartò, quia in morte reddit confirmatum magis constantem in fidei confessione : quod est magnum commodum habenti.

Ex CONCIL. BURDIG. *ann.* 1583. *cap.* 9. Sanctum Confirmationis sacramentum, nostrorum miserrimorum temporum injuriâ propè obsoletum, et neglectum, vehementer dolemus. Hoc enim sacramentum, ut ex nominis ratione constat, gratiam, vim, robur et arma suppeditat adversùs vitia, et infestissimos animorum hostes, quorum sanè, quò majores sunt et acriores impetus, eò diligentiùs omnibus Episcopis mandamus, ut suarum Diœcesium Parochias sæpiùs obeuntes, hujus sacramenti vim populo explicent, aut explicandam curent, iis omnibus qui nondum illud susceperunt, administrent.

Ex CONCIL. BITURIC. *ann.* 1584. *cap.* 10. *Vita hominis militia est super terram*, ut habet Scriptura (*Job.* VII I.) ; ideò quotquot per Baptismum regenerati sunt ad vitam, confirmandi sunt ad pugnam : quod consecuti sunt Apostoli in die Pentecostes, quibus priùs à Domino dictum fuerat, (*Joan.* XVI. 7.) *Si non abiero, Paracletus non veniet : si autem abiero, mittam eum ad vos.* Nos autem pro igne visibili, qui die Pentecostes super Apostolos apparuit (*Act.* I.), oleum sanctum (materiam nempe ignis) ex Apostolorum traditione ad confirmandum adhibemus, eoque frontes confirmandorum signantur, ne pudeat eos crucem Christi palàm et apertè profiteri, et in fronte sicut in corde gestare.

Ex SYNOD. TURON. *a.* 1583. *cap.* 41. Confirmationem esse sacramentum, ab omnibus Christianis maximè amplectendum, illiusque solum Episcopum esse ordinarium ministrum, nos docet Ecclesia Catholica; idcircò omnes Christianos hortatur hæc Synodus, ne in illius susceptione negligentesse exhibeant, quò faciliùs adversùs diaboli insidias stare, ejusque tela ignea valeant exstinguere.

CONV. MELODUN. *ann.* 1579. *tit.* 9. *de Confirm.* Qui per Baptismum renati, quasi modò geniti infantes, cùm sint imbecilles, et in spiritali certamine vix certare possint, sacramento Confirmationis, ut contra omnes insidias diaboli pugnare possint, donandi sunt. Eo enim adversùs dæmonis, mundi et carnis impetus facilè evadere victores poterunt. Adhortetur ergo sæpè populum Parochus ad tanti sacramenti susceptionem, et doceat quanta cum fiducia et animi puritate suscipi debeat : ne quis illud suscipere dedignetur, ut olim suo periculo Novatum fecisse legimus, doceantur et instituantur ad tanti sacramenti susceptionem confirmandi. Qui annos septem nati sunt (quandoquidem judicio carent) ad tanti sacramenti susceptionem admitti non debent. Adulti verò inconfessi accedere haud præsumant, aut saltem sine maximo peccatorum dolore commissorum, et proposito confitendi.

CONCIL. ROTHOM. *ann.* 1581. *tit. de sacrament. Confirmat.* Imperfectum, nec omnibus suis armis instructum militaturum Christianum majores nostri judicarunt eum, quem non corroborasset Confirmationis sacramentum ; sed nescimus quâ negligentiâ in nostris Diœcesibus accidit, ut ne quidem à plerisque sciatur an ullum sit Confirmationis sacramentum, et pauci de illo suscipiendo sint solliciti. Qua de causa monemus omnes Parœcos, Vicarios et Concionatores ut initio Quadragesimæ, et quoties occasio se obtulerit, de ejus virtute et utilitate doceant populum. Episcopi ad levamen populi per oppida suæ Diœcesis frequentiùs ad hoc sacramentum Confirmationis gratis conferendum obambulent; adultis, non nisi confessis et confitentibus symbolum Apostolicum tradant.

CONCIL. RHEMENS. *ann.* 1583. *tit. de Confirmat.* Quemadmodum humanæ militiæ tirones etsi jam adscripti sint in numerum militum, nondum tamen illis summa belli committitur, nisi fuerint exercitatiores ; sic quamvis unusquisque per baptismum catalogo sit adscriptus, ad diaboli

I. Quandonam maximè debet Sacramentum hoc suscipi ?

R. 1. Dum urget persecutio contra fidem, seu quævis alia tentatio gravis : tunc enim majori Christianis auxilio opus est, ne succumbant. (G)

2. In locis ab urbe Episcopali remotioribus, ad quæ rara proindè Episcopi visitatio, peccant per negligentiam qui, ubi de proxima Episcopi visitatione admoniti sunt, non disponunt se ad suscipiendum hoc Sacramentum, statim atque Episcopus confirmaturus accesserit.

§. 4. Explicantur Ritus in Sacramento Confirmationis observari soliti.

I. Quo ritu administratur Sacramentum Confirmationis ?

R. Episcopus, extensis versùs confirmandos manibus, dicit Orationem, quâ Deum precatur, (*Pontif. Rom.*) ut *emittat septiformem Spiritum suum in confirmandos, Spiritum sapientiæ et intellectûs, Spiritum consilii et fortitudinis, Spiritum scientiæ et pietatis, Spiritum timoris Dei ;* simulque eos consignat signo crucis Christi in vitam æternam.

Deindè intincto pollice in sacrum Chrisma, signat cujusque frontem signo crucis, simulque ait, (*Ibid.*) quemlibet proprio nomine appellando, *N. signo te signo † crucis ; et confirmo te Chrismate salutis : In nomine Patris † et Filii † et Spiritûs † sancti.*

Tum confirmatum leviter in maxilla cædit dicens, *Pax tecum.* (A)

tamen, carnis mundique tentationes perferendas ac superandas, non nisi per impositionem manuum Episcopi plus roboris et gratiæ recipit. Moneant ergo Parœchi Divinique verbi Præcones, sacramentum Confirmationis non debere negligi vel prætermitti à verè Christianis, præsertim tam calamitoso et hæreseum pleno tempore. Episcopi autem frequenter illud conferant, ita tamen ut non omittant singulis annis in præcipuis suæ Diœcesis urbibus et locis, adventu suo priùs publicato in eorum locorum vicinio. Conferantve rogatis, et iis qui usum aliquem rationis habent, confessi, et si commodè fieri potest, jejunis.

CONCIL. NARBON. *ann.* 1609. *cap.* 15. *de Confirm.* Sanctorum Patrum institutionibus constat nos in baptismo regenerari ad vitam ; et post in hoc sacramento, quo per impositionem manuum Episcopi, Spiritus sanctus diffunditur in corda fidelium, robur atque fortitudinem dari. Ut enim athletas, antequam ad singulare aliquod certamen descenderent, ungi solitos testatum est : sic verus Christi miles sacro chrismate ungitur, ut omnia tela nequissimi hostis facilè retundat, et in militia spirituali, contra carnis, mundi, et diaboli tentationes consignetur. Ideò hoc sacramentum fideliter et sollicitè administrent Episcopi, ne per eorum negligentiam fiant vires populi sibi commissi ad resistendum imbecilliores.

(G) *Vide Auctores suprà laudatos hocce* §. *litt.* (F) *et* S. CORNELII PP. *et* MARTYR. *ad Fabium Antioch. Epist. apud* EUSEB. *lib.* 6. *Hist. Eccles. cap.* 33. *hujusce Cap.* §. 1. *litt.* (C)

(A) D. EDM. MARTENNE *de antiq. Eccles. ritibus lib.* 1. *cap.* 2. *art.* 3. *n.* 13. Postquam Episcopus formam pronuntiavit, percutit leniter confirmati maxillam : cujus ritûs nullam apud veteres Scriptores aut Rituales mentionem vidi, nec ullum Durando Mimatensi Episcopo antiquiorem, qui de illo loqueretur, Auctorem reperi.

Nonnulla recentiora Concilia hujusce ritûs hanc rationem afferunt ; ut hinc puer se confirmatum fuisse reminiscatur : *quæ quidem ratio verisimilitudine non caret.*

Tandem lotis manibus orat rursùm pro confirmatis, (*Ibid.*) ut *Spiritus sanctus in eis superveniens templum gloriæ suæ dignanter inhabitando perficiat :* Ipsisque solemniter benedicit. (B)

I. Chrismatis nomine quid intelligis ?

R. Chrisma vox græca est quæ unctionem significat. Hoc autem nomine intelligitur oleum mixtum balsamo, et solemniter ab Episcopo benedictum.

I. Estne aliquid mysterii in illa olei et balsami mixtione et unctione ?

R. Oleo, cujus proprium est lenire et corroborare, significatur, gratiâ Spiritûs sancti fieri jugum legis Dei leve et suave, nobisque robur addi ad illud fortiter ferendum, id est, ad exsequenda viriliter Dei præcepta. Balsamum suave olens et à corruptione vindicans, significat, gratiâ Spiritûs sancti fieri ut et à peccatis abstineamus, et Christi bonus odor simus in omni loco.

I. Cur in fronte ungimur ?

R. Ut intelligamus per hujus Sacramenti gratiam fieri, ut non erubescamus Evangelium, sed liberè confiteamur fidem Christi, etiam cum vitæ periculo.

I. Cur fit unctio in formam crucis ?

R. Ut discamus (*Galat.* VI. 14.) jam non *gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi ; in quo est salus, vita et resurrectio nostra ; per quem salvati et liberati sumus.* (*In Introitu Missæ feriæ* V. *in Cœna Domini.*)

I. Cur Pontifex leviter in maxilla cædit confirmatum ?

R. Hoc ritu dat ei pacem ; hinc simul verba hæc profert, *Pax tecum.*

I. Cur datur quandoque Patrinus vel Matrina confirmando ?

R. Ex ritu veteri, quo ut diximus ministrabatur olim Confirmatio statim post Baptismum. Qui ergo Catechumenos offerebant ad Baptismum, iidem mox baptizatos et de sacro Fonte levatos statim offerebant Episcopo ad Confirmationem.

Nunc autem ex quo non ita frequens est apud nos admi-

SYNOD. CARNOT. *apud.* BOCHELLUM. *Decret. Eccles. Gallic. lib.* 2. *de Confirmat. Tit.* 5. *cap.* 17. Cùm in confirmationis sacramento imprimatur indelebilis caracter, semel confirmatos ad Confirmationem iterato venire prohibemus. Etenim propter hoc, et ne Confirmationis suæ ignorantiam habeat, in Confirmatione alapantur.

SYNOD. SENON. *ann.* 1424. *Vide* §. *super. litt.* (E)

(B) PONTIFICALE ROMANUM. *Postquam Episcopus confirmandos allocutus est*, tunc extensis super confirmandos manibus dicit : « Oremus. » Omnipotens sempiterne Deus qui regenerare dignatus es hos famulos » tuos ex aqua et Spiritu sancto, quique dedisti eis remissionem omnium » peccatorum ; emitte in eos septiformem Spiritum tuum sanctum Para- » cletum de cœlis. Amen. Spiritum sapientiæ, et intellectûs. Amen. Spi- » ritum consilii, et fortitudinis. Amen. Spiritum scientiæ, et pietatis. » Amen. Adimple eos Spiritu timoris tui, et consigna eos signo crucis † » Christi in vitam propitiatus æternam. Per eumdem, etc. » Pontifex... summitate pollicis dextræ manûs Chrismate intinctâ, dicit : *N. signo te*

nistratio Confirmationis statim post Baptismum . et jam non infantes , sed adulti solùm confirmantur , sæpe accidit ut sine Patrinorum Matrinarumve ministerio hoc Sacramentum ab Episcopis conferatur.

Ubi autem adhibentur Patrini , eorum munus est offerre baptizatos ad Confirmationem , fidem facere de eorum Baptismo : tenentur autem , ut fert liber Pontificalis , instruere filios suos (id est eos quos ad confirmationnem obtulerunt) bonis moribus , docere eos ut declinent à malo et faciant bonum ; et eos imbuere fidei rudimentis , curando ut teneant memoriter Symbolum , Orationem Dominicam , et salutationem Angelicam. Denique contrahunt ipsi cum iis quos ad confirmationem obtulerunt cognationem spiritualem , quæ impedimentum est matrimonii , et vim eamdem habet quàm cognatio quæ oritur ex susceptione baptizati. (C)

signo crucis † ; quod dum dicit, producit pollice signum crucis in frontem illius, deindè prosequitur : *Et confirmo te Chrismate salutis. In nomine Patris* † *et Filii* † *et Spiritûs* ‡ *sancti. R. Amen.* Deindè leviter eum in maxilla cædit dicens : *Pax tecum.*

(C) CONCIL. TRID. *Sess.* 24. *Cap.* 2. *de Reform. Matrimonii, versùs finem.* Ea quoque cognatio quæ ex Confirmatione contrahitur , confirmantem et confirmatum , illiusque patrem et matrem , ac tenentem non egredietur , omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omninò sublatis.

Capitularia Regum Francor. CAPIT. IN CONVENTU COMPEND. *ann.* 757. *Sub Pippino cap.* 12. Si quis filiastrum aut filiastram suam ante Episcopum ad Confirmationem tenuerit , separetur ab uxore sua , et alteram non accipiat. Similiter femina alterum non accipiat. *Idem præcipitur iisdem verbis cap.* 7. *et in can.* ISAAC. Ling. Episc. *tit.* 11. *cap.* 1.

CONVENTUS MELODUNENSIS *ann.* 1579. *Tit.* 9. *de Confirmat.* Gradus cognationis spiritalis inter offerentes et oblatos secundùm Ecclesiæ Romanæ Canones serventur.

CONCIL. BOTHOM. *ann.* 1581. *Tit. de sacram. Confirmat.* Caveant autem pater et mater , ne liberos ad Sacramentum Confirmationis teneant, propter cognationem quæ in hujusmodi sacramento inter confirmatum et tenentem , quem Patrinum appellant , contrahitur.

SYNOD. SENON. *ann.* 1524. In *confirmatione* , velut in baptismo , cognatio spiritualis contrahitur.

SYNOD. PARIS. *ann.* 1557. In hoc sacramento unicus est assumendus patrinus , cum quo , velut in baptismo , spiritualis contrahitur cognatio.

SYNOD. ROTHOMAG. *ann.* 1581. Caveant pater et mater , ne liberos ad sacramentum Confirmationis teneant , propter cognationem quæ in hujusmodi sacramento inter confirmatum et tenentem, quem Patrinum appellant , contrahitur.

CONCIL. BURDIGAL. *ann.* 1583. Patrinus unus , qui sit confirmatus offerat confirmandum , propter cognationem spiritualem , quæ indè contrahitur , nec sit pater confirmandi.

PONTIF. ROM. *part.* I. *Tit. de Confirm. pag.* 1. Hoc sacramento contrahitur spiritualis cognatio , impediens matrimonium contrahendum , et dirimens jam contractum ; quæ cognatio confirmantem et confirmatum , illiusque patrem et matrem , ac tenentem non egreditur.

De ritibus et cærimoniis in sacramento Confirmationis adhiberi solitis qui plura rescire volet , adeat JOSEPH. VICECOMITIS *et* D. EDM. MARTENN. *Libros de antiquis Ecclesiæ ritibus.*

CAPUT QUARTUM.

De Eucharistia.

§. 1. De Eucharistia in genere, variisque ejus nominibus.

I. Quid est Eucharistia?

R. Eucharistia est Sacramentum et Sacrificium Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi, qui sub specie panis et vini offertur, præsens sistitur et distribuitur.

Sacramentum est, quia sub signis sensibilibus Christus fons et origo gratiæ omnis continetur. (A) (*Significat et significatur.*)

Sacrificium est, quia Christi corpus et sanguis verè sub illis speciebus offertur et sumitur.

I. Quid significat ea vox, *Eucharistia?*

R. Vox Græca est, quæ significat gratiarum actionem. Sic autem vocatur hoc sacrificium et sacramentum, quia corporis Christi oblatione et sumptione redditur Deo gratiarum actio, quâ nulla acceptior esse potest. (B)

I. Num ei aliis nominibus appellatur Eucharistia?

R. Appellatur, et multis quidem. Dicitur enim sanctissimum sacramentum, sacramentum altaris, sacra hostia, sacra communio, sacra mensa, viaticum, sacra cœna seu cœna Dominica, panis filiorum, panis Angelorum, etc.

Sanctissimum Sacramentum per Antonomasiam, quia Sacramentorum omnium maximum et sàcratissimum est, utpote quod contineat Christum ipsum omnis gratiæ fontem. (C)

Sacramentum altaris, quia super altare offertur et consecratur, et ad altare sumitur. *Habemus altare*, inquit Apostolus (*Hebr.* XIII. 10.) *de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt.*

(A) *Orat.* JOANN. DE RAGUSIO O. P. *De commun. sub utraq. specie pag.* 1096. *Tom.* 12. *Concil. Edit. Labb.* Dici enim debet quòd sicut in omni Sacramento, ita et in isto est aliquid sacramentum tantùm, sicut formæ sacramentales; et aliquid res et sacramentum, sicut corpus Christi verum; et aliquid res tantùm, sicut gratia nutriens spiritualiter ad incorporationem in Christum faciendam. Formæ enim sacramentales significant tantùm, et nihil causant; corpus autem Christi verum significat et causat: gratia autem nutriens spiritualiter significatur et causatur, et nihil ulteriùs significat, sed causat in mystico corpore incorporationem, quæ fit fidelium in Christum. Et hac de causa ista tria sunt in Sacramento, ita scilicet, quòd primum est significans, et non significatum: tertium autem significans, et non significatum: medium autem est significatum et significans. Quidquid autem ex institutione divina significat gratiam, Sacramenti nomen habet et rationem, quia Sacramentum est invisibilis gratiæ visibilis forma, cujus speciem gerat, et causa existat, sicut dicit Augustinus. Hæc Albertus.

(B) 1. CORINTH. XI. 23. Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens fregit.

(C) HEBR. XII. 2. Aspicientes in auctorem fidei, et consummatorem Jesum.

Sacra Hostia, quia Christus ipse nostræ salutis hostia offertur in Altari. (D)

Sacra Communio, corporis nimirùm Domini J. C. qui hoc sacramento continetur, et fideles cum Christo et inter se conjungit. (E)

Sacra Mensa, in qua celebratur sacrum convivium corporis Dominici, ad quod fideles omnes invitantur. (F)

Sacra Cœna, *Cœna Dominica*, quia ibi, ut ait Apostolus, Dominica cœna manducatur, hoc est, celebratur commemoratio ultimæ cœnæ Dominicæ, quâ peractâ, Christus hoc sacramentum et sacrificium instituit. (G)

Viaticum, quia (3. *Reg.* XIX. 18.) *in fortitudine cibi illius* fideles *ambulant usque ad montem Dei*, hoc est confortantur in via hujus peregrinationis, et transmittuntur ab hac vita in vitam æternam. *Qui manducat hunc panem vivet in æternum*, inquit Christus. (*Joan.* VI. 59.) (H)

Panis Filiorum, quia non canibus mittendus est, sed dari debet solis Dei filiis, qui per innocentiam servant adoptionem filiorum Dei. (I)

Panis Angelorum, quia Christum ipsum continet, verè panem Angelorum, cujus aspectu Angeli veluti nutriuntur, panem vivum qui de cœlo descendit. Quemadmodum manna, Eucharistiæ typus, dicebatur panis Angelorum, quia missum de cœlo fuerat Israëlitis. (K)

(D) HEBR. X. 12. Hic (Christus) autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei.... 14. Unâ enim oblatione, consummavit in sempiternum sanctificatos.

(E) 1. CORINTH. X. 17. Unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.

(F) PROVERB. IX. 2. (Sapientia) miscuit vinum, et proposuit mensam suam.... 4. Si quis est parvulus veniat ad me. Et insipientibus locuta est: 5. Venite, comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis.

(G) 1. CORINT. XI. 20. Jan non est dominicam cœnam manducare.... 25. Similiter et calicem, (*supp.* accepit) postquam cœnavit.

(H) JOAN. VI. 50. Hic est panis de cœlo descendens: ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur.... 52. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.... 55. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: et ego resuscitabo eum in novissimo die.

(I) EXOD. XVI. 15. Iste est panis, quem Dominus dedit vobis ad vescendum.

JOAN. VI. 56. Caro.... mea verè est cibus: et sanguis meus verè est potus. 57. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo. 58. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem: et qui manducat me, et ipse vivet propter me.

(K) PSALM. LXXVII. 24. Pluit illis manna ad manducandum, et panem cœli dedit eis. Panem Angelorum manducavit homo.

CIV. 40. Pane cœli saturavit eos.

SAPIENT. XVI. 20. Angelorum escâ nutrivisti populum tuum, et paratum panem de cœlo præstitisti illis.

JOANN. VI. 41. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi... 49. Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt. 50. Hic est panis de cœlo descendens: ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur.

§. 2. De institutione Eucharistiæ.

I. Quis instituit Sacrosanctam Eucharistiam ?

R. Christus Jesus ipsam instituit pridiè quàm paterctur, postquam cœnasset cum Apostolis. Rem sic narrant Evangelistæ et Paulus Apostolus.

» Jesus (*Joan.* XIII. 2. *etc.*) cœnâ factà cum Apostolis » surrexit à cœna ut lavaret pedes eorum. Deindè (*Ibid.* 12.) » recubuit iterùm mensæ cum Discipulis, et manducanti- » bus illis (*Matth.* XXVI. 26. *Marc.* XIV. 22. *Luc.* XXII. 19. » 1. *Cor.* XI. 24.) accepit panem, et gratias agens, bene- » dixit, fregit deditque Discipulis suis dicens : accipite et » comedite, HOC EST CORPUS MEUM quod pro vobis trade- » tur (vel, ut fert Græca lectio, traditur.) Hoc facite in » meam commemorationem. Simili modo postquam cœna- » tum est, accipiens calicem, gratias agens benedixit dedit- » que Discipulis suis dicens : Bibite ex eo omnes, HIC EST » ENIM SANGUIS MEUS, sanguis novi testamenti, qui pro » vobis et pro multis effundetur (seu, ut fert Græca lectio, » effunditur) in remissionem peccatorum : hæc quotiescun- » que feceritis in mei memoriam facietis. » (A)

I. Quo pane Christus usus est ad instituendam Eucharistiam ?

R. Pane azymo. Christus enim, ut patet ex Evangelistis,

(A) JOAN. XIII. 1. Ante diem festum Paschæ, sciens Jesus quia venit hora ejus ut transeat ex hoc mundo ad Patrem : cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. 2. Et cœnâ factâ, cùm diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas Simonis Iscariotæ. 3. Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, et quia à Deo exivit, et ad Deum vadit : 4. Surgit à cœnâ, et ponit vestimenta sua : et cùm accepisset linteum præcinxit se. 5. Deindè mittit aquam in pelvim, et cœpit lavare pedes Discipulorum, et extergere linteo, quo erat præcinctus.... 12. Postquam ergo lavit pedes eorum, et accepit vestimenta sua ; cùm recubuisset iterùm....

MATTH. XXVI. 26. Cœnantibus autem eis accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait : Accipite, et comedite : hoc est corpus meum. 27. Et accipiens calicem gratias egit : et dedit illis, dicens : Bibite ex hoc omnes. 28. Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

MARC. XIV. 22. Et manducantibus illis, accepit Jesus panem : et benedicens fregit, et dedit eis, et ait : Sumite, hoc est corpus meum. 23. Et accepto calice, gratias agens dedit eis : et biberunt ex illo omnes. 24. Et ait illis : Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur.

LUC. XXII. 19. Et accepto pane gratias egit, et fregit, et dedit eis, dicens : Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur : hoc facite in meam commemorationem. 20. Similiter et calicem, postquam cœnavit, dicens : Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.

I. COR. XI. 23. Ergo enim accepi à Domino quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem. 24. Et gratias agens fregit, et dixit : Accipite et manducate : hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur : hoc facite in meam commemorationem. 25. Similiter et calicem, postquam cœnavit, dicens : Hic calix novum testamentum est in meo sanguine, hoc facite quotiescunque bibetis in meam commemorationem. 26. Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis : mortem Domini annuntiabitis donec veniat.

(B) EXOD. XII. 18. Primo mense, quartadecimâ die mensis ad vesperam, comeditis azyma, usque ad diem vigesimam primam ejusdem mensis ad

instituit Eucharistiam post cœnam Agni Paschalis ; eo pane usus est qui tunc præ manibus habebatur. At panis ille, azymus certè erat, siquidem lege Moysi cautum erat, ne quis in hac cœna septemque diebus sequentibus panem fermentatum comederet, imò ne quis in domo servaret panem fermentatum, idque propositâ mortis pœnâ. (B)

I. Voluitne Christus Apostolos eorumque successores solo pane azymo uti ad celebrationem Eucharistiæ ?

R. Nihil ea de re sanxit Christus, sed ex certa traditione et ex usu Ecclesiæ constat, liberum fuisse Apostolis uti indiscriminatim pane azymo vel fermentato.

Certum est jam Latinam Ecclesiam uti solo azymo ; Ecclesiam græcam solo fermentato pane. Servandus est unicuique Ecclesiæ suus ritus : uterque laudabilis.

Utrum autem perpetuus fuerit apud Latinos usus solius azymi panis, et apud Græcos usus solius fermentati non constat, et non potest ita facilè determinari, saltem quod spectat ad Latinam Ecclesiam : non una est ea de re Theologorum sententia : Domnus Joannes Mabillon (*Dissert. de azymo*), vir pietate et eruditione nemini non cognitus, scripsit pro perpetuo usu azymorum in Ecclesia Latina. Sirmondus Societatis Jesu. (*Disquis. de azymo.*) Theologus eruditione clarissimus scripsit pro perpetuo usu fermentati octo prioribus Ecclesiæ seculis. Mediam viam tenuit Eminentissimus et doctissimus juxta ac piissimus Cardinalis Joannes Bona, docuitque, (*De Liturg. l.* 1. *cap.* 22.) quod nobis probabilius videtur, in Ecclesia tum Latina tum Græca prioribus seculis usurpatum fuisse indiscriminatim panem sive azymum sive fermentatum. Hunc secutus est vir doctissimus D. Bocquillot, (*In Tract. hist. de Liturg. l.* 1. *cap.* 12.) et alii plures : quos consulere potes.

I. Quid erat in Calice quo Christus usus est in institutione Eucharistiæ ?

R. Vinum aquâ modicâ mixtum. Id accepimus omnium seculorum traditione, et perpetuo nec unquam interrupto Ecclesiæ usu. (C)

vesperam. 19. Septem diebus fermentum non invenietur in domibus vestris : qui comederit fermentatum, peribit anima ejus de cœtu Israel, tam de advenis, quàm de indigenis terræ.

MATTH. XXVI. 17. Primâ autem die azimorum accesserunt Discipuli ad Jesum, dicentes : Ubi vis paremus tibi comedere Pascha.

MARC. XIV. 12. Et primo die azymorum quando Pascha immolabant, dicunt ei Discipuli : Quò vis eamus, et paremus tibi ut manduces Pascha ?

LUC. XXII. 7. Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha : et misit Petrum et Joannem, dicens : Euntes parate nobis Pascha, ut manducemus.

(C) S. JUSTIN. *Apol.* I. *versùs finem.* Ei qui præpositus est fratribus, panis offertur, et poculum aquâ et vino temperatum ; quæ cùm accepit, laudem et gloriam omnium Parenti, Filii Spiritùsque sancti nomine tribuit, gratiasque diu agit, quòd ab eo his dignus sit habitus : quibus ritè perfectis, precibus et gratiarum actioni, populus omnis qui adest, benedicit dicens : Amen. Amen autem Hebraïco sermone idem quod fiat, significat. Posteaquam et is qui præest, gratias egit, et populus om-

nis benedixit, et ii qui apud nos Diaconi dicuntur, dant unicuique eorum qui adsunt, percipiendum panem, vinum et aquam quæ cum gratiarum actione consecrata sunt, et ad eos qui absunt, perferunt: atque cibus hic apud nos Eucharistia nominatur.

S. IRENÆUS *contr. Hæres. lib. 4. cap. 33. aliàs 57. n. 2.* Accipiens panem, suum corpus esse confitebatur, et temperamentum calicis suum sanguinem confirmavit.

Lib. 5. cap. 2. n. 3. Quando ergo et mixtus calix, et fractus panis percipit verbum Dei, et fit Eucharistia Sanguinis et Corporis Christi, ex quibus augetur et consistit carnis nostræ substantia; quomodo carnem negant capacem esse donationis Dei, quæ est vita æterna, quæ Sanguine et Corpore Christi nutritur, et membrum ejus est?

S. CYPRIAN. *Epist. 63. ad Cæcil.* In calice offerendo Dominica traditio servetur, neque aliud fiat à nobis, quàm quod pro nobis Dominus prior fecerit: ut calix qui in commemoratione ejus offertur, mixtus vino offeratur.... Dominus panem et calicem mixtum vino obtulit.... Dominus adveniens Baptismi et calicis manifestavit veritatem, qui aquam illam fidelem, aquam vitæ æternæ præceperit credentibus in Baptismo dari: calicem verò docuerit exemplo magisterii sui, vini et aquæ conjunctione misceri.... quia nos omnes portabat Christus, qui et peccata nostra portabat: videmus in aqua populum intelligi, in vino verò ostendi Sanguinem Christi. Quando autem in Calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur, et credentium plebs ei in quem credidit, copulatur et conjungitur. Quæ copulatio et conjunctio aquæ et vini sic miscetur in Calice Domini, ut commixtio illa non possit ab invicem separari. Unde Ecclesiam, id est, plebem in Ecclesia constitutam fideliter et firmiter in eo quod credidit, perseverantem, nulla res separare posterit à Christo, quominus hæreat semper et maneat individua dilectio. Sic autem in sanctificando calice Domini, offerri aqua sola non potest: quomodo nec vinum solum potest; nam si vinum tantùm quis offerat, Sanguis Christi incipit esse sine nobis: si verò aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo: quando autem utrumque miscetur, et adunatione confusâ sibi invicem copulatur, tunc sacramentum spirituale et cœleste perficitur. Sic verò calix Domini non est aqua sola aut vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur.

CONCIL. QUINISEXT. IN TRULLO. *ann. 692. Can. 32.* Joannes Chrysostomus.... suæ Ecclesiæ, ubi est illi pastoralis administratio tradita, aquam vino miscendam tradidit, quando incruentum peragi sacrificium oportet, ex pretioso Christi nostri redemptoris latere ex sanguine et aqua contemperationem ostendens, quæ in totius mundi vivificationem effusa est, et peccatorum redemptionem, et in omni etiam Ecclesia, ubi spiritalia lumina refulserunt, hic ordo divinitùs traditus servatur. Nam et Jacobus Christi Domini nostri secundùm carnem frater, cui Hierosolymitanæ Ecclesiæ thronus primùm est creditus: et Basilius Cæsarcensium Ecclesiæ Archiepiscopus, cujus gloria omnem terrarum orbem pervasit, mystico nobis in scriptis tradito Sacrificio, ita consecrandum in divina Missa ex aqua et vino sacrum Calicem ediderunt. Et qui Carthagine convenerunt sancti Patres his verbis apertè et præcisè mentionem fecêre: ut in sanctis nihil plus quàm Corpus et Sanguis Domini offeratur, ut ipse Dominus tradidit, hoc est, panis et vinum aquâ mixtum. Si quis ergo Episcopus vel Presbyter non secundùm traditum ab Apostolis ordinem facit, et aquam vino miscens, sic immaculatum offerri sacrificium, deponatur, ut imperfectè mysterium enuntians, et quæ tradita sunt innovans.

CONCIL. WORMATIENSE *ann. 868. can. 4. ipsissimis S. Cypriani verbis suprà allatis, definit*, præter panem et vinum cum aqua mixtum, aliud offerri non debet. Calix enim Dominicus vino et aquâ permixtus debet offerri, quia videmus in aqua populum intelligi, in vino verò ostendi Sanguinem Christi. Ergo quando in calice vinum aquâ miscetur, Christo populus adunatur, et credentium plebs ei in quem credidit copulatur et jungitur. Quæ copulatio et conjunctio aquæ et vini sic miscetur in calice Domini, ut commixtio illa non possit separari. Nam si vinum tantùm quis offerat, Sanguis Christi incipit esse sine nobis: si verò aqua sola, plebs incipit esse sine Christo; non enim potest calix Domini esse aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur.

Rem fusiùs explico.

Nusquam ponitur in Scripturâ quid fuerit in calice quo Christus usus est, an vinum, an aqua, an utrumque simul. Id unum constat ex Scripturarum contextu, quòd Jesus acceperit calicem, et benedicens dixerit : *Hic calix*, etc. Et hinc quidem habemus argumentum efficacissimum ad probandum quàm necessaria sit Traditionis auctoritas. Si enim altum ea de re silentium in Scripturis; certè ex perpetuo usu Ecclesiæ, cujus testes sunt SS. Patres qui primis seculis floruerunt, liquidò constat, fuisse in calice quo Christus usus est, vinum aquâ mixtum. Exstant quidem in Evangelio (*Luc.* XXII. 18.) verba hæc Christi, *Non bibam amodò de hoc genimine vitis, donec bibam illud vobiscum novum in regno Patris mei;* Quibus verbis probari videtur Christum usum fuisse vino in Sacrosanctæ Eucharistiæ institutione, adeoque exstare in Scripturis vini Eucharistici mentionem. Sed ad hujus objectionis explicationem adverte quod jam diximus, Christum cœnasse cum Apostolis suis ante institutionem Eucharistiæ, in hac cœna usum fuisse vino; de hoc vino intelligenda esse verba hæc, *Non bibam amodò de hoc genimine vitis, etc.* nec probari ex Evangelici contextûs serie posse hæc verba referri ad vinum Eucharisticum. Adeoque id pro certo habendum est, ex solius Traditionis auctoritate constare Christum usum fuisse vino aquâ mixto in calice ad Eucharistici sacramenti et sacrificii institutionem et celebrationem. (D)

§. 3. Explicatur solemnis Promissio Eucharistiæ, de quâ mentio fit capite sexto sancti Joannis.

I. Ad hæc Christi verba, (*Matth.* XXVI. 26.) *Hoc est Corpus meum, accipite et comedite :* (*Ibid.* 28. *etc.*) *Hic est Sanguis meus, accipite et bibite*, mirus certè esse debuit stupor Apostolorum ?

R. Mirari potuerunt tanti Mysterii magnitudinem. Cæterùm res non fuit ipsis omninò nova et inaudita : præcesserat enim ab annis aliquot solemnis ea de re Christi promissio, quæ habetur capite sexto Evangelii secundùm Joannem. Hujus autem hæc fuit occasio.

Cùm Jesus de quinque panibus et duobus piscibus saturasset quinque millia hominum, multi Judæorum ad eum postridiè venerunt : quibus cùm dixisset Jesus, hoc opus Dei esse ut crederent in eum quem misit ille, dixerunt Judæi Christo : (*Joan.* VI. 30. 31.) *Quod ergo tu facis signum ut videamus et credamus tibi ? Quid operaris ? Patres nostri*

(D) *Hæc ferè sunt desumpta ex libro* D. DESMAHIS *olim ex Ministro Religionis Prætensæ Reformatæ, Catholico ac Ecclesiæ Aurelianensis Canonico, in doctissimo ejus libro, et ad Religionem Catholicam nuper conversis nunquam satis legendo, quem inscripsit* : Veritas Religionis Catholicæ per Scripturam sanctam demonstrata : *Vérité de la Religion Catholique prouvée par l'Ecriture.*

manducaverunt manna in deserto sicut scriptum est (*Ps.* LXXVII. 24.) *Panem de cœlo dedit eis manducare.*

(*Joan.* VI. 32.) *Dixit ergo eis Jesus : Non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum.* 33. *Panis enim Dei est qui de cœlo descendit ; et dat vitam mundo....* 35. *Ego sum panis vitæ : qui venit ad me non esuriet ; et qui credit in me non sitiet unquam....* 38. *Quia descendi de cœlo....* 47. *Qui credit in me habet vitam æternam.* 48. *Ego sum panis vitæ.* 49. *Patres vestri manducaverunt manna in deserto et mortui sunt.* 50. *Hic est panis de cœlo descendens : ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur.* 51. *Ego sum Panis vivus qui de cœlo descendi.* 52. *Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum : et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.*

In illis Christi verbis duo sunt observanda, ut horum sensus legitimus habeatur. Primò, eum loqui de pane jam dato et è cœlo misso hominibus ; et hunc panem esse se asserit, qui de cœlo descendit ut det vitam æternam credentibus in se. 2° Eum loqui de pane nondum dato, sed dando hominibus (*Ibid.* 52.) : *Panis quem ego dabo caro mea est.* Et hîc habes promissionem Eucharistiæ, quâ carnem suam daturus erat et in sacrificium propitiatorium *pro mundi vita*, et in communionem, ut qui ex altaris Eucharistici participatione sacrosanctum Corpus et Sanguinem ejus essent sumpturi, vitam æternam consequerentur.

I. Quâ ratione affecti sunt Judæi audito hoc Christi sermone ?

R. Hoc audito, (*Ibid.* 53.) *litigabant Judæi ad invicem, dicentes : Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum ?* Jesus autem intelligens eos de manducatione carnis suæ litigare et moveri, sensum hunc ab eorum animis non removit ; non negavit de manducatione reali hæcesse intelligenda, imò sensum hunc adhuc significantiùs verbis sequentibus expressit. *Dixit ergo eis Jesus :* (*Ibid.* 54.) *Amen, amen dico vobis : nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* 55. *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die.* 56. *Caro enim mea verè est cibus, et sanguis meus verè est potus.* 57. *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo.* 59. *Hic est panis, qui de cœlo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna et mortui sunt : qui manducat hunc panem, vivet in æternum.....* 61. *Multi ergo audientes ex discipulis ejus, dixerunt : Durus est hic sermo, et quis potest eum audire.* 62. *Sciens autem Jesus apud semetipsum, quia murmurarent de hoc discipuli ejus, dixit eis : Hoc vos scandalizat ?* 63. *Si ergo videritis filium hominis ascendentem ubi erat priùs ?* 64. *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam : verba quæ ego loculus sum vobis, spiritus et*

vita sunt.... 67. *Ex hoc multi discipulorum ejus abierunt retrò: et jam non cum illo ambulabant.* 68. *Dixit ergo Jesus ad duodecim : Nunquid et vos vultis abire ?* 69. *Respondit ei Simon Petrus : Domine ad quem ibimus ? Verba vitæ æternæ habes.* 70. *Et nos credidimus et cognovimus , quia tu es Christus filius Dei.*

I. Quis sensus est horum Christi verborum , (*Joan.* VI. 62. 63.) *Hoc vos scandalizat ? Si ergo videritis filium hominis ascendentem ubi erat priùs?*

R. Hæc Christi verba juxta triplicem interpretationem intelligi possunt.

1° Ut sensus sit, Apostolos tunc intellecturos verum esse quod dixerat Christus , se de cœlo verè descendisse, et quod promiserat se carnem suam daturum esse in cibum ; cùm visuri eum essent ascendentem in cœlum ubi erat priùs. (A)

2° Ut sensus sit, cùm Apostoli visuri eum essent ascendentem ubi erat priùs , tunc eos facilè intellecturos , quod dixerat : *Caro mea verè est cibus*, id non esse accipiendum de manducatione carnis suæ per frusta. (B)

3° Ut sensus sit, Hoc vos scandalizat quod dixi manducandam esse carnem meam : quantò magis ergo scandalizandi estis cùm videritis Christum ascendentem corporaliter in cœlum, et tamen illud ipsum corpus dantem manducandum fidelibus in altaris Sacramento usque ad consummationem seculi. (C)

(A) **Euthymius Zygabenus** *Comment. in Joan.* (*cap.* VI. *v.* 62.) *Tom.* 19. *Bibliot. PP. Lugd. pag.* 686. *in fine. Sciens autem Jesus quòd de hoc murmurarent Discipuli , ait illis : Hoc vobis est offendiculo ?* Sanè et hoc divinitatem ejus demonstrabat, putà quæ apud illos occulta erant ferre in medium : nam occultè apud se murmurayerant.

(*v.* 63.) *Si ergo videritis filium hominis eò ascendentem ubi priùs erat ?* Deficit , Quid dicetis ? Loquitur autem de futura sui in cœlum assumptione. Ascendentem , quoad humanitatem : ubi priùs erat quoad divinitatem. Qui enim potest hanc carnem reddere cœlestem , potest utique et ipsam cibum hominum efficere.

(B) **S. Aug.** *in Joan.* (VI. 61.) *Tract.* 27. *n.* 2. *Multi itaque audientes* : non ex inimicis , sed *ex Discipulis ejus , dixerunt : Durus est hic sermo , quis potest eum audire ?* Si discipuli durum habuerunt istum sermonem , quid inimici ? Et tamen sic oportebat ut diceretur , quod non ab omnibus intelligeretur. Secretum Dei intentos debet facere , non adversos. Isti autem citò defecerunt , talia loquente Domino Jesu : non crediderunt aliquid magnum dicentem , et verbis illis aliquam gratiam cooperientem : sed prout voluerunt ita intellexerunt , et more hominum , quia poterat Jesus , aut hoc disponebat Jesus , carnem quâ indutum erat Verbum , veluti concisam distribuere credentibus in se. *Durus est* , inquiunt , *hic sermo , quis potest eum audire ?*

N. 3. v. 62. *Hoc vos scandalizat* : quia dixi , carnem meam do vobis manducare, et sanguinem meum bibere , hoc vos nempe scandalizat. (*v.* 63.) *Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat priùs ?* Quid est hoc ? Hinc solvit quod illos moverat ? hinc aperuit undè fuerant scandalizati ? Hinc planè , si intelligerent. Illi enim putabant eum erogaturum corpus suum , ille autem dixit se ascensurum in cœlum , utique integrum. *Cùm videritis Filium hominis ascendentem ubi erat priùs?* Certè vel tunc videbitis, quia non eo modo quo putatis erogat corpus suum ; certè vel tunc intelligetis , quia gratia ejus non consumitur morsibus.

(C) **Maldonat.** *Comment. in Joan. cap.* 6. *v.* 62. *et* 63. *Si ergo videritis*

Filium hominis ascendentem ubi erat priùs. Difficilem locum et oratio concisa, et interrogatio facit. Cum enim ad explendam orationem, atque sententiam aliquid necessariò subintelligendum sit, incertum, quid debeat intelligi. Unum è duobus intelligatur necesse est, aut tunc non scandalizabimini, cùm videritis Filium hominis ascendentem, ubi erat priùs; aut contra tunc magis scandalizabimini. Priorem sensum plerique sequuntur, Chrysostomus, Augustinus, Cyrillus, Theophylactus, Beda, Rupertus, Euthymius, et Theodorus Heracleensis in Catena Græca, et Leontius in Commentariis. Sed hi ipsi auctores in eo inter se dissentiunt, quòd alii hoc referant ad id, quod dixerat se de cœlo descendisse. Nam eam etiam ob causam Judæi murmuraverant. Quasi dicat, Cùm videbitis *Filium hominis ascendentem ubi erat priùs*, tunc nimirùm scandalizari desinetis, intelligetisque me de cœlo descendisse, cùm nemo ascendere in cœlum possit (*Joan.* III. 13.), *nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo.* Sic Chrysostomus, Theodorus Heracleensis, Theophylactus, et Euthymius. Alii referunt ad id, quod dixerat (*Joan.* VI. 55.), *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Quasi probet modò carnem suam vitam æternam dare posse, quia caro Dei est, quod ex eo probat, quòd in cœlum sit ascensurus. Sic Cyrillus, et Leontius. Alii ad id, quo offensi Discipuli illi fuerant (*Ibid.* 53.), *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Quasi modum doceat, quo carnem suam illis ad manducandum daturus sit, nimirùm, non concisam, ut illi putabant, in frusta; cùm eam integram, atque incorruptam in cœlum esset illaturus, sed sub sacramento. Sic Augustinus, Beda et Rupertus. Quæ interpretatio in eo cæteris præstat, quòd sententiam referat ad id, quod discipuli dixerant (*Ibid.*), *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Id enim haud dubiè probabilius. Sed ego non libenter, ut sæpè dicere soleo, Scripturæ sacræ restringo sententiam. Itaque malim ad notam Christi superiorem disputationem referre. Generaliter enim Discipuli illi dixerant: (*v.* 61.) *Durus est hic sermo*, ubi sermonem, ut diximus, totam superiorem Christi de carne et sanguine doctrinam appellaverunt. Illud mihi difficilè persuadere possum, intelligendum esse, tunc scandalizari desinetis, aut tunc intelligetis, tunc credetis, quemadmodum omnes quos memini legisse Auctores interpretantur. Nec enim ita loqui videtur Christus, quasi doceat, et probet; sed quasi reprehendat: *Hoc vos scandalizat?* cùm adhuc vobiscum sim? cùm facilè intelligi potest, posse me vobis carnem meam dare ad manducandum, præsentem præsentibus? Quid facietis, cùm videritis me in cœlum ascendentem? quantò magis scandalizabimini? quantò minùs credetis? cùm videatis me in cœlo, vos in terra esse? Solet enim Christus auditores, qui non credunt ea, quæ faciliora creditu sunt, sic objurgare, quòd cùm ea non credant, multò minùs quæ majora, difficilioraque sunt, sint crediturі. *Si terrena*, inquit (*Joan.* III. 12.), *dixi vobis, et non creditis, quomodo si dixero vobis cœlestia, credetis?* Eventus ipse hanc interpretationem probat. Nam Calvinistæ, qui falsis illis, et incredulis Christi Discipulis successerunt, hoc potissimùm argumento non credunt, Christum verè nobis carnem suam dare ad manducandum, quòd in cœlo sit, quòd eum cœlum continere oporteat, usque in diem resolutionis omnium; non ergo in Eucharistia esse posse. Ego contrà, propterea in Eucharistia esse posse, quia in cœlo est. Ex eo enim, quòd propriâ in cœlum ascendit auctoritate, sequitur, Deum esse: ex eo quòd Deus est, sequitur, corpus suum ubicunque velit, posse ponere, sic adeò, ut ab eo loco in quo est, minimè discedat. Prætereà ex eo ipso, quòd hoc Christus prædixerit, non ignarus quid Discipuli illi, quid Calvinistæ eorum discipuli dicturi essent, probo non solùm esse posse, sed re etiam verâ in Eucharistia esse. Si enim non verè, sed spiritualiter carnem suam ad manducandum se daturum polliceretur, declarasset utique se non verè, sed solâ fide carnem suam daturum esse, cùm tam multos sciret, et tunc aliter intellexisse, et posteà intellecturos, possetque uno omnes verbo, magno errore liberare. Non declaravit, sed usque dixit iterùm, atque iterùm fore, ut nisi ejus manducaremus carnem, vitam non haberemus. Prædixit fore, qui propter suum in cœlum reditum, minùs etiamnùm crederent; nec sententiam, nec orationis tenorem mutavit: volebat igi-

I. Quis sensus est horum Christi verborum : *Spiritus est, qui vivificat : caro non prodest quidquam. Verba quæ ego locutus sum vobis spiritus et vita sunt.*

R. Is est. Solam Christi carnem si spiritu et divinitate destitueretur non vivificare : et verba à se superiùs prolata non habere sensum hunc carnalem quem ipsi videbantur intelligere, sed esse alio modo intelligenda. (D)

I. Quo sensu Judæi verba Christi intelligebant ?

R. Existimabant futurum ut Christus daret carnem suam frustatim manducandam, sicut manducantur carnes volucrum vel animantium, quæ veneunt in macello : similiter et sanguinem in propria specie propinandum. Sensum hunc horret animus, mens refugit, voluitque Christus à mente Discipulorum illum procul abesse. (E)

I. Quomodo ergo voluit Christus verba sua intelligi ?

R. Priora verba quæ de Incarnatione sua erant sic voluit Christus intelligi, ut sensus esset necesse esse omninò fide tur, quod dicebat, non figuratè, sed propriè à nobis intelligi. At enim explicavit, cùm dixit : (*v.* 64.) *Caro non prodest quidquam* ? Eum errorem eo loco refutabimus. Non nego me hujus interpretationis auctorem neminem habere, sed hanc eò magis probo, quàm illam alteram Augustini, cæterarum alioqui probabilissimam, quòd hæc cum Calvinistarum sensu magis pugnet, quod mihi magnum est probabilitatis argumentum.

(D) S. Aug. *Tract.* 27. *in Joann.* (vi. 64.) *n.* 5. O Domine, magister bone, quomodo *caro non prodest quidquam*, cùm tu dixeris (*Ibid.* 54.), *nisi quis manducaverit carnem meam, et biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam* ? An vita non prodest quidquam ? et propter quid sumus quod sumus, nisi ut habeamus vitam æternam, quam tuâ carne promittis ? Quid est ergo, *non prodest quidquam caro* ? Non prodest quidquam, sed quomodo illi intellexerunt : carnem quippè sic intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur. Proinde sic dictum est, *caro non prodest quidquam* : quomodo dictum est (1. *Cor.* viii. 1.), *scientia inflat*. Jam ergo debemus odisse scientiam ? Absit. Et quid est, *scientia inflat* ? Sola sine charitate. Ideò adjunxit (*Ibid.*), *charitas verò ædificat*. Adde ergo scientiæ charitatem, et utilis erit scientia : non per se, sed per charitatem. Sic etiam nunc, *caro non prodest quidquam*, sed sola caro : accedat spiritus ad carnem, quomodo accedat charitas ad scientiam, et prodest plurimùm. Nam si caro nihil prodesset, verbum caro non fieret (*Joan.* i. 14.), ut inhabitaret in nobis... *Spiritus* ergo *est qui vivificat* (*Joan.* vi. 64.), *caro autem non prodest quidquam : verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.* Quid est, *spiritus et vita sunt* ? Spiritaliter intelligenda sunt. Intellexisti spiritaliter ? *spiritus et vita sunt.* Intellexisti carnaliter ? Etiam sic illa *spiritus et vita sunt*, sed tibi non sunt.

N. 9. Cùm remansissent cùm illo (Christo) discipuli duodecim, illis recedentibus, suggesserunt illi tanquam dolentes illorum mortem, quòd scandalizati sunt in verbo ejus, et recesserunt. Ille autem instruxit eos, et ait illis : (*Ibid.*) *spiritus est qui vivificat, caro autem nihil prodest : verba quæ locutus sum vobis, spiritus est et vita.* Spiritaliter intelligite quod locutus sum : non hoc corpus quod videtis, manducaturi estis ; et bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendavi, spiritaliter intellectum vivificabit vos : et si necesse est illud visibiliter celebrari, oportet tamen invisibiliter intelligi.

(E) S. Aug. *locis suprà allatis hocce 2. litt.* (B) (D)

Enarr. in Psal. xcviii. *n.* 9. Durum illis visum est quod ait : (*Joan.* vi. 54.) *nisi quis manducaverit carnem meam, non habebit vitam æternam :* acceperunt illud stultè, carnaliter illud cogitaverunt, et putaverunt quòd præcisurus esset Dominus particulas quasdam de corpore suo, et daturus illis, et dixerunt : (*Ibid.* 61.) *Durus est hic sermo.*

manducare panem de cœlo missum, hoc est, credere in Christum filium Dei incarnatum.

Posteriora verba quæ de promissione Eucharistiæ erant, sic voluit Christus intelligi, ut sensus esset non quidem frustatim, sed tamen verè manducandam esse carnem suam, et bibendum esse ejus sanguinem, licèt modum illius cibi et potùs nondum possent Apostoli cogitatione assequi. (F)

I. Siccine Apostoli verba illa Christi intellexerunt?

R. Priorem sensum assecuti sunt, ut patet ex illis S. Petri verbis, qui nomine cæterorum Apostolorum respondit: (*Joan.* VI. 69. 70.) *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. Et nos credidimus et cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei.*

Eucharistiæ promissionem tunc crediderunt; sed intellexerunt posteà, cùm Christus post ultimam cœnam accepit panem, et cùm gratias egisset dixit illis, (*Matth.* XXVI. 26.) *Accipite, et comedite: hoc est corpus meum;* similiter et calicem, dicens: *Bibite ex hoc omnes, hic est enim sanguis meus.* Tunc meminerunt promissionis jam ab annis aliquot sibi à Christo factæ: intellexerunt, inquam, et dari sibi corpus Christi verè manducandum, et dari sanguinem verè bibendum, nec tamen dari carnem per frusta, nec dari sanguinem in propria specie.

Cæterùm, etiamsi aliquid mysterii jam tum Apostoli suspicarentur in illis Christi verbis subesse, quod planè non possent intelligere, non idcircò aliorum multorum discipulorum instar scandalizati sunt, sed firmiùs adhæserunt Christo, quem certò scirent esse Filium Dei, et habere verba vitæ æternæ, licèt illa verba nondum planè consequerentur. (G)

(F) S. AUG. *Tract.* 27. *in Joan. n.* 5. *et* 9. *Vide hocce* §. *litt.* (D)

In Joan. Evang. (*cap.* VI. *v.* 48.) *Tractat.* 26. *n.* 11. *Ego sum*, inquit, *panis vitæ.* Et undè illi superbiebant? *Patres vestri*, inquit, (*v.* 49.), *manducaverunt in deserto manna, et mortui sunt.* Quid est undè superbilis? *Manducaverunt manna, et mortui sunt.* Quare manducaverunt, et mortui sunt? Quia quod videbant, credebant: quod non videbant, non intelligebant. Ideò patres vestri, quia similes estis illorum... Quantùm autem pertinet ad illam mortem, de qua terret Dominus, quâ mortui sunt patres istorum; manducavit manna et Moyses, manducavit manna et Aaron, manducavit manna et Phinees, manducaverunt ibi multi qui Domino placuerunt, et mortui non sunt. Quare? Quia visibilem cibum spiritaliter intellexerunt, spiritaliter esurierunt, spiritaliter gustaverunt, ut spiritaliter satiarentur. Nam et nos hodie accipimus visibilem cibum: sed aliud est sacramentum, aliud virtus sacramenti. Quàm multi de altari accipiunt et moriuntur, accipiendo moriuntur? Undè dicit Apostolus (I. *Cor.* XI. 29.), *judicium sibi manducat et bibit.* Non enim buccella Dominica venenum fuit Judæ. Et tamen accepit, et cùm accepit, in eum inimicus intravit: non quia malum accepit, sed quia bonum malè malus accepit. Videte ergo, Fratres, Panem cœlestem, spiritaliter manducate, innocentiam ad altare apportate.

(G) S. JOAN. CHRYSOST. *in cap. Joan.* VI. *Homil.* 45. *pag.* 236. Hoc discipuli est quæ magister asserit, non curiosiùs investigare, sed audire et

credere, et idoneum solutionis tempus exspectare. Quid igitur, aiunt, contrarium accidit, *et abierunt retro?* (*Joan.* VI. 67.) Hoc propter eorum stultitiam. Quando enim subit quæstio quomodo aliquid fiat, simul subit et incredulitas. Ita et Nicodemus perturbatus est, inquiens: (*Joan.* III. 4.) *Quomodo potest homo in ventrem matris suæ iteratò introire?* Itidem et hi nunc perturbantur dicentes: (*Joan.* VI. 53.) *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Nam si hoc inquiris, cur non idem in quinque panum miraculo dixisti, Quomodo eos in tantum auxit? Quia tunc tantùm saturari curabant, non considerare miraculum: sed res ipsa tunc docuit, inquies. Ergo ex eo et hæc credere oportuit ei facilia factu esse. Propterea id priùs fecit miraculum, ut per illud non essent ampliùs increduli his quæ postmodum diceret. Illi quidem tunc temporis nihil ex his dictis, nos ipsius beneficii utilitatem cepimus. Quare necessariò discendum quàm admiranda mysteria, et cur data sint, et quænam eorum utilitas. *Unum corpus sumus, et membra ex carne et ossibus ejus.* (I. *Cor.* X. 17. *Genes.* II. 23. *Ephes.* V. 30.) Quare initiati ejus præceptis parere debent. Ut autem non solùm per dilectionem, sed reipsà in illam carnem convertamur: per cibum id efficitur, quem nobis largitus est. Cùm enim suum in nos amorem indicare vellet, per corpus suum se nobis commiscuit, et in unum nobiscum redegit, ut corpus cum capite uniretur. Hoc enim amantium maximè est. Hoc Job significabat de servis, à quibus maximè amabatur, qui suum amorem præ se ferentes dicebant: (*Job,* XXXI. 31.) *Quis daret nobis ut ejus carnibus impleremur?* Quod Christus fecit ut majore nos charitate adstringeret, et ut suum in nos ostenderet desiderium, non se tantùm videri promittens desiderantibus, sed et tangi, et manducari, et dentes carni suæ infigi, et desiderio sui omnes implerí. Ab illa igitur mensa tanquam leones ignem spirantes, surgamus diabolo formidolosi, et caput nostrum intelligamus, et quam in nos præ se tulit charitatem... Vester ego frater esse volui, et communicavi carnem propter vos et sanguinem: et per quæ vobis conjunctus sum, ea rursùs vobis exhibui. Hic sanguis facit, ut imago in nobis regia floreat: hic sanguis pulchritudinem atque nobilitatem animæ, quam semper irrigat et nutrit langaescere non sinit. Sanguis enim à cibo non fit repentè, sed priùs aliud quiddam: hic quàm primùm irrigat animam, eamque vi quàdam magnâ imbuit. Hic mysticus sanguis dæmones procul pellit, angelos et angelorum Dominum ad nos allicit. Dæmones enim cùm Dominicum sanguinem in nobis vident, in fugam vertuntur, angeli autem concurrunt. Hic sanguis effusus, universum abluit orbem terrarum; de quo multa Paulus ad Hebræos prosecutus est, (*Hebr.* IX. 7. *et seq.*) Hic sanguis (*Exod.* XXX. 10.) abdita et Sancta Sanctorum purgabat. Quod si ejus figura tantam habuit vim in templo Hebræorum, in media Ægypto liminibus aspersus, (*Exod.* XII. 13.) longè magis veritas. Hic sanguis aureum altare sanctificavit. (*Exod.* XXIX. 12.) Sine hoc princeps Sacerdotum in penetralia ingredi non audebat. Hic sanguis Sacerdotes faciebat, hic sanguis in figura peccata purgabat: (*Levit.* XVI. 15) in qua si tantam habuit vim, si umbram ita mors horrait, quantopere quæso ipsam formidabit veritatem? Hic nostrarum animarum salus est, hoc lavatur anima, hoc ornatur, hoc incenditur, hic igne clariorem nostram mentem reddit, et auro splendidiorem. Hujus sanguinis effusio cœlum pervium fecit.

In cap. Joan. sext. Homil. 46. *In Græco Cod. est* 47. *pag.* 238. Admiratione namque digna sunt, quæ hodiè exponuntur. *Amen*, inquit, (*Joan.* VI. 54.) *amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem meam, et biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis.* Etenim cùm id fieri posse negarent, non solùm non impossibile sed et necessarium asserit. *Qui manducat carnem meam*, (*Ibid.* 55.) *et bibit sanguinem meum, habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die.* Nam cùm dixisset: (*Ibid.* 52.) *si quis manducaverit ex hoc pane, non morietur in æternum:* et credibile esset eos dicturos quemadmodum superiùs: (*Joan.* VIII. 52.) *Abraham mortuus est, et Prophetæ mortui sunt, et quomodo tu dicis, non gustabit mortem?* Resurrectionem ponit, per quam solvit quæstionem, quòd non morietur in fine. Frequenter autem in mysteriis versatur, et omninò id fieri oportere demonstrat. Quid autem signat: (*Joan.* VI. 56.) *Caro mea verè est*

cibus, et sanguis meus verè est potus? Aut quòd is est verus cibus, qui salvat animam, aut ut eos in prædictis confirmet, ne obscurè locutum in parabolis arbitrarentur, sed scirent omninò necessarium esse ut corpus comederent. Deindè inquit: (*Ibid.* 57.) *Qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet:* quod dicit, ut cum ipso se admisceri ostendat.

Pag. 240. *Spiritus*, inquit, (*v.* 64.) *est qui vivificat, caro non prodest quidquam:* hoc est, secundùm spiritum verba mea audienda sunt. Qui secundùm carnem audit, nihil lucratur, nihil utilitatis accipit. Carnale est dubitare quomodo de cœlo descendit, et Joseph filium arbitrari, et quomodo possit nobis carnem suam dare ad manducandum. Hæc inquam omnia carnalia, quæ mysticè et spiritualiter intelligenda sunt. Et quomodo potuerunt intelligere quid esset carnem manducare? Exspectare igitur temporis opportunitatem eos oportuit, non discedere: interrogare, non desperare. *Verba quæ locutus sum vobis*, (*v.* 64.) *spiritus et vita sunt: spiritus*, hoc est, spiritalia, nihil carnale, nullam naturalem consequentiam habentia, sed omni hac terrenâ necessitate, et hujus vitæ legibus liberata. Est alius sensus: sicut in hoc loco spiritus pro spiritalibus posuit, ita cùm carnem dicit, non pro carnalibus, sed pro carnaliter audire, eos significans qui semper carnalia desiderabant, cùm spiritalia desiderari oporteat. Nam si carnaliter ea quis acciperet, nihil sanè lucraretur. Quid igitur? an caro non est caro? Maximè certè. Quomodo igitur ait: (*Ibid.*) *caro non prodest quidquam*? Non de sua carne dicit, absit: sed de his qui carnaliter accipiunt quæ dicuntur. Quid autem est carnaliter intelligere? Simpliciter ut res dicuntur, neque aliud quippiam excogitare. Non enim ita judicanda sunt quæ videntur, sed mysteria omnia interioribus oculis consideranda, hoc est spiritaliter. *Qui non manducat carnem meam, et bibit meum sanguinem, non habet vitam in semetipso.* (*Ibid.* 54.) Quomodo igitur nihil prodest caro, sine qua nemo potest vivere? Vides quòd ea particula, *caro non prodest quidquam*, non de ipsa carne, sed de carnali auditione dictum est.

D. Cyrill. Archiep. Alexand. *Comment. in Joan. Evang. lib. 4. pag.* 358. Rudis et indocilis animus, si quid ipsum fugiat, incredulitate suâ statim levat, ac tanquam adulterinum rejicit quod ejus captum superat, ex indocta temeritate in extremam elatus superbiam. Nulli enim credere velle, nec existimare se quidquam esse majus, nonne demùm id fuerit quod mox diximus? In hunc morbum Judæos incidisse comperiemus, si rei naturam attendamus. Nam cùm Salvatoris sermones inconcinnè suscipere deberent, cujus divinam virtutem, et invictam in omnibus potentiam multis jam signis antèa perceptam admirati fuerant, et de rebus arduis sciscitari, eorumque intelligentiam quærere quæ difficultatem afferre videbantur: rursùm illud *Quomodo*, stultè de Deo proferunt, quasi nesciret hoc loquendi genus omni scatere blasphemiâ. Cuncta enim citra laborem perficiendi potestas in Deo est: sed cùm animales essent, sicuti beatus Paulus ait: (1. *Cor.* II. 14.) non percipiebant ea quæ sunt spiritûs Dei: sed stultitiam esse putabant sapientissimum illud mysterium. Hinc igitur utilitatem capientes, et per quæ cæteri cadunt, per hæc ipsa vitam nostram emendantes, in susceptione divinorum mysteriorum fidem habere quidem nos oportet curiositatis expertem, neque cùm aliquid dicitur, subjicere illud, *Quomodo*. Judaïcum enim est illud vocabulum, et extremi proindè causa supplicii. Nam et princeps ille Synagogæ Judæorum Nicodemus, cùm auditis sermonibus divinis diceret: (*Joan.* III. 9.) *Quomodo possunt hæc fieri?* jure derisus est, verbis: (*Ibid.* 10.) *tu es magister in Israël, et hæc ignoras?* Aliorum igitur stultitiâ ad rei utilis investigationem sapientiores facti, de iis quæ Deus operatur, illud *Quomodo* usurpare caveamus: sed ei potiùs operum suorum viam perspectam esse fateri studeamus. Quemadmodum enim nemo novit quid sit naturâ Deus, sed justificatur credens eum esse, et quærentes eum mercedem ab ipso accipere: ita rursùs modum quo ab ipso quæque fiunt ignorabit quidem, sed utcumque res cadat fidei permittendo, et supremum Deum cuncta posse falendo, tam recti judicii non leve præmium reportabit.

Pag. 359. Quòd si perstas, ò Judæe, usurpare illud, *Quomodo*, ego

vicissim tuam imperitiam imitans tibi reponam : Quomodo egressus es ex Ægypto ? (*Exod.* VII. 10.) Quomodo, quæso, in serpentem versa est virga Mosaïca ? (*Exod.* IV. 6. *et seq.*) Quomodo manus leprâ infecta est, et in pristinum statum rursùm rediit, ut scriptum est ? (*Exod.* VII. 17. *et seq.*) Quomodo in sanguinis naturam versa est aqua ? (*Exod.* XIV.) quomodo per medium mare sicco pede transisti ? (*Exod.* XV. 23. *et seq.*) quomodo amara illa aqua de Merra per lignum versa est in dulcem ? (*Exod.* XVII. 6.) Quomodo tibi aqua è petrarum uberibus effluxit ? quomodo propter te manna decidit ? (*Exod.* XVI. 15.) quomodo porrò Jordanis immotus stetit ? (*Josue* III. 16.) aut quomodo solo clamore Hierichuntis inexpugnabiles muri corruerunt (*Josue* VI. 2. *et seq.*), nec te loquentem deficiet illud *quomodo* ? Multis enim deprehenderis jam antèà attonitus esse miraculis, de quibus si tuum illud *quomodo* subindè inferas, omnì planè Scripturæ divinæ fidem derogabis, et omnia sanctorum Prophetarum scripta, adeoque ipsius Mosis ante omnia sacros libros everles. Decebat itaque potiùs Christo credentes, ejusque dictis incunctanter assentientes, ad discendum potiùs eulogiæ modum eniti, quàm temerè et inconsideratè temulentorum more dicere : *Quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum* ? (*Joan.* VI. 53.)

Pag. 369. Oportebat igitur fide priùs in ipsis fundatâ eorum quæ ignorant scientiam introduci, nec inquisitionem fide priorem spectari. Hanc, opinor, ob causam jure prætermittens quonam modo suam eis carnem daturus esset manducandam, eos ad credendum invitat priùs quàm inquirant. Credentibus enim jam cùm fregisset panem, dedit, dicens : (*Matth.* XXVI. 26.) *Accipite, comedite : hoc est corpus meum.* Similiter autem et calicem cùm in omnes circumtulisset, *accipite, bibite*, inquit, (*Ibid.* 27. 28.) *ex eo omnes. Hic enim est sanguis meus testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Vides quo pacto insipientibus et citra curiositatem credere nolentibus, mysterii modum non explicet, sed jam credentibus clarissimè illud expromere comperiatur ? Audiant igitur qui fidem in Christum præ vecordia nondum suscepere : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* (*Joan.* VI. 54.) Expertes enim et vacui planè vitæ quæ in sanctificatione ac felicitate est remanent, qui per mysticam eulogiam non susceperunt Filium. Vita enim est secundùm naturam, in quantum et ex vivente Patre genitus est : sed nihilominus etiam sanctum ejus corpus conjunctum aliquo modo et verbo cuncta vivificanti ineffabiliter unitum : idcircò ejus esse reputatur ac velut unum cum ipso censetur. Indivisum enim est post Incarnationem, præterquàm quòd verbum ex Deo Patre existens, et templum ex Virgine assumptum, intelliguntur idem non esse naturâ : non enim consubstantiale est Corpus Christi verbo divino, sed unum congressu et concursu incomprehensibili : et quoniam vivifica facta est caro Salvatoris utpotè vitæ secundùm naturam, verbo nimirum divino, unita, cùm illam degustabimus, tunc vitam habebimus in nobis, ei quoque simul uniti, quemadmodum ipsa verbo inhabitanti.

(*v.* 62.) *Hoc vos scandalizat ? si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius.* Præ multa insciliа quidam ex servatoris Christi Discipulis ejus verbis offendebantur. Nam cùm dicentem audissent, (*v.* 54.) *amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, invitarí se ad belluinam aliquam crudelitatem putabant, ita ut carnalibus quidem vesci inhumaniter, et sorbere sanguinem juberentur et quæcunque vel auditu solo horrenda.

NICOL. DE LIRA. *Comm. in cap.* VI. *Joan. v.* 64. *Spiritus est.* Hic exponit secundum de quo murmurabant, scilicet, quia dixerat carnem suam esse cibum necessarium ad salutem, et ipsi intelligebant hoc ac si daretur in propria specie, sicut laniatur vel venditur in macello, quod est horribile ; ideò tollit hunc intellectum, dicens, *spiritus.* Quasi dicat, Verba quæ dixi spiritualem sensum habent, et sic vivificant.

13. *Caro non.* Quia caro Christi manducata eo modo quo intelligebant, non esset utilis, sed magis horribilis ; ideò sequitur :

14. *Verba quæ.* De carne mea manducanda.

15. *Spiritus etc.* Quia spiritualem habent intellectum; nec mirum, quia sunt à Spiritu sancto. Ista tamen spiritualitas non est sic accipienda, quia caro Christi sit in sacramento Eucharistiæ tantummodò sicut in signo, ut dixerunt aliqui hæretici, quia est ibi realiter, ut dictum est: sed quia manducatur caro Christi in hoc sacramento quodam spirituali modo, in quantum species visibiles atteruntur et comeduntur, et spiritus ex virtute Dei carni unita reficitur.

TIRINUS, *annot. in Evang. secund. Joan. cap.* VI. *v.* 62. *Hoc vos scandalizat* quòd ego ipse jam præsens vobis et adhuc passibilis, et post tam evidens miraculum multiplicatorum recèns quinque panum, et post tot alia miracula quibus probo me omnia posse; dico me eàdem potentiâ daturum vobis carnem et sanguinem meum in cibum et potum: quomodo id vobis persuaderi sinetis, cùm sublatus in cœlum, immortalis, et procul absens, per solos discipulos et ministros meos idem inculcabo? Nempe tunc acclamabitis, non posse carnem quæ in cœlis est et impassibilis, reverà manducari in terris. Et tamen necessarium vobis est id credere si salvari velitis. Ita ferè Toletus. Sed jam modum vobis exponam, quo, si vultis, facilè intelligelis, posse me commodissimè, realiter manducari. (*v.* 64.) *Spiritus est qui vivificat*, id est, divinitas mea carni meæ unita, vitam omnem, de qua hactenus egi, et potentiam vivificandi tribuit. Sola enim caro mea nihil ad hoc prodesset: ita Cyrillus, Leontius, Rupertus. Undè verba, quæ de manducanda carne mea locutus sum, non sunt intelligenda de nuda carne mea, ut à spiritu meo seu divinitate sejungeretur, (ut vos imaginamini;) sed de carne mea, prout simul *spiritus* est, seu divinitati hypostaticè conjungitur, (sic enim, et non aliter, *vita* est, et vivificat:) et consequenter intelligi non debent mea verba de comestione instituenda modo merè carnali (quasi præcisurus sim particulas quasdam de visibili hoc corpore meo, vobisque dilaniandas daturus, ait S. Augustinus,) prout vos apprehenditis: (nam talis comestio, ut impia et indecens, ita et prorsùs inutilis esset.) Sed intelligi debent de comestione instituenda modo spirituali, seu spiritui accommodato, nempè quo totum, vivum et illæsum corpus meum sub speciebus panis et vini invisibiliter, sed tamen realiter ac substantialiter præsens sumetur, per modum sacramenti, quo res invisibilis, signis visibilibus tecta recipitur. Nihil ergo hic contra realem præsentiam corporis Christi in Eucharistia, de qua pluribus alibi.

ESTIUS *in cap.* VI. *Evang. sec. Joan. v.* 64. *Spiritus est qui vivificat; caro non prodest quidquam.* Decantata sententia hæreticis hodiernis, quâ significatum putant inutilem esse carnis Christi sumptionem in sacramento: ideoque non sacramentaliter ibi à fidelibus, sed spiritualiter tantùm manducari. Sed hunc sensum planè destruunt quæ præcedunt. Dixit enim: (*v.* 55.) *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Item: (*v.* 52.) *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Non ergo simpliciter intelligendum est carnem Christi nihil prodesse. Neque hinc tantùm sequeretur, carnem Christi in sacramento nobis inutilem esse; verùm etiam inutiliter (*Joan.* I. 14.) Verbum esse carnem factum, ut habitaret in nobis. Sensus igitur verus colligi potest ex alia simili sententia. Dicit Apost. (1. Cor. VIII. 1.) *Scientia inflat, charitas ædificat;* non vituperans scientiam tanquam inutilem, sed significans, charitatem quidem etiamsi sola sit, ædificare posse; scientiam autem si sola sit, inflare, et superbum facere: cum charitate autem conjunctam plurimùm prodesse: ita hoc loco, (*Joan.* VI. 64.) *Caro nihil prodest*, si sola sit, et spiritu Dei destituta. Nisi enim illa caro Deo esset unita, vivifica non esset; spiritus autem Dei vivificare nos potest, et per se, et per carnem. Neque dicit Dominus, *Caro mea non prodest:* ibi enim significatur caro Deo conjuncta, sed indeterminatè dictum est, caro non prodest; sicut ab Apost. *scientia inflat.*

MENOCHIUS *Comment. in Joan.* VI. *v.* 64. *Verba mea spiritus sunt et vita. etc.* Non sunt intelligenda de tali carne, qualis est aliorum hominum, sed de carne conjuncta divino Spiritui: nec de carne quæ comedi non potest nisi mortua sit, sed de carne viva, adeoque vivifica propter unionem cum spiritu.

ALFONS. SALMERON. *è Soc. Jesu, Comm. in Joan. cap.* VI. *Tract.* 23. *pag.*

173. Quòd igitur in hac signata, et postrema parte cap. sexti Joannis sit sermo de Eucharistiæ sacramento, præter ea quæ superioribus diximus tractatibus, novis, ac multis, et quidem validis rationibus, tum ex textu ipso, et serie verborum Domini, tùm aliunde petitis, qua tamen vim magnam et energiam habent, probari potest. Sumamus igitur dicendi initium à verborum Domini serie, et consequentia: sitque prima ratio: Constat in illo capite sermonem haberi de quinque panibus, quos benedictione Dominus multiplicavit, et per Apostolos distribuit, et turbam satiavit, ita ut superaverint duodecim fragmentorum cophini, et populus acclamaverit: (*v.* 14.) *Hic est verè Propheta, qui venturus est in mundum.* Huic autem signo aptius, et meliùs conjungitur tractatio de manducando pane vitæ in Eucharistia, quàm de manducatione purè spirituali passionis Christi per fidem: cùm in speciebus sacramenti vera manducatio interveniat, quemadmodum in pane Domini multiplicato evenit. In illa etiam præcessit benedictio Domini, quasi typus quidam illius benedictionis, quâ usus est in cœna, (*Matth.* XXVI. 26.) et modò utitur per ora Sacerdotum. Nam ut ipse Dominus est, qui baptizat per Ministros, ita ipse est qui conficit, et benedicit Eucharistiam per Sacerdotes; nam in ejus persona dicit Sacerdos: *Hoc est corpus meum.*

Secunda ratio sumitur ex sermone, quem præmisit de manna, quod secundùm omnes Patres, et Apostolum in priori ad Corinthios (X. 3. *et* 4.,) figura erat, non Christi in cruce, sed Christi sub sacramento Eucharistiæ.

Tertia ratio sumitur ex nomine panis toties, hoc est, quindecies replicati et repetiti: quod quidem nomen suaviùs repræsentat nobis Eucharistiam, quàm corpus Christi in cruce; præsertim cùm ex Paulo, (I. *Cor.* X. 16.) et Actis Apostolorum, (*Act.* II. 42. *et* 46.) ubi fit mentio de fractione panis, apertè colligamus, nomine panis Eucharistiam intelligi. Quemadmodum in prece Dominica cùm petimus panem nostrum quotidianum nobis dari, (*Matth.* VI. 11.) de sacro pane altaris sumendum esse, docent Cyprianus, Ambrosius, et Hieronymus, atque alii nonnulli.

Quarta ratio, ex vocibus cibi, et potûs, et ex verbis manducandi, et bibendi deducitur: nam ad significandam solam Christi mortem, et passionem, non ita commodè, sed durè ac incommode ponerentur; commodissimè autem ad Eucharistiam aptantur, in qua reipsà comedimus, et bibimus, (*Matth.* XXVI. 26. *et seq.* 1. *Cor.* XI. 26.) et mortem Domini annuntiamus donec veniat, atque ejus fidem facto tali, ac tam insigni protestamur. Maximè cùm Dominus dixerit, (*Joan.* VI. 56.) *Caro mea verè est cibus*, id est, habet rationem alendi et famem spiritualem pellendi. *Et sanguis meus verè est potus* (*Ibid.*), id est, habet rationem potandi, et extinguendi sitim. Atqui passio vel fides ejus, vel spiritualis manducatio à sacramento sejuncta, non verè, et propriè, sed valdè metaphoricè habet rationem cibi et potûs. Quocirca egregiè Euthym. ponderans illud adverbium, *verè*, *verè*, inquit, *Hoc dixit confirmans quòd non ænigmaticè, vel parabolicè loqueretur.*

Quinta ratio sit, à verbo futuri temporis, *Quem Filius hominis dabit*; (*Ibid.* 27.) et, *ego dabo.* (*Ibid.* 52.)

Sexta, à verbo illo, *Dabo*, bis in eadem sententia posito.

Septima ratio est; quia cùm Judæi objecissent Christo: (*Ibid.* 30. 31.) *Quod ergo tu facis signum ut videamus, et credamus tibi? quid operaris? Patres nostri manducaverunt manna in deserto.* Quibus verbis ostendunt se credidisse Mosi, quòd tale, et tantum signum ostenderit dando manna. Quibus Dominus respondens ait: (*Ibid.* 49. *et seq.*) *Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt. Hic est panis de cœlo descendens; ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur. Et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Ubi potentibus signum sensibile, ut illi crederent, proponit carnem suam sub specie panis: ergo signum à Christo exhibitum debet esse sensibile, et per consequens panis sacramentalis, non manducatio purè spiritualis, aut fides, quæ insensibilis est, maximè cùm corporis Christi, vel carnis ejus præsentia nobis subtracta sit, secundùm Hæreticos.

Octava ratio: à modo tradendi hoc præceptum est desumpta. Nam sicut (*Joan.* III. 3.) Nicodemo ambigenti ex possibili renascentia ex spiritu,

Christus respondit legem ferens, et necessariam esse indicans renascentiam per baptismum, et usus est illâ solitâ asseveratione geminandi, *amen*, *amen*, et illo adverbio *nisi*, quod necessitatem indicat, et comminatus est: *nisi quis*, (*Ibid.*) *renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*: ita hoc loco, ut pulchrè annotavit Euthym. in hæc verba, de altero sacramento, quod majus et admirabilius est, et de quo præcesserat dubitatio Judæorum, et offensio, non tantùm possibile, sed et necessarium indicavit, in quo tradendo usus est eisdem verbis auctoritatis significantibus pondus; et comminatus est, (*Joan.* VI. 54.) *non habebitis vitam in vobis*. Adeò, ut qui illud præceptum Baptismi, in quo quis ex aqua et Spiritu sancto regeneratur, admiserit, necessum sit, ut et hoc de manducanda carne, et bibendo Christi sanguine in sacramento admittat: et qui hoc loco negaverit de sacramento esse sermonem, neget et ibi, nempè Joannis 3. de baptismo Dominum loqui.

Nona ratio sumitur ab effectu, sive fructu hujus sacramenti, nempè manendi in Christo, et Christum in nobis manducantibus et bibentibus: vivendi deindè, et non moriendi: ait enim Dominus; (*Ibid.*) « Nisi manducaveritis, *etc.* non habebitis vitam in vobis. *Et rursùs*, (*Ibid.* 55.) Qui manducat meam carnem, etc. in me manet, et ego in illo. Et (*Ibid.* 58.) « qui manducat me, ipse vivet propter me: » ubi manifestus est sermo de servanda, et alenda vita; non autem de ea acquirenda, sive de integro comparanda. Quod etiam ipsa verba manducandi, et bibendi satis indicant; quia sunt actus viventis, non mortui, aut certè illius qui non existit: nam tales ejusmodi actus habere est impossibile. Atque ita effectus præceptæ à nobis sacrosanctæ Eucharistiæ (si manducare et bibere est duntaxat credere) soli fidei tribuerentur.

Decima ratio capitur, tum ex lite Judæorum, tum ex scandalo Discipulorum. Cùm enim priùs Judæi, antequam Christus loqueretur de Eucharistia, solùm murmuravissent de hoc quod dixerat: (*Ibid.* 38. *Descendi de cœlo, etc.* posteà verò Judæi litigarunt, dicentes: (*Ibid* 53.) *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Intelligebant enim manducationem quamdam ferinam. Et post eorum litigium et decertationem Dominus perseverans in assertione sua, subjunxit: (*Ibid.* 54.) « Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, » non habebitis vitam in vobis. » Discipuli verò perstantes in eorum sensu carnali, dixerunt, non quidem ut Judæi, (*Ibid.* 53.) *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum*; nam videbant fortè aliquas particulas, fragmentave à carne Christi posse abscindi, et proponi ad edendum; sed dicebant: (*Ibid.* 61.) *Durus est hic sermo, et quis potest eum audire?* Quasi dicerent, Possibile hoc est, durum tamen, inhonestum atque belluinum; quod animus etiam audire horreat. Ergo tam Discipuli, quàm Judæi intellexerunt Dominum loqui de manducatione suæ carnis: quòd si nullo modo haberet locum, vel ferina manducatio, quam ipsi intelligebant, vel esus in Eucharistiæ mysterio, ut Christus volebat, et insinuabat re profectò declaratâ, atque à Domino explicatâ, facilè eorum scandalum, et offensio sedari poluisset. Poterat siquidem Dominus dicere; Nemo offendatur verbis meis: intelligo tantùm in fide, et spiritu sumendum esse corpus, et sanguinem meum: nihil à vobis meis verbis aliud exigo, quàm ut simpliciter in me credatis. Ergo tam Judæi ipsi, atque Discipuli, suis verbis, et facto retrocedendi, quàm Dominus ipse non sedans illorum scandalum, et eorum retrocessioni non occurrens, apertissimè demonstrant, sermonem de manducanda Christi carne, et bibendo ejus sanguine, verum esse, et proprium; et citra metaphoram intelligendum.

Tract. 27. *pag.* 223. Duo sunt Fidei nostræ mysteria altissima. Primum est, Verbum in carne occultatum, de quo Joannes: (I. 14.) *Verbum caro factum est*: secundum, Verbum caro factum, occultatum in Eucharistia. Et priùs proposuit Dominus mysterium Incarnationis, et modum, quo utiliter per fidem suscipi deberet, simul etiam explicans fructum illud per fidem suscipientium. Verùm Capharnaïtæ nolebant acceptare, et murmurabant de illo; quibus posteà, murmuratione sedatâ, proposuit secundum mysterium: sicut dictum est fecisse cum Nicodemo, sive sicut Isaïas fecit cum Achaz, (*Isaï.* VII. 10.) cui nolenti petere aliquod

commune signum, et simulatè dicenti: (*Ibid.* 12.) *non petam, et non tentabo Dominum:* Dominus maximum Incarnationis signum subjunxit: (*Ibid.* 14.) *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium*, etc. Et ita Dominus non acceptantibus signum Incarnationis, subjungit signum Eucharistiæ: cujus hactenùs necessitatem, modum sumendi, et fructus explicavit. Cùm igitur Domino asseverante hoc secundum mysterium, non obstante lite Judæorum, Discipulis visus fuisset sermo durus de Eucharistia: Dominus adjecit tertium Ascensionis, de quo ait textus: (*Joan.* VI. 62. *et* 63.) « Sciens autem Jesus apud semetipsum quia murmurarent de hoc discipuli ejus, dixit eis, Hoc vos scandalizat? si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat priùs. »

Hoc vos scandalizat? Quasi diceret, Hoc quod dixi de me manducando, (*Ibid.* 51.) qui *sum panis qui de cœlo descendi*, quod vel maximè vos consolari debuerat, cùm hoc ingentem amorem meum in vos ostendat: hoc vos, qui tanta vidistis, tanta audistis, qui discipulos vos profitemini meos, hoc vos, inquam, scandalizat, ut à proposito meo, et sequelà meà excidatis? An non mirum est, panem aliis vitam præbentem, vobis mortem adducere, et quod aliis panis est vitæ, vobis fiat panis offensionis? *Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat priùs?* Abruptè loquitur, ut ostendat se non æquo animo ferre ipsorum scandalum. Aliquid igitur supplendum est, ut perficiatur oratio, nempè, Quid dicturi estis? nisi quòd priùs descenderim de cœlo: terrestris enim per se non potest ascendere, benè descendere; vel, tunc intelligetis, quàm malè nunc de me sentiatis. Atque ex his verbis colligimus aliquos illorum posteà fuisse conversos, et interfuisse Domini Ascensioni, illumque vidisse ascendentem. (*Act.* I. 2. 9. *et seq.*) Possunt autem hæc verba ad plures scopos spectare. Primus est, ad quem refert Augustinus; Dominum hoc dixisse ad excusandum eorum sensum carnalem, quo putabant carnem Christi in frusta, et particulas dilaniandam et sic edendam: quod Dominus apertè negat, dum asserit, eam ad cœlum transferendam, et integram illam ad Dei dexteram collocandam.

Alius scopus est, ut Dominus hæc dixerit, ad incredulos convincendos: quasi diceret; Si hunc, qui propè sum, et juxta sensum vestrum habeo carnem meam, et sanguinem ad manum, ut illam dem vobis in cibum, et potum, et nihilominùs scandalizamini: multo majori scandalo corripiemini, quando videritis me ascendisse in cœlum, nec propterea minus asseverari, et prædicari in Ecclesia mea, carnem meam, et sanguinem contineri in Eucharistia, in omnium fidelium membrorum meorum alimentum, et quòd in ea edant carnem meam, et bibant sanguinem meum.

Tertius scopus, et fortassis magis ad rem, est; ut hæc verba eò accommodentur, ut illis probare vellet, non esse impossibile quòd maneat in Eucharistia. Nam sicut Dominus in argumentum suæ potentiæ, solet resurrectionem suam à mortuis per se factam adferre, secundùm illud: (*Joan.* II. 19.) *solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud:* et alibi; (*Matth.* XII. 39.) *signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ*; et Apostolus ait: (*Rom.* I. 4.) *Qui prædestinatus est* (sive, ut Græci Patres exponunt, declaratus est) *Filius Dei in virtute, secundùm spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri:* ita etiam hoc loco sui ipsius evectionem in cœlum, tanquam signum divinitatis, et indiliæ suæ potentiæ adducit. Hinc Nathanaëli credenti quòd vidisset illum sub ficu, inquit: (*Joan.* I. 50.) *Quia dixi tibi, Vidi te sub ficu, credis: majus his videbis.* Et explicans illa majora, subdit: (*Ibid.* 51.) *amodo videbitis cœlum apertum, et Angelos Dei ascendentes, et descendentes supra Filium hominis.* Quibus verbis Assumptionis suæ mysterium voluit significare, sicut cùm dixit: (*Joan.* III. 13.) *nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo*, ita hic ait: Quando videritis virtutem meam, quam ex ascensione mea cognoscetis, cessabit fortè scandalum, et credetis posse me edendum porrigere in Eucharistia. Quid ergo conturbat vos quòd me dixerim panem, qui de cœlo descendi, cùm illuc sim ascensurus? ejusdem enim est ascensus, cujus est et descensus. Dissolvit igitur argumentum hæreticis nostris temporis familiare; dicunt enim Sacramentarii: Christus ascendit in cœlum,

et sedet ad dexteram Patris; ergo non est in Eucharistia. Quibus respondet Dominus: (*Joan.* VI. 63.) *si ergo videritis Filium hominis ascendentem*, id est, cùm ascendero in cœlum subductâ vestris oculis humanâ formâ, ex hoc certò agnoscetis me omnipotenti virtute meâ, tametsi ad dexteram Patris sedeam, in æternum posse corpus meum vobis porrigere in terris pro meo arbitratu, et modo mihi cognito. Nam si sol hic spectabilis, qui mera creatura existit, necdum deificata, quemadmodum corpus Christi post Ascensionem, tamen vires suas, et proprietates toti terrarum orbi communicat, ita ut *non sit qui se abscondat à calore ejus;* (*Ps.* XVIII. 7.) et tamen in cœlo, ubi est, semper permanet, nullam suæ naturæ, vel virtutis diminutionem sentiens: quantò magis ego qui solis sum conditor, et verus justitiæ sol, potero corpus meum Deitati conjunctum, mirabili modo vobis impertiri, ad animos et spiritus vestros illuminandos et satiandos? Hunc sensum confirmat Theodorus quidam Melitinensis in Armenia minore Episcopus, qui in libro explanationum suarum in Evangelia in hunc locum ita scripsit: « *Si igitur*, inquit, » (*Joan.* VI. 63.) *videritis Filium hominis*, id est, me qui videor vobis filius » hominis propter carnem, *ascendentem*, humanitate scilicet post resur- » rectionem, *ubi eram priùs* divinitate, quid dicetis, scilicet tunc, ab » ipsa veritate convicti? Etenim si existimatis carnem meam non posse » vivificare, quia non inest hoc in natura carnis; quomodo instar avis » in cœlum ascendit? Hoc enim æquè impossibile est carni terrenæ. Si » enim supra naturam ascendet, quid obstet quominùs vivificet, quamvis » non sit naturæ ejus insitum vivificare? Qui enim quod terrenum est, » facit cœleste, planè vivificum etiam reddit, licèt innatum, insitum- » quenaturæ ejus propriè sit interire. Non polliceor verbis tantùm ascen- » surum in cœlum, ne rursùs dicatis illud, (*Joan.* VI. 53.) *Quomodò?* » quininò oculos vestros adhibeo testes verborum: vestra spectatio omnem » contradicentem flectet, meque è cœlo descendisse, omniaque facere » posse planum faciet. Tametsi enim maximè descensus meus è cœlo » homines latere videtur, et ob eam causam dubius, vel etiam incre- » dibilis putatur iis qui audiunt: attamen ascensus meus in cœlos post » resurrectionem in conspectu Discipulorum factus, omnem ambigui- » tatem dissolvet, et meum corpus vivificum esse demonstrabit. Non » enim ipsis cernentibus ascendere in cœlos possem, (*Act.* I. 9.) nisi » indè priùs ad vos descendissem. » Et subdit: « Vides quomodo per ea » quæ dixit, ea quæ illi occultabant, penitùs patefecit, abducens eos » ab ea opinione, quâ Joseph patrem ejus putabant, et scandalum tol- » lens? Non enim hæc dixit, quòd scandalum augere vellet, sed potiùs » tollere. Qui enim filium esse Joseph existimaret, nunquam quæ dice- » bat, crederet: cui verò persuasum esset, eum è cœlo descendisse, et » illuc ascensurum, huic facilius erat ea quæ dicebat, probare. » Sic Theodorus ille.

Sequitur: (*Joan.* VI. 64.) *Spiritus est qui vivificat: caro non prodest quidquam.* Declarat Dominus causam erroris Discipulorum indè oriri, quòd in rebus quæ supra naturam et sensum sunt, sensus humanos, et rationem consulant, et non advertant ad signa quæ supra naturam sunt, quibus Christus illa comprobabat, ad quæ si quis advertisset, credidisset, ac obtinuisset utique dictorum Christi intelligentiam.

Sensus horum verborum duplex potest existere, et utroque revincuntur Sacramentarii. Primus est, quòd spiritus fidei illi est, qui vitam menti tribuit, et in verbis Dei vivam et perfectam intelligentiam invenire facit. *Caro autem* (non dixit, *mea*, quia Verbum caro factum (*Joan.* I. 14.) multum prodest, et manducata illa cum spiritu confert vitam æternam, ut superiùs dixit:) sed sensus, et intelligentia à carne proveniens, nihil prodest, sed obest potiùs; quia in verbis vitæ lucra mortis negotiatur. Quasi Dominus diceret: Scandalizamini, quia non ultimini spiritu fidei ad verba mea salutaria, et spiritualia capienda, et idcircò putatis promittere me carnem meam in frusta concidendam, et deni- bus conterendam. Ac ideò subjungit: (*Joan.* VI. 65.) *sunt quidam ex vobis qui non credunt*, et iterùm: (*Ibid.* 66.) *nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo.* Ut enim in Petro rectè confitente, revelationem Patris, seu, quod idem est, spiritum fidei, qui illam confessionem sug-

gessit, et dictavit, laudavit, et carnem ab illo sensu exclusit, cùm dixit: (*Matth.* XVI. 17.) *Caro et sanguis non revelavit tibi;* ita in hoc falso sensu verborum Domini, quem conceperant Capharnaïtæ, dixit adfuisse carnem, abfuisse verò spiritum fidei.... Alter sensus est; Dominum illis verbis explicasse, verba sua spiritaliter esse intelligenda, hoc est, ut diximus, spiritualem manducationem per fidem, sed in sacramento, actu, vel voto suscepto, ita ut excludat ferinam illam, vel purè sacramentalem comestionem: quia caro Christi utroque illorum modo manducata non prodest quidquam, non ex defectu carnis Christi, sed vitio ipsius sumentis. Opus est igitur spiritu fidei, ut à carne Christi manducata, quæ per se, cùm conjuncta verbo Dei vivificatrix sit, vitam hauriamus. Et sic exponunt Augustinus, et Cyrillus.

LUC. BRUG. *Comm. in Evang. sec. Joan. cap.* 6. *v.* 53. *pag.* 282. *Ad manducandum*, in cibum. Id enim promittit. An curabit seipsum occidi, et occisum corpus suum in frusta secari, et Discipulis distribui dentibus discerpendum, ac instar aliorum ciborum stomacho decoquendum, atque absumendum? Non videtur alia esse id præstandi ratio. At quàm barbarum hoc ac ferinum, et ab humano usu alienum, et vel cogitatu horridum, prorsùs verò omninoque inutile? Rectè intelligunt verba Jesu, quòd carnem suam propriam daturus esset in cibum: sed quia modum id perficiendi alium mente non assequuntur, quàm eum à quo recta ratio abhorret; idcircò tumultuantur, et rixantur, parsque major insani hominis promissionem esse judicat. Cùm panem hactenùs seipsum frequenter appellasset, non eà re offensi fuerant, quòd facilè intelligerent aliquam in verbis latere metaphoram: nunc autem cùm exponit se daturum propriam carnem suam in cibum, altercantur, nec audire ferunt hujusmodi promissa. Atqui, *credidisse potius Christo oportuit*, quod ait Cyrillus, *et si quid arduum videbatur, ab eo humiliter petere... Amen, amen dico vobis:* etiam atque etiam affirmo vobis, et augeo sententiam. Non redarguit intelligentiam eorum tanquam distortam, quòd promittere cum intelligerent, propriam suam carnem in cibum; imò verò adhibitâ gravissimâ asseverationc confirmat, quòd non solùm carnem suam in cibum, verùm etiam sanguinem suum in potum daturus esset, id quod multò etiam magis turbaret eos, quibus sanguinis cujuscunque, nedum humani, usus divinitùs interdictus erat. Sed cùm ipsi modum, quo hoc fieri posset, alium non intelligerent, quàm crudelem, belluinum, ac barbarum quemdam, et propterea offenderentur: non aperit quidem eis modum, (quòd nondum adesset tempus) sed non tantùm fieri id posse affirmat, ut comedant carnem ipsius et sanguinem bibant, verùm etiam necessarium ipsis fore, si salvi esse vellent, contestatur.

Pag. 288. (*Joan.* VI. 64.) *Verba* igitur *quæ ego locutus sum vobis... spiritus sunt*, non caro aut corpus. Non sunt intelligenda, de tali carne, qualis est aliorum hominum, sed de carne conjunctâ divino spiritui: intelligenda, inquam, sunt spiritualiter, id est, ita ut conveniant carni, per quam Dei spiritus operetur. Et vita non mors, non sunt intelligenda de carne, quæ comedi non potest, nisi vel occidatur comedendo, vel jam aulè mortua sit: sed de carne viva, adeoque ex unito Spiritu vivifica, quæ etiam comesta permaneat integra et salva. Non sunt intelligenda carnaliter, quasi caro mea dentibus manducantium dilanianda, conterenda, in putredinem denique convertenda sit: sed ita ut convenit carni ex conjuncto spiritu vivificæ, quæ ex eo quòd manducetur, nullum referat detrimentum. Talem manducandi modum verba mea præ se ferunt, mysticum et spiritualem, qui quamvis verè reque ipsâ carnem meam manducandam offerat, faciat id tamen in mysterio seu sacramento, sub alienâ non sub carnis specie, invisibili, impassibili, admirandâ, et inexplicabili quàdam ratione, quæ nec horrorem ullum comedenti, nec damnum comestæ carni adferat. *Verba* itaque *mea spiritus et vita sunt*, id est, spiritus vivificans sunt, ad eum modum intelligenda sunt, qui congruat carni copulatæ spiritui vivificanti, per quam Dei Spiritus alios vivificet, id est, spiritualiter et vitaliter accipienda sunt. Spiritualia et vivifica sunt, inquit, Euthymius: *Oportet namque non simpliciter ea intueri* (*id enim carnaliter intelligere*) *sed aliud quippiam imaginari, et interioribus oculis ea adspicere, tanquam mysteria.*

Observa, quòd spiritualis manducatio, non excludat realem sed carnalem illam et ferinam, qualem Judæi imaginabantur.

JOAN. FERUS *annotat. in Joan. Evang. cap.* 6. *v.* 64. *pag.* 156. *Spiritus est, qui vivificat : Caro non, etc.* Etiam hoc verbum Sacramentarii pro sua opinione adducunt, immò hic planè triumphant. Quemadmodum enim, qui per vitrum depictum vident, putant omnia alia eum colorem habere, quem habet vitrum, cùm tamen non ita sit : sic hi, quia semel imbiberunt carnalem illam imaginationem, putant omnia alia suæ imaginationi consentire. Sed vide quàm frigidè argumententur. *Spiritus*, inquiunt, *est, qui vivificat ; ergo* corpus Christi non est in sacramento : vel, ergo nihil nisi spiritus est in sacramento. Quis non rideat hanc argumentationem ? Idem enim est, ac si dicam, Anima vivificat hominem, ergo homo nihil nisi anima est, non habet corpus... Immò corpus Christi vere pertinet ad illud dictum : (*Joh.* III. 6.) *Quod natum est ex spiritu spiritus est.* Non igitur hoc verbo auferre potes Christi corpus è sacramento. Præterea, non sequitur, si aliquà re spiritualiter utamur, quòd illa res necessariò spiritus sit, et non corpus. Nam beata Virgo verè spiritualiter etiam concepit Caristum in corde, non tamen ob id sequitur, quòd Christus non habuerit corpus. Sic manducatur quidem corpus Christi spiritualiter, non tamen ob id sequitur, quòd non possit etiam corporaliter sumi... *Caro non prodest quidquam.* Et hoc dictum crebrò jactant, sicque carnem Christi à spiritu et divinitate separant. Nos autem nec carnem à spiritu, nec corporalem manducationem à spirituali dividimus. Scimus enim, quòd ubicunque est caro Christi, illic est divinitas et spiritus vivificans : Et è contra, quia indivisibilis persona est. Deindè, scimus in sacramento non tantùm nobis offerri panem, sed simul verbum Dei. Hæc autem non dividimus, nec dividi ab invicem patimur, ut quis dicere velit, spiritus quidem prodest, non autem caro. Secundò, non concedimus, quòd hoc verbum ad carnem Christi referendum sit, tum quia suprà, ubi de sua carne loculus est, semper addidit : *Mea*, vel *Filii hominis.* Hic autem non addit : *Mea*, sed indefinitè : *Caro*, inquit, *non prodest.* Tum quia hìc carnem opponit spiritui, undè patet, quòd de ea tantùm carne loquitur, quæ contrariatur spiritui : Hoc autem in Christo non est. Ejus enim caro non adversatur spiritui, sicut in nobis, sed verè spiritualis caro est. Tertiò omninò negamus, carnem Christi nihil prodesse, immò hæc dicere, blasphemiam arbitramur esse quàm maximam. Quomodo enim non prodesse posset ea caro, quæ verbum Dei secum habet ? Immò, si tantùm bubula caro esset, tamen propter adjunctum verbum prodesset, quemadmodum et Baptismi aqua, cùm sit externa res, tamen propter adjunctum verbum prodest. Item, quomodo prodesse non posset caro Christi, cùm in Evangelio legamus, tactu carnis suæ, plerisque sanitatem restitutam esse ? *Omnes*, inquit, (*Marc.* VI. 5.) *quotquot tangebant eum salvi fiebant...* Prætereà, quomodo prodesse non posset caro, quæ Deo juncta est, Deo plena est : Nihil aliud fallit Schuvermeros illos quàm quòd non distinguunt carnem Christi ab alia carne, cùm longè excellentior sit caro Christi, adeò, ut verè dici possit Dei caro, vel divina aut deificata caro. Quartò, etiam si certum esset, Christum hic de carne sua loqui, eamque planè nihil prodesse, quod tamen impossibile est, non tamen ideò sequeretur, quòd non esset in sacramento. Qualis enim consequentia, Caro Christi non prodest, ideò non hic est ? Sic enim et ego colligam, truncus hic nihil prodest, ergo non jacet hic, cujus contrarium video ; Item, Deus impiis nihil prodest, ergo Deus non est apud ipsos : Item, Christus in cruce pendens, nihil proderat impiis Judæis, ergo non pendebat in cruce, etc. Ridentur à pueris hujusmodi argumenta. Omissis igitur hujusmodi nugis, immò mendaciis, verum sensum verborum Christi quæramus.

Primò igitur cùm dicit : *Spiritus est qui vivificat*, etc. carnalem Judæorum intellectum redarguit, quasi diceret, Ego de fide loquor, vos de ventre cogitatis. Manifestè docui, fide oportere et me et omnia me suscipi et manducari : vos autem tantùm de carne cogitatis, quomodo in macello venditur, in culina coquitur, et dentibus dilaceratur. Atqui non hoc agebam, non ita dabo carnem meam, sicut carnes animalium comeduntur : nec enim quidquam hoc prodesset. *Spiritus est qui vivificat*, hoc

est, spiritualiter intelligi oportet quod dixi, non tam crassè, spirituali et invisibili modo carnem meam dabo. Caro, hoc est, crassus ille et carnalis vester intellectus, nihil prodest : *verba quæ loquor, spiritus et vita sunt :* hoc est, Doctrina mea spiritualis est, ideò non vult habere tam crassos auditores. Nihil proficietis quandiu hujusmodi carnales cogitationes in vobis sunt. Vides igitur, verbum hoc pugnare contra veritatem corporis Christi in sacramento. Immò tantùm ostendit, eamdem carnem suam non visibiliter, sed invisibili quodam et spirituali modo manducari in Sacramento.

Deindè, verbum hoc sic intelligere possumus, ut sit generalis quædam collatio inter carnem et spiritum, quemadmodum sæpe fieri solet in Scriptura. Spiritus, inquit, prodest, non caro, hoc est, nisi spiritus elliciamini et carnem exualis, vivere non potestis. Sic supra docuit : (*Joan.* III. 5.) *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu*, etc. *Quod enim natum est ex carne*, (*Ibid.* 6.) *caro est.* Præterea, etiam ex hoc verbo accipimus differentiam inter externa et interna : Per carnem externa, per spiritum interna intellige. Nihil igitur prodest caro, hoc est, quæcunque externa, si non adsit spiritus... Nihil prodest externè verbum Dei audire, legere, portare, nisi in corde ei spiritu habeas. Sic et hic nihil prodest etiam externa corporis Christi manducatio, nisi et fide quoque manducetur... Vides igitur, quòd etiamsi verba hæc ad Sacramentum propriè referantur, non tamen plus indè sequitur, quàm quòd externa sacramenti manducatio sola, non prosit : atqui hoc nos quoque ingenuè fatemur, immò majus aliquid dicimus, nempè, externam manducationem etiam obesse, si non adsit interna : *Qui enim indignè manducat*, (1. *Cor.* XI. 29.) *judicium sibi manducat*, etc. Hoc, inquam, fatemur, non tamen ob id negamus corpus Christi adesse in sacramento.

Verba quæ loquor spiritus et vita sunt. Non hoc vult, quòd in sacramento nihil sit nisi spiritus ; sed docet qualiter verba sua sint acceptanda. *Verba*, inquit, *mea sunt spiritus.* Jam cùm spiritus vivificet, proinde necessarium erit, ut ante omnia fide accipiatis verba mea : Dixi carnem meam esse verè cibum. Hæc verba si crediderilis, jam erunt vobis spiritus vivificans. Nam sicut per verbum omnia creavi, ita et per verbum justifico credentes. Observa verba Christi, non unum aut alterum, sed indifferenter præstare spiritum et vitam, si fide arripiantur. Quòd si hæc verba ad sacramentum referre volumus, non tollunt nobis veritatem corporis Christi, sed magis confirmant. Si enim in verbis Christi spiritus et vita est, quis dubital, eum posse præstare, quod dicit aut promittit ? Summa, quantumcunque Sacramentarii jactent verba illa. *Spiritus est, qui vivificat.* Item, *verba mea sunt spiritus et vita*, nondum tamen consequitur, nihil in sacramento esse, nisi spiritum, non autem corpus Christi : alioqui eadem ratione colligere possem : Anima est, quæ vivificat hominem, ergo homo nihil est quàm anima. Quis autem ferret talem argutatorem ? Deinde quantumcunque jactent dictum illud : *Caro non prodest quidquam* : ac exempla Judæi et aliorum adducant, quibus corpus Christi non profuit, non tamen adhuc probaverunt, quòd corpus Christi in se nihil prosit : Immò scimus, corpus Christi multis profuisse, juxta illud (*Marc.* VI. 56.) : *Quotquot eum tangebant, salvi fiebant.* Ad hæc non sequitur, Corpus Christi non prodest impiis, ergo in se non prodest. Eadem enim ratione sequeretur, quòd nec scientia, nec divitiæ, nec Evangelium, nec passio Christi, immò nec Deus ipse quidquam prodesset, quia nihil horum prodest impiis : *immundis enim* (*Tit.* I. 15.) *omnia immunda.* Præterea quantumcunque clament Christum ad cœlos ascendisse, nondum tamen probaverunt, cum ita in cœlo alligatum, ut tantùm in uno loco sit, nec alibi esse possit. Denique quantascunque scripturas corradant, ubi de transitu Christi dicitur : ut (*Joan.* XIV. 2.), *Vado parare vobis locum* ; item (*Joan.* XVI. 28.), *Relinquo mundum* : item (*Matth.* XXVI. 11.), *Me non semper habebitis*, etc. nihil tamen amplius ex his convincere possunt, quàm Christum non ampliùs visibiliter in mundo esse. Juxta hoc tamen ingenuè et audenter confitemur, Christum cum electis suis etiamsi non visibiliter, tamen verè corporaliter et spiritualiter et esse et permansurum, usque ad consummationem seculi, quemadmodum promisit. (*Matth.* XXVIII. 20.) Quia igitur hactenùs non

probare potuerunt ex Scripturis, quòd corpus Christi per Dei potentiam alibi esse non possit, quàm in cœlo : item, quòd caro Christi in se nihil prosit : Manemus nos cum simplici illo verbo Christi (*Matth.* XXVI. 26.), *Accipite, manducate : Hoc est corpus meum.* Immò gratias agimus divinæ bonitati, quòd etiam corpori nostro spem futuræ vitæ et resurrectionis dat, per participationem sui Corporis.

CORNEL. JANSEN. Iprens. Episc. *Comment. in Evang. secund. Joan. cap.* 6. *v.* 51. *et* 52. Transit jam hîc Christus ad manducationem sui, non solùm spiritualem per fidem, sed etiam realem per Sacramentum : et ideò futuri temporis verbo uti incipit, dicendo (*v.* 12.) : *Et panis, quem ego dabo*, ubi respicit ad illa verba (*v.* 27.) *quem Filius hominis dabit vobis*, per quæ Sacramentum corporis sui, id est, Eucharistiæ promiserat. Sed antequam illud accuratiùs explicaret, necessariò præmittenda, et munienda erat apud istos incredulos suæ Incarnationis fides, utpote cui sacramentum Eucharistiæ prorsùs nititur. Itaque sermo iste Christi à pane Eucharistiæ incipit, et in illum desinit : manducationem interim spiritualem per fidem Incarnationis recto ordine præmittens corporali, in quam semper collimat. Quæ etiam ratio est, quòd cùm de Incarnatione est sermo, illam attribuat Patri, non Filio hominis, dicendo (*v.* 32.) *Pater meus dat vobis panem.* Eucharistiam verò tam hîc, quàm (*v.* 27.) tribuit Filio hominis, quia Incarnationis Filius hominis ut talis, non causa, sed effectus est. Eucharistiam verò ipse Filius hominis dedit, dum panem sumpsit in manibus, vertitque in corpus suum. Itaque *Panis, quem ego dabo* vobis in cibum, in ultima scilicet cœna mea, *caro mea est*, id est, corpus meum. Est enim differentia inter Corpus et Carnem, quòd corpus præter carnem, etiam ossa, nervos, venas, reliquamque structm comprehendat. *Pro mundi vita*, supple, danda. Græcè enim clariùs, dabo, hoc modo : *Quam ego dabo pro mundi vita*, scilicet in cruce, ut Euthym. et Theophylact. Quod addit, ut per hoc indicaret, se non figuram, vel similitudinem carnis suæ in cœna daturum esse, sed veram carnem suam, illam ipsam, quam erat in mortem daturus. Qua de causa et in cœna dixit : (1. *Cor.* XI. 24.) *Corpus meum quod pro vobis tradetur*, scilicet in mortem, et generis humani redemptionem.

v. 53. Litigabant ergo Judæi ad invicem, Græcè ἐμάχοντο πρὸς ἀλλήλους, *pugnabant, inter se contendentes* aliis scilicet affirmantibus, aliis cum stomacho contradicentibus : *Quomodo hic potest suam carnem dare ad manducandum ?* Intelligebant enim eam more aliorum ciborum frustatim discerpendam, ut notat Aug. tract. 27. Quæ causa fuit, ut cùm se sæpiùs Panem appellasset, nihil offensi fuerint, facilè suspicantes metaphoram aliquam ibi latere posse : sed cùm dixit illum ipsum panem, quem eis daturus esset, esse carnem suam, scandalizati sunt, dicendo : *Quomodo potest hic*, etc. Ubi *hic* contemptum spirat. *Quomodo* verò esse vocem Judaïcum, notat Cyrill. et incredulitatis esse signum. Chrysostom. et alii. Quòd si tantummodò figuram carnis suæ, vel nudum panem Christus eis promisisset, ut Calvinistæ volunt, facillimè totam contentionem uno verbo sedare potuisset, dicendo se carnem suam figuratè daturum, sicut manna figuratè spiritualis cibus fuerat, et aqua spiritualis potus. Sed quia rectè intellexerant verba de vera carne Christi, hinc auget sententiam præcedentem, gravissimaque confirmatione manducationi carnis suæ, quam horrebant, etiam sanguinis sui potum adjungit, quo Judæis nihil magis illicitum, ac belluinum videri poterat, utpotè quibus usus omnis sanguinis, nedum humani, interdictus erat.

v. 54. *Dixit ergo eis Jesus* : quasi diceret, inquit August. Quomodo quidem edatur, et quis modus sit manducandi istum panem, ignoratis : verumtamen nisi manducaveritis carnem Filii hominis, id est, meam humanam, quam oculis vestris cernitis, et biberitis ejus sanguinem. Hac ipsâ carnis et sanguinis differentiâ insinuans, se sacrosanctum quoddam convivium, non solùm carnis, sed et sanguinis instituturum.

v. 64. *Spiritus est, qui vivificat. caro non prodest quidquam.* Quæ verba à Chrysostomo cum suis, itemque August. in Psal 98. sic exponuntur, ut significent, carnalem intelligentiam eorum de modo manducandi, nihil ad vitam prodesse, sed spiritualem, quâ caro Christi reipsâ quidem, sed

Quod tunc fecerunt Apostoli id faciunt etiamnum omnes Catholici : licèt enim verba Christi de manducatione carnis suæ non possimus animo comprehendere, ea tamen vera esse scimus et credimus. Credimus carnem Christi verè esse cibum, et sanguinem Christi verè esse potum, sunt enim hæc ipsa Christi verba. Quomodo id fiat, cogitatione nec assequimur, nec perscrutamur. Christus verba vitæ æternæ habet, fallere non potest : nobis hoc sufficit.

Protestantes autem imitantur eos discipulos qui verbis Christi de manducatione carnis et de potu sanguinis scandalizati, (*Joan.* VI. 67.) *abierunt retrò, nec jam cum illo ambulabant.* Christus, inquiunt, jam in cœlo est ; simul nequit in terris corporaliter adesse. Si dixeris carnem Christi verè esse cibum, et sanguinem Christi verè esse potum, *Durus est hic sermo*, inquiunt, (*Ibid.* 61.) *et quis potest eum audire?* Malunt ergo segregare se à societate Christi et Discipulorum ejus, quàm credere quod non animo comprehendunt. Quasi verò cætera Christi mysteria, Incarnatio, Trinitas, etc. possint animo comprehendi.

§. 4. De Eucharistia sub ratione sacramenti. De Præsentia reali, et Transsubstantione.

I. Quid est sacramentum Eucharistiæ?

R. Sacramentum est, quo continetur verè, realiter et substantialiter corpus, et sanguis, unà cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proindè totus Christus sub specie panis et vini. (A)

I. Quid? Christus ipse qui jam sedet ad dexteram Patris, qui natus est ex utero Virginis, idem ipse est in Eucharistia?

R. Idem ipse est. Idem corpus, eadem anima, idem numero Christus.

I. Quâ ratione fit ut sub speciebus panis et vini Christus ipse verè et substantialiter contineatur?

R. Id ita esse certi sumus ; quâ autem id ratione fiat nec mente consequi, nec verbis exprimere valemus.

tamen in sacramento, non solâ fide, sed non sine fide, atque dilectione manducanda est. Cui sensui congruè subjungitur : *verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt* : id est, non ita carnaliter, ut suspicamini, intelligi debent, sed tradunt res spirituales, æternam vitam adferentes. Non quasi de manducatione carnis figuratâ, metaphoricâ, vel per solam fidem loqueretur, ut hæretici somniant : sed quia de manducatione veræ carnis, non tamen carnalis, non mortuæ, non discerpendæ, non in propria specie, sed sub speciebus panis tectæ.

Vide suprà hocce §. *litt.* (C) MALDON. *Comment. in cap.* VI. *Joan. Mitto* THEOPHYL. JANSEN. GANDAV. TOLETUM, *cæterosque Evang. Commentatores tam Græcos quàm Latinos, qui ferè omnes hunc Joannis locum de sacramento Eucharistiæ interpretantur.*.

(A) CONCIL. TRID. *Sess.* 13. *can.* 1. Si quis negaverit, in sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento contineri verè, realiter et substantialiter corpus et sanguinem unà cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proinde totam Christum ; sed dixerit tantummodò esse in eo ut in signo, vel figura, aut virtute ; anathema sit.

I. Quâ id nobis ratione constat ?

R. Quia Christus ipse dixit, (*Matth.* XXVI. 26. 27. *etc.*) accipiens panem : *Hoc est corpus meum*, et accipiens calicem : *Hic est sanguis meus.* Nihil his verbis expressius. Ecclesia autem secuta seculorum omnium traditionem certissimam, hæc Christi verba intellexit semper de præsentia reali et corporali, secuta mentem Pauli Apostoli. (B)

I. Ergo Christus simul est corpore præsens in cœlo, et in terris ? Sedet ad dexteram Patris, idemque in Eucharistia, imò et in qualibet hostia, simul reipsâ continetur ?

R. Tam id certum est quàm quod certissimum. Id solùm interest discriminis, quòd Christus in cœlo visibilis appareat ; in sacramento sub speciebus abscondatur.

I. Quâ id ratione fieri potest ?

R. Mysterium est. Assequi id cogitatione non possumus. Credimus tamen, et certissimè novimus rem ita esse, quia Christus revelavit. (C)

I. Tenemurne credere quæ intelligentiæ nostræ captum superant ?

R. Quidni, si hæc Deus certò revelaverit ? Nonne Protestantes ipsi, qui tantam vim tribuunt huic argumento, credere se profitentur Trinitatem, Incarnationem, futuram singulorum corporum Resurrectionem ? Mysteria certè quæ non minùs intelligentiæ captum superant, ac realis et substantialis Christi præsentia in Eucharistia, quam credere nolunt. Nos et hanc credimus, quia non secùs ac cætera mysteria Deus hocce mysterium revelavit. (D)

(B) I. CORINTH. X. 16. Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est ? et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est ?

XI. 27. Quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne : reus erit corporis et sanguinis Domini. 28. Probet autem seipsum homo : et sic de pane illo edat, et de calice bibat. 29. Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit : non dijudicans corpus Domini.

(C) S. AUG. *Tract.* 27. *in Joan. n.* 7. Idcò non intelligunt, quia non credunt. Propheta enim dixit : (*Isai.* VII. 9.) Nisi credideritis, non intelligetis. Per fidem copulamur, per intellectum vivificamur. Priùs hæreamus per fidem, ut sit quod vivificetur per intellectum. Nam qui non hæret resistit : qui resistit non credit. Nam qui resistit, quomodo vivificatur ? Adversarius est radio lucis, quo penetrandus est : non avertit faciem, sed claudit mentem. *Sunt* ergo *quidam qui non credunt.* (*Joan.* VI. 65.) Credant et aperiant, et illuminabuntur.

N. 9. *Verba vitæ æternæ habes.* (*Ibid.* 69.) Videte quemadmodum Petrus, dante Deo, recreante Spiritu sancto, intellexit. Undè, nisi quia credidit ? *verba vitæ æternæ habes.* Vitam enim æternam habes in ministratione corporis et sanguinis tui. *Et nos credidimus, et cognovimus* : non cognovimus et credidimus, sed *credidimus et cognovimus.* Credidimus enim ut cognosceremus : nam si priùs cognoscere, et deindè credere vellemus, nec cognoscere nec credere valeremus. Quid credidimus, et quid cognovimus ? *Quia tu es Christus Filius Dei* : (*Ibid.* 70.) id est, quia ipsa vita æterna tu es, et non das in carne et sanguine tuo nisi quod es.

(D) S. CYRIL. ALEXAND. *Lib.* 4. *in Joann. v.* 52. *pag.* 358. *In hodiernos hæteroaoxos, sub personis incredulorum Judæorum Christi dictis fidem abnegantium videtur invehi. Hunc habes suprà hujusce Cap.* §. 3. *litt.* (G)

I. Nunquid rationabile esse debet obsequium nostrum ex Apostolo? (*Rom.* XII. 1.)

R. Debet utique. Sed tunc rationabile est obsequium nostrum, ex eodem Apostolo (2. *Cor.* X. 5.), cùm captivamus intellectum in obsequium fidei : Deoque ipsi revelanti credimus in iis etiam quæ mentis nostræ captum superant. *Est* enim *fides* (*Hebr.* XI. 1.) *argumentum non apparentium.* (E)

I. Multò satius esse videatur si verba Christi, (*Matth.* XXVI. 26.) *Hoc est Corpus meum*, sic intelligamus ut sensus sit, *Hæc est figura corporis mei.* Quemadmodum non in sensu proprio et litterali, sed in sensu figurato et translato accipimus hæc alia Christi verba, (*Joan.* X. 7. XV. 5.) *Ego sum ostium : Ego sum vitis, vos palmites*, et alia multa ejusmodi?

R. Constat hanc interpretationem esse omninò rejiciendam : tum quia manifestè pugnat cum verbo Dei : tum quia aliena prorsùs est et à Christi mente, et ab eo sensu quem tenuit semper Ecclesia.

1. Quotiescunque de Eucharistia sermo est, sive in capite sexto sancti Joannis, sive apud alios Evangelistas, sive in Epistolis sancti Pauli, semper sermo est de vera et corporali corporis Christi manducatione, nusquam figuræ sensus exprimitur; imò positivè sensus ille excluditur : corpus enim quod dedit Christus Apostolis manducandum, idem est, ut patet ex ipsis Christi verbis, quod pro ipsis erat postridie tradendum. (1. *Cor.* XI. 24.) *Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur.* (*Matth.* XXVI. 28.) *Hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur.* (*Luc.* XXII. 20. *etc.*) At solus Manichæus asseruerit corpus Christi non realiter, sed in figura solùm et phantasmate fuisse traditum. Et certè ubi Paulus Apostolus loquitur de sacra communione corporis Dominici, hæc habet : (1. *Cor.* XI. 27. 29.) *Qui manducat et bibit indignè, reus erit corporis et sanguinis Domini : judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini.* Ergo corpus Domini verè sumitur ab indignè communicantibus, ergo corpus Domini in sacramento est verè et substantialiter, seclusâ communicantis fide. Qui enim sine fide communicat, is certè manducat et bibit indignè, adeoque reus est corporis et sanguinis Domini; judiciumque sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini. Calvinus autem et Zuvinglius asserere non verentur, contradicente Apostolo, non esse corpus Christi in Eucharistia independenter à fide communicantis. Nihil ergo sumit, ex eorum mente, qui sine fide communicat, quàm nudum panem, in quo nulla sit corporis Dominici figura : neque enim ut ipsi mentiuntur seclusâ communicantis fide, panis repræsentat corpus Christi. Et tamen vult Apostolus in eo positum esse scelus indignè communicantis, quòd non dijudicet corpus Domini. Expedient se Heterodoxi nunquam ab

(E) *Vide quæ diximus suprà in hujusce Operis Part.* 1. *Sect.* 1. *Cap.* 1. §. 4.

illâ difficultate. Fateor tamen ita Calvinum mentem suam ea de re verborum ambagibus involvere, ut quid ipse senserit non ita facilè dignosci posse videatur : mox enim ad Ecclesiæ sensum propiùs videtur accedere, mox ad Zuvinglii partes descendit. Id certum est noluisse Calvinum seclusâ fide Christi corpus à Christianis realiter manducari.

2. Ab Apostolis ad nostra usque tempora credidit semper Ecclesia corpus Christi verè offerri in sacrificium, et sumi à fidelibus. Et ubi rudes imbuebant fidei documentis quod nos eà de re credere profitemur, id tradebant verbis conceptis, quibus nos jam non possumus adhibere expressiora et significantiora : legantur testimonia excerpta ex SS. Ignatio Antiocheno, Justino, Irenæo, Cypriano, Hilario, Ambrosio, Augustino, Hieronymo, Cyrillo Hierosolymitano, Cyrillo Alexandrino, Gregorio Nysseno, Basilio, Chrysostomo, aliisque quos hîc enumerare si vellem nimis in longum protenderetur oratio. (F)

(F) S. Ignat. Mart. *Epist. ad Smyrn. circa medium.* (Hæretici) ab Eucharistia et oratione recedunt; propter non confiteri Eucharistiam carnem esse Salvatoris nostri Jesu Christi pro peccatis nostris passam, quam benignitate Pater resuscitavit. Contradicentes ergo huic dono Dei perscrutantes moriuntur.

Epist. ad Roman. apud Theodor. Ruinart, *in Actis Mart. sinceris, pag.* 70. Non delector corruptionis alimento, neque hujus vitæ voluptatibus. Panem Dei volo, panem cœlestem, panem vitæ, quæ est caro Jesu Christi filii Dei, qui posteriori tempore ex semine David et Abraham factus est; et potum Dei volo sanguinem ipsius, quæ est charitas incorrupta, et perennis vita. Nolo ampliùs secundùm homines vivere.

Epist. ad Philadelph. Studete igitur unâ gratiarum actione uti. Una enim caro Domini nostri Jesu Christi, et unus calix in unionem sanguinis ipsius, unum altare, et unus Episcopus, cum presbyterio et Diaconis conservis meis : ut quod facitis, secundùm Deum faciatis.

In Epist. interpolata ad Philadelph. Rogans vos ut instetis uni fidei, uni prædicationi, unâ gratiarum actione utentes. Una enim est caro Domini Jesu, et unus ejus sanguis qui pro nobis effusus est, unus etiam panis pro omnibus confractus, et unus calix totius Ecclesiæ : et unus Episcopus, simul cum omni presbyterio, et Diaconis conservis meis. Quia et unus est ingenitus Deus Pater, et unus unigenitus Filius Deus Verbum et homo, et unus Paracletus Spiritus veritatis. Una etiam prædicatio, et (*Ephes.* iv. 5.) *fides una, et unum baptisma*, et una Ecclesia, quam fundaverunt sancti Apostoli, à finibus usque ad fines, in sanguine Christi propriis sudoribus, et laboribus. Et vos ergo oportet, sicut populum Sacerdotalem, et gentem sanctam, in concordiam omnes in Christo consummari.

S. Justin. *Apol.* 1. *circa finem.* Cibus hic apud nos Eucharistia nominatur, quâ nemini alii participare licet, nisi ei qui et vera esse credit quæ nos dicimus, et expiatus est lavacro quod in remissionem peccatorum regenerationemque datur, et ita vivit, ut Christus tradidit. Neque hæc communem usitatamque panem, usitatamque potionem capimus, sed quemadmodum per Dei Verbum homo factus Jesus Christus conservator noster, et carnem et sanguinem pro salute nostra habuit : sic etiam cibum qui per preces sermonis, quem ab eo accepimus, conseratus est, et quo sanguis carnesque nostræ communione aluntur, Jesu Christi ejus qui homo factus est, et carnem et sanguinem esse accepimus. Apostoli in commentariis suis, quæ Evangelia dicuntur, ita sibi Christum præcepisse tradiderunt, cum accepto pane cùm gratias egisset, dixisse, (*Matth.* xxvi. 26. *etc.*) *hoc facite in meam memoriam mei, hoc est corpus meum :* dixisse etiam accepto poculo cùm egisset gratias, (*Ibid* 27.) *hic est sanguis meus*, sibique solis dedisse.

S. IRENÆUS, *adv. hæres. lib. 4. cap.* 18. *aliàs* 34. *n.* 4. Hanc oblationem Ecclesia sola puram offert fabricatori, offerens ei cum gratiarum actione ex creatura ejus. Judæi autem non offerunt: manus enim eorum sanguine plenæ sunt: non enim receperunt VERBUM, QUOD OFFERTUR DEO. Sed neque omnes hæreticorum Synagogæ.... Quomodo autem constabit eis, eum panem in quo gratiæ actæ sint, corpus esse Domini sui, et calicem sanguinis ejus, si non ipsum fabricatoris mundi Filium dicant, id est, Verbum ejus.

N. 5. Quomodo autem rursùs dicunt carnem in corruptionem devenire, et non percipere vitam, quæ corpore Domini et sanguine alitur?

S. CYPRIAN. *Epist. ad Cæcil. Vide suprà hujusce Cap.* §. 2, *litt.* (C)

Epist. 15. *aliàs* 11. *ad Martyres et Confess.* Illi contra Evangelii legem, contra vestram quoque honorificam petitionem, ante actam pœnitentiam, ante exomologesin gravissimi atque extremi delicti factam, ante manum ab Episcopo et Clero in pœnitentiam impositam, offerre pro illis et Eucharistiam dare, id est, sanctum Domini corpus profanare audeant: cùm scriptum sit: (1. *Cor.* XI. 27.) *qui ederit panem, aut biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis et sanguinis Domini.* Et lapsis quidem potest in hoc venia concedi: quis enim non mortuus vivificari properet? quis non ad salutem suam venire festinet? sed Præpositorum est præceptum tenere, et vel properantes, vel ignorantes instruere, ne qui ovium Pastores esse debent, lanii fiant. Ea enim concedere, quæ in perniciem vertant, decipere est: nec erigitur sic lapsus, sed per Dei offensam magis impellitur ad ruinam.

Epist. 57. *aliàs* 54. *ad Cornel. PP.* Nunc non infirmis, sed fortibus pax necessaria est; nec morientibus, sed viventibus communicatio à nobis danda est, ut quos excitamus et hortamur ad prælium, non inermes et nudos relinquamus, sed protectione sanguinis et corporis Christi muniamus: et cùm ad hoc fiat Eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse contra adversarium voluimus, munimento Dominicæ saturitatis armemus. Nam quomodo docemus aut provocamus eos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi sanguinem denegamus? aut quomodo ad martyrii poculum idoneos facimus, si non eos priùs ad bibendum in Ecclesia poculum Domini jure communicationis admittimus.

Epist. 69. *aliàs* 76. *ad Magnum.* Unanimitatem Christianam firmâ sibi atque inseparabili charitate connexam, etiam ipsa Dominica sacrificia declarant. Nam quando Dominus corpus suum panem vocat de multorum granorum adunatione congestum: populum nostrum quem portabat, indicat adunatum: et quando sanguinem suum vinum appellat, de botris atque acinis plurimis expressum atque in unum coactum; gregem item nostrum significat, commixtione adunatæ multitudinis copulatum.

Lib. de Lapsis. Sanctificata ora cœlestibus cibis, post corpus et sanguinem Domini, profana contagia et idolorum reliquias respuerunt. *Et multò post:* A diaboli aris reverientes, ad sanctum Domini sordidis et infectis nidore manibus accedunt. Mortiferos idolorum cibos adhuc penè ructantes, exhalantibus etiam nunc scelus suum faucibus, et contagia funesta redolentibus, Domini corpus invadunt... Spretis his omnibus atque contemptis, vis infertur corpori ejus et sanguini: et plus modò in Dominum manibus atque ore delinquunt, quàm cùm Dominum negaverunt.

Lib. de Orat. Dom. Panis vitæ Christus est, et panis hic omnium non est, sed noster est: et quomodo dicimus *Pater noster*, quia intelligentium et credentium pater est; sic et panem nostrum vocamus; quia Christus, noster qui corpus ejus contingimus panis est. Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, et Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abstenti et non communicantes à cœlesti pane prohibemur, à Christi corpore separemur; ipso prædicante et monente: (*Joan.* VI. 51. 52.) *Ego sum panis vitæ, qui de cœlo descendi. Si quis ederit de meo pane, vivet in æternum. Panis* autem, *quem ego dedero, caro mea est pro seculi vita.* Quando ergo dicit in æternum vivere, si quis ederit de ejus pane, ut manifestum est eos vivere, qui corpus ejus attingunt, et Eucharistiam jure communicationis accipiunt: ita contra timendum est

et orandum, ne dum quis abstentus separatur à Christi corpore, procul remaneat à salute... Et idcò panem nostrum, id est, Christum dari nobis quotidie petimus, ut qui in Christo manemus et vivimus, à sanctificatione ejus et corpore non recedamus.

S. HILAR. *de Trinit. lib.* 8. Si verè *Verbum caro factum est* (*Joan.* I. 14.), et nos verè Verbum carnem in cibo Dominico sumimus: quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est, qui et naturam carnis nostræ jam inseparabilem sibi homo natus assumpsit, et naturam carnis suæ ad naturam æternitatis sub sacramento nobis communicandæ carnis admiscuit? Ita enim omnes unum sumus: quia et in Christo Pater est, et Christus in nobis est... Si verè igitur carnem corporis nostri Christus assumpsit, et verè homo ille, quia ex Maria natus fuit, Christus est, nosque verè sub mysterio carnem corporis sui sumimus, et per hoc unum erimus, quia Pater in eo est et ille in nobis.... Quàm autem in eo per sacramentum communicatæ carnis et sanguinis simus, ipse testatur dicens: (*Joan.* XVI. 19. 20.) et hic *mundus me jam non videt, vos autem me videbitis, quoniam ego vivo, et vos vivetis; quoniam ego in Patre meo, et vos in me, et ego in vobis.* Si voluntatis tantùm unitatem intelligi vellet, cur gradum quemdam atque ordinem consummandæ unitatis exposuit: nisi ut cùm ille in Patre, per naturam divinitatis esset, nos contrà in eo per corporalem ejus nativitatem, et ille rursùm in nobis per sacramentorum inesse mysterium crederetur?

S. AMBROS. *lib.* 6. *in Luc. cap.* IX. *v.* 8. *n.* 70. Nemo cibum accipit Christi, nisi fuerit antè sanatus.

N. 71. Ubique igitur mysterii ordo servatur: ut priùs per remissionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur, postea alimonia mensæ cœlestis exuberet: quanquam nondum validioribus hæc turba reficiatur alimentis, neque Christi corpore et sanguine jejuna solidioris fidei corda pascantur. *Lacte*, inquit, (1. *Cor.* III. 2.) *vos potavi, non escâ; nondum enim poteratis, sed nec adhuc quidem potestis.* In modum lactis quinque sunt panes. Esca autem solidior corpus est Christi, potus vehementior sanguis est Domini.

Lib. 3. *de Spirit. Sanct. cap.* II. *n.* 78. *Adorate scabellum pedum ejus.* (*Ps.* CXVIII. 5.)

N. 79. Per scabellum terra intelligitur: per terram autem caro Christi, quam hodieque in mysteriis adoramus, et quam Apostoli in Domino Jesu, ut suprà diximus, adorarunt; neque enim divisus est Christus, sed unus: neque cùm adoratur tanquam Dei Filius, natus ex Virgine denegatur.

Lib. 4. *de Sacram. cap.* 2. *n.* 7. Corpus Christi est in altari.

Lib. 5. *cap.* 4. *n.* 24. Dixi vobis quòd ante verba Christi quod offertur, panis dicatur: ubi Christi verba deprompta fuerint, jam non panis dicitur, sed corpus appellatur.

Lib. 6. *cap.* 1. *n.* 1. Sicut verus est Dei Filius Dominus noster Jesus Christus, non quemadmodum homines per gratiam, sed quasi Filius ex substantia Patris; ita vera caro, sicut ipse dixit, quam accipimus, et verus ejus est potus

N. 2. Sed fortè dicas (quod dixerunt tunc temporis etiam Discipuli Christi audientes dicentem: (*Joan.* VI. 54.) *nisi quis manducaverit carnem meam, et biberit sanguinem meum, non manebit in me, nec habebit vitam æternam*) fortè dicas: Quomodo vera? qui similitudinem video, non sanguinis veritatem.

N. 3. Primò omnium dixi tibi de sermone Christi qui operatur, ut possit mutare et convertere genera instituta naturæ. Deinde ubi non tulerunt sermonem Christi Discipuli ejus, audientes quòd carnem suam daret manducare, et sanguinem suum daret bibendum, recedebant; solus tamen Petrus dixit: (*Ibid.* 69.) *verba vitæ æternæ habes, et ego à te quomodo recedam?* Ne igitur plures hoc dicerent, veluti quidam esset horror cruoris, sed manerel gratia redemptionis; ideò in similitudinem quidem accipis sacramentum, sed verè naturæ gratiam virtutemque consequeris.

N. 4. *Ego sum*, inquit, (*Ibid.* 41.) *Panis vivus qui de cœlo descendi.* Sed caro non descendit è cœlo, hoc est, carnem in terris assumpsit ex Virgine. Quomodo ergo descendit panis è cœlo, et panis vivus? Quia idem

Dominus noster Jesus Christus consors est et divinitatis et corporis : et tu qui accipis carnem, divinæ ejus substantiæ in illo participaris alimento.

In Psal. 118. *Serm.* 18. *n.* 26. Habeo cœlestium Sacramentorum veneranda consortia. Jam mensæ cœlestis honore suscipior : epulis meis non pluvia undatur, non terræ partus laborat, non arborum fructus. Potui meo non flumina quærenda, non fontes : Christus mihi cibus, Christus mihi potus : caro Dei cibus mihi, et Dei sanguis potus est mihi. Non jam ad satietatem mei annuos exspecto proventus, Christus mihi quotidie ministratur.

Plura ex Ambrosio adducere possem, sed hæc sufficient.

S. Aug. *Lib.* 9. *Confess. cap.* 13. *n.* 36. (Monica) memoriam sui ad altare tuum fieri desideravit, cui nullius diei prætermissione servierat, undè sciret dispensari victimam sanctam, quâ deletum est chirographum quod orat contrarium nobis.

Lib. 10. *cap.* 43. *n.* 70. Cogito pretium meum, et manduco, et bibo, et erogo, et pauper cupio saturari ex eo inter illos qui edunt et saturantur.

In Psal. 33. *Enar.* 1. *n.* 5. Erat autem, ut nostis, sacrificium Judæorum antea secundùm ordinem Aaron in victimis pecorum, et hoc in mysterio : nondum erat sacrificium corporis et sanguinis Domini, quod fideles norunt, et qui Evangelium legerunt, quod sacrificium nunc diffusum est toto orbe terrarum.

N. 6. Sublatum est ergo sacrificium Aaron, et cœpit esse sacrificium secundùm ordinem Melchisedech.... Dominus noster Jesus Christus in corpore et sanguine suo voluit esse salutem nostram. Undè autem commendavit corpus et sanguinem suum ? De humilitate sua. Nisi enim esset humilis, nec manducaretur, nec biberetur.

N. 10. Ferebatur Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum, ait : (*Matth.* xxvi. 26. 1. *Cor.* xi. 24.) *Hoc est corpus meum.* Ferebat enim illud corpus in manibus suis.

In. Psal. xxxix. 7. *n.* 12. *Sacrificium et oblationem noluisti*, ait Psalmus Deo. Antiqui enim, quando adhuc sacrificium verum quod fideles norunt, in figuris prænuntiabatur, celebrabant figuras futuræ rei.... Sacrificia ergo illa tanquam verba promissiva, ablata sunt : quid est quod datum est completivum ? Corpus quod nostis, quod non omnes nostis ; quod utinam qui nostis, omnes non ad judicium noveritis.... Hoc promittebatur quibusdam signis : ablata sunt signa promittentia, quia exhibita est veritas promissa. In hoc corpore sumus, hujus corporis participes sumus, quod accipimus novimus : et qui non nostis noveritis ; et cùm didiceritis, utinam non ad judicium accipiatis. *Qui enim manducat et bibit indignè*, (1. *Cor.* xi. 29.) *judicium sibi manducat et bibit.*

In Psal. 98. *n.* 9. Suscepit enim (Christus) de terra terram : quia caro de terra est, et de carne Mariæ carnem accepit : et quia in ipsa carne hic ambulavit, et ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit ; nemo autem illam carnem manducat, nisi priùs adoraverit : inventum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, et non solùm non peccemus adorando, sed peccemus non adorando.

De Civit. Dei, lib. 10. *cap.* 20. Homo Christus Jesus, cùm in forma Dei sacrificium cum Patre sumat, cum quo et unus Deus est, tamen in forma servi sacrificium maluit esse quàm sumere, ne vel hac occasione quisquam existimaret cuilibet sacrificandum esse creaturæ. Per hoc et Sacerdos est, ipse offerens, ipse et oblatio. Cujus rei sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiæ sacrificium : quæ cùm ipsius capitis corpus sit, seipsam per ipsum discit offerre. Hujus veri sacrificii multiplicia variaque signa erant sacrificia prisca sanctorum, cùm hoc unum per multa figuraretur, tanquam verbis multis res una diceretur, ut sine fastidio multum commendaretur. Huic summo veroque sacrificio cuncta sacrificia falsa cesserunt.

Lib. 22. *de Civit. Dei, cap.* 8. *n.* 6. Obtulit ibi sacrificium corporis Christi.

Serm. 131. *de verb. Evang. Joan.* 6. *aliàs* 2. *de verb. Apost. cap.* 1. *n.* 1. Audimus veracem magistrum, divinum Redemptorem, humanum Salvatorem, commendantem nobis pretium nostrum, sanguinem suum. Locutus est enim nobis de corpore et sanguine suo : corpus dixit escam,

sanguinem potum. Sacramentum fidelium agnoscunt fideles..... De corpore ac sanguine suo dedit nobis salubrem refectionem.... Manducent ergo qui manducant, et bibant qui bibunt; esuriant et sitiant: vitam manducent, vitam bibant. Illud manducare, reficiet est: sed sic reficeris, ut non deficiat undè reficeris... Vita unicuique erit corpus et sanguis Christi; si quod in sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritualiter manducetur, spiritaliter bibatur.

Serm. 227. *in die Paschæ* 4. *alias* 83. *de divers. init.* Panis ille quem videtis in altari, sanctificatus per verbum Dei, corpus est Christi. Calix ille, immò quod habet calix, sanctificatum per verbum Dei, sanguis est Christi. Per ista voluit Dominus Christus commendare corpus et sanguinem suum, quem pro nobis fudit in remissionem peccatorum.

Lib. 12. *cont. Faustum cap.* 20. Bibitur quod de Christi latere manavit.

S. HIERON. *Comm. in Ecclesiast. cap.* 3. *pag.* 734. *tom.* 2. Porrò quia caro Domini, verus est cibus; et sanguis ejus, verus est potus.... hoc solum habemus in præsenti seculo bonum; si vescamur carne ejus et cruore potemur.

Lib. 4. *Comment. in Matth. cap.* 26. *pag.* 128. *part.* 1. *tom.* 4. Postquam typicum Pascha fuerat impletum, et agni carnes cum Apostolis comederat, assumit panem, qui confortat cor hominis, et ad verum Paschæ transgreditur sacramentum; ut quomodo in præfiguratione ejus Melchisedec, summi Dei Sacerdos, panem et vinum offerens fecerat, ipse quoque veritatem sui corporis et sanguinis repræsentaret.

Epist. ad Damas. pag. 155. Vitulus saginatus qui ad pœnitentiæ immolatur salutem, ipse Salvator est, cujus quotidie carne pascimur, cruore potamur.

Epist. ad Hedibi. Quæst. 2. *ibidem pag.* 171. *et* 172. Nos autem audiamus panem, quem fregit Dominus, dedilque discipulis suis, esse corpus Domini Salvatoris, ipso dicente ad eos: (*Matth.* XXVI. 26.) *Accipite et comedite, hoc est corpus meum:* et calicem illum esse, de quo iterùm locutus est: (1. *Cor.* XI. 24. *Matth.* XXVI. 27. 28.) *Bibite ex hoc omnes, hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur*, etc.... Panis qui de cœlo descendit, corpus est Domini; et vinum quod Discipulis dedit, sanguis illius est novi Testamenti, qui pro multis effusus est in remissione peccatorum.... Nec Moyses dedit nobis panem verum; sed Dominus Jesus: ipse conviva et convivium, ipse comedens et qui comeditur. Illius bibimus sanguinem, et sine ipso polare non possumus, et quotidie in sacrificiis ejus de genimine vitis veræ, et vineæ *sorec*, quæ interpretatur *electa*, rubentia multa calcamus: et novum ex his vinum bibimus de regno Patris.

Comment. in Epist. ad Galat. cap. 5. *ibidem pag.* 302. Sciebamus, et in Christi sanguinem vinum consecrari.

Comment. in Epist. ad Tit. cap. 1. *ibid. pag.* 418. Tantum interest inter propositionis panes et corpus Christi, quantum inter umbram et corpora, inter imaginem et veritatem; inter exemplaria futurorum, et ea ipsa quæ per exemplaria præfigurabantur.... Sic.... non solùm ab opere se immundo abstineat, sed etiam à jactu oculi, et cogitationis errore, mens Christi corpus confectura sit libera.

Epist. 5. *alias* 1. *ad Heliod. tom.* 4. *part.* 2. *pag.* 10. Christi corpus (Sacerdotes) sacro ore conficiunt.

Epist. 39. *alias* 62. *ad Theophil. ibid. pag.* 335. Si munera nostra absque pace offerre non possumus: quantò magis et Christi corpus accipere? Quâ conscientiâ ad Eucharistiam Christi accedam, et respondebo amen, cùm de charitate dubitem porrigentis.

Lib. 3. *Dialog. adv. Pelag. ibid. pag.* 543. Sic docuit Apostolos suos, ut quotidie in corporis illius sacrificio credentes audeant loqui: (*Luc.* XI. 3.) *Pater noster...., panem quotidianum*, sive, super omnes substantias, venturum Apostoli deprecantur, ut digni sint assumptione corporis Christi... regenerati in Dominum salvatorem: impleto illo, quod de se scriptum est: (*Ps.* XXXI. 1.) *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata*, statim in prima communione corporis Christi dicunt: (*Matth.* VI. 12. *etc.*) *et dimitte nobis debita nostra.*

Epist. 44. *alias* 17. *Paulæ et Eustochii ad Marcellam, ibid. pag.* 547.

Melchisedec.... tunc in typo Christi panem et vinum obtulit, et mysterium Christianum in Salvatoris sanguine et corpore dedicavit.

Epist. 88. *ad Theophil. ibid. pag.* 728. Discant qui ignorant eruditi testimoniis Scripturarum quà debeant veneratione sancta suscipere, et altaris Christi ministerio deservire; sacrosque calices et sancta velamina, et cætera quæ ad cultum Dominicæ pertinent passionis, non quasi inania et sensu carentia sanctimoniam non habere; sed ex consortio corporis et sanguinis Domini eàdem quà corpus ejus et sanguis majestate veneranda.

S. Cyrill. Jerosolym. *Catech.* 1. *mystag. paulò post med.* Panis et vinum Eucharistiæ ante sacram invocationem adorandæ Trinitatis, panis erat et vinum merum: peractà verò invocatione, panis quidem fit corpus Christi: vinum autem sanguis Christi.

Catech. 3. *myst. paulò ante med.* Panis Eucharistiæ post sancti Spiritûs invocationem non amplius est communis, sed est corpus Christi.

Catech. mystag. 4. *initio.* Facti estis Christi corporis et sanguinis comparticipes.... Cùm igitur Christus ipse sic affirmet atque dicat de pane, (*Matth.* xxvi. 26.) *hoc est corpus meum*: quis deinceps audeat dubitare? Ac eodem quoque confirmante et dicente, (1. *Cor.* xi. 24, *Matth.* xxvi. 27.) *hic est sanguis meus*; quis, inquam, dubitet, et dicat non esse illius sanguinem? Aquam aliquando mutavit in vinum, quod est sanguini propinquum, in Chana Galileæ, solâ voluntate: et non erit dignus cui credamus, quòd vinum in sanguinem transmutasset? Si enim ad nuptias corporeas invitatus stupendum miraculum operatus est, et nou multò magis corpus et sanguinem suum filiis sponsi dedisse illum confitebimur? Quare omni cum certitudine corpus et sanguinem Christi sumamus. Nam sub specie panis datur tibi corpus: et sub specie vini datur sanguis, ut sumpto corpore et sanguine Christi, efficiaris ei comparticeps corporis et sanguinis... Christophori erimus, hoc est, Christum ferentes, cùm ejus corpus et sanguinem in membra nostra receperimus: atque ita, ut beatus Petrus dicit: (2. i. 4.) *divinæ naturæ consortes efficimur.*

Et in fine. Hoc sciens et pro certissimo habens, panem hunc qui videtur à nobis, non esse panem, etiamsi gustus panem esse sentiat, sed esse corpus Christi: et vinum quod à nobis conspicitur, tametsi sensui gustûs vinum esse videatur, non tamen vinum, sed sanguinem esse Christi.

Cateches. myst. 5. *paulò post med.* Deum benignissimum oramus, ut super illa proposita, sanctum Spiritum emittat, ut panem quidem faciat corpus Christi, vinum verò sanguinem Christi. Omninò enim quod attigerit Spiritus sanctus, hoc sanctificatur et transmutatur. Deinde verò postquam confectum est illud spirituale sacrificium, et ille cultus incruentus super ipsa propitiationis hostia, obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace.

Et versùs finem. Gustate et videte, quòd suavis est Dominus. (*P.* xxxiii. 9.) Num hoc corporeo palato ut istud dijudicetis, vobis præcipitur? Nequaquam, sed potiùs fide certâ, et omnis dubitationis experti: gustantes enim non panem, aut vinum ut gustent, jubentur, sed quod sub specie est (videlicet panis et vini) corpus et sanguinem Christi.... Concavâ manu suscipe corpus Christi, dicens: Amen.... Tum verò post communionem corporis Christi, accede et ad calicem sanguinis illius, non extendens manus, sed pronus adorationis in modum et venerationis dicens: Amen. Sanctificeris eo sanguine Christi, quem assumis.

S. Gregor. Nyss. *Orat. Catechet. cap.* 37. Quomodo enim parum fermenti, ut dicit Apostolus, (1. *Cor.* v. 6. *Galat.* v. 9.) sibi assimilat totam conspersionem; ita corpus à Deo morte affectum cùm fuerit intra nostrum, totum ad se transmutat et transfert. Quomodo enim, cùm quod est exitiale, mistum fuerit cum sano, quidquid est contemperatum, simul redditur inutile: ita etiam corpus immortale, cùm fuerit intra eum qui sumpsit, universum quoque transmutat in suam naturam. Sed fieri non potest, ut sit aliquid aliter intra corpus, nisi per esum et potionem misceatur visceribus. Necesse est ergo, eo modo quo natura potest, spiritûs vivificam suscipere virtutem. Cùm autem solum illud corpus, quod Deum suscepit, hanc gratiam acceperit, ostensum sit autem aliter

fieri non posse, ut nostrum corpus sit in immortalitate, nisi per Communionem cum immortali factum sit particeps incorruptionis; oportet considerare, quomodo fieri potuerit, ut unum illud corpus, quod tam multis fidelium millibus in universo orbe terrarum semper distribuitur, totum per partem sit in unoquoque et ipsum in se totum maneat. Corpus Christi Dei Verbi inhabitatione, ad divinam transmutatum est dignitatem. Rectè ergo nunc quoque Dei Verbo sanctificatum panem in Dei verbi corpus credo transmutari. Hic enim panis, sicut dicit Apostolus, (1. *Tim.* IV. 5.) *sanctificatur per verbum Dei, et orationem;* non eò quidem quòd cibo mediante in verbi corpus evadat; sed quòd statim Verbi in corpus transmutetur, sicut dictum est à Verbo: (*Matth.* XXVI. 26. 1. *Cor.* XI. 24.) *Hoc est corpus meum...* Manifestatum autem Verbum propterea se admiscuit interitui obnoxiæ hominum naturæ, ut communione divinitatis simul etiam deificetur humanitas; ea de causa per suæ gratiæ dispensationem, se per carnem inserit omnibus credentibus, commistus et contemperatus corporibus credentium, quibus substantia est ex pane et vino, ut unione cum eo quod est immortale, sit etiam homo particeps incorruptionis. Hæc autem dat, virtute benedictionis, in illud transelementata eorum quæ apparent naturâ.

S. CYRILL. Archiep. Alex. *Comment. in Joan. Evang. lib.* 4. *pag.* 352. *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi.* (*Joan.* VI. 51.) Illud manna typus erat, inquit, et umbra, et imago. Audite palàm nunc, et apertè, (*Ibid.* 52.) *Ego sum panis vivus. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Qui ex illo manducarunt, mortui sunt. Non erat enim vivificus. Qui autem manducat hunc panem, id est, me, sive carnem meam, vivet in æternum.

Pag. 354. Dedit ergo suum corpus Christus pro vita omnium, et per ipsum rursùs in nobis vitam inserit.

Id. v. 64. *p.* 361. Quoniam vivifica facta est caro Salvatoris, utpote vitæ secundùm naturam, verbo nimirum divino unita; cùm illam degustabimus, tunc vitam habebimus in nobis, ei quoque simul uniti, quemadmodum ipsa verbo inhabitanti.... Oportebat enim.... non solùm per sanctum Spiritum, in vitæ novitatem animum rursùm creari, sed crassum ac terrenum corpus hac crassiore et cognatâ participatione sanctificari, et ad incorruptionem vocari.

Ibid. v. 55. *pag.* 363. Dominus noster Jesus Christus, per carnem suam in nobis vitam integit, ac veluti quoddam semen immortalitatis inserit, totam, quæ in nobis est, abolens corruptionem. Sanguis etiam ejus, non vulgaris alicujus est hominis, sed ipsiusmet vitæ secundùm naturam. Quocircà nos corpus et membra Christi nuncupamur, ut qui per Eulogiam ipsum in nobis suscipimus Filium.

v. 57. *Qui enim manducat meam carnem,* inquit, *et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo.* Quemadmodum enim si quis ceram ceræ conjunxerit, utique alteram in altera esse videbit: eodem quoque opinor modo, qui Salvatoris nostri carnem suscipit, et bibit ejus pretiosum sanguinem, ut ipse ait, unum quiddam cum eo reperitur, commixtus quodammodo et immixtus ei per illam participationem, ita ut in Christo quidem ipse reperiatur, et vicissim Christus in ipso.

v. 59. Præterea panem hunc esse de cœlo, qui per Christum nimirùm traditur, hoc est corpus ejus, indubitato argumento confirmabitur. Facit enim ut in æternum vivat qui eum comederit.

Lib. 10. *cap.* 2. *in Joan. cap.* XV. *v.* 1. Dicat nobis aliquis causam, et vim Eulogiæ mysticæ obiter doceat. Nam cur in nobis inseritur? Nonne ut Christum inhabitare faciat in nobis etiam corporaliter, participatione et communione sanctæ suæ carnis? Præclarè quidem, scribit enim Paulus, (*Ephes.* III. 9.) Gentes factas esse *incorporales, et compar. ticipes et cohæredes Christi....* Hic enim animadvertere est operæ pretium Christum non dicere, se duntaxat in nobis futurum secundùm relationem quamdam affectualem, sed et per participationem naturalem. Ut enim si quis ceram ceræ implicatam igne simul liquaverit, unum quid ex ambobus efficit: ita per corporis Christi, et pretiosi sanguinis participationem, ipse quidem in nobis, nos autem rursùs in eo simul unimur.

Lib. 11. *cap.* 12. *v.* 23. *pag.* 1001. Est ergo in nobis Filius, corporaliter

quidem ut homo, nobiscum commixtus et unitus, per Eulogiam mysticam; spiritaliter autem ut Deus, sui Spiritûs virtute et gratiâ; spiritum qui in nobis est instauraus in novitatem vitæ, et divinæ suæ naturæ consortes faciens.... Consummati ergo sumus in unitalem cum Deo ac Patre, Christo mediante: suscipiendo quippe in nobis, et corporaliter, et spiritaliter, sicuti modo aiebam, eum qui naturâ et verè Filius est, qui substantialem cum eo habet unionem, supremæ naturæ participes et consortes facti, glorificati sumus.

S. Basil. *lib.* 1. *de Bapt. cap.* 3. *in fine.* Quid de eo dicendum est, qui otiosè et inutiliter edere audet corpus et bibere sanguinem Domini nostri Jesu Christi, et hac ratione plus aliquando contristat et infestat Spiritum sanctum, dum sine socia charitate vescitur? Judicemus itaque hoc, ne nobis ipsis vivamus, sed ei qui pro nobis est mortuus et resurrexit, Christo Jesu Domino nostro, edamus ac bibamus. Oportet igitur accedentem ad corpus ac sanguinem Domini, ad rememorationem ejus qui pro nobis est mortuus ac resurrexit, non solùm purum esse à quovis inquinamento carnis ac spiritûs, ne ad judicium edat et bibat, sed et evidenter ostendere et exprimere memoriam ejus qui pro nobis mortuus est ac resurrexit, in eo quòd et mortificatus est, peccato, mundo, ac sibi ipsi, et Deo vivit in Christo Jesu Domino nostro.

Lib. 1. *cap.* 3. Gravissimum supplicium in lege Deus adversùm eos decrevit, qui cùm sint immundi, sancta contingere non verentur... Quanto enim majus aliquid is est templo, secundùm Domini vocem, (*Matth.* XII. 6,) tantò gravius et terribilius est in animæ impuritate constitutum corpus Christi temerè contingere.... Quòd si in immunditia tantùm constitutus.... tam terribile judicium habet, quantò magis, qui cùm in peccato sit, corpus Domini contingere audet, gravius sibi accersit judicium... Mundemus itaque nos ab omni inquinamento.... atque ita sancta accedamus, ut judicium eorum qui Dominum occiderunt effugiamus: propterèà quòd *quisquis ederit panem et biberit poculum Domini indignè, reus erit corporis ac sanguinis Domini.* (1 *Cor.* XI. 27.)

In moral. Regul. 21. *instituit probare ex verbis novi Testamenti:* Quòd necessaria etiam ad vitam æternam sit communicatio corporis et sanguinis Christi... Quòd qui ad communicationem corporis et sanguinis Christi accedit, neque rationem illam considerat, cujus causa illa instituta est, utilitatis ex ea fructum nullum reportat: et quòd qui indignè communicat, is damnatus est.... Quòd ratio, quamobrem corpus Domini manducari, et sanguis bibi debeat, commemoratio sit obedientiæ Domini usque ad mortem, *ut qui vivant, non jam sibi vivant, sed ei qui causâ nostrâ ipse mortuus sit et resurrexerit.* (2 *Cor.* V. 15.)

S. Joan. Chrysost. *Homil.* 2. *ad pop. Antioch. tom.* 1. Helias nempe melotem discipulo reliquit (4. *Reg.* II. 13.): Filius autem Dei ascendens suam nobis carnem dimisit. Sed Helias quidem exutus: Christus autem, et nobis relinquit, et ipsam habens ascendit. Ne igitur animo concidamus, neque lamentemur, neque temporum difficultatem timeamus. Qui enim sanguinem suum pro omnibus effundere non recusavit, et carnem suam, et rursùs ipsum sanguinem nobis communicavit, quid pro salute nostra facere recusabit?

Homil. 27. *in cap. Matth.* VIII. *pag.* 247. *tom.* 2. Si illius tantummodò nasci totum vocatur, jam crucifixum esse, et sanguinem fudisse, et semetipsum nobis cibum dare, et spirituales epulas, quid vocandum est?

Homil. 51. *in cap. Matth.* XIV. *pag.* 431. *et seq. tom.* 2. Tangamus ergo etiam nos fimbriam vestimenti ejus, immò verò totum ipsum; si enim volumus, non vestis solùm, sed corpus ipsius nobis propositum est, ut non tangamus solummodò, sed ut comedamus et saturemur. Adeamus igitur Christum singuli ægrotantes magna cum fide. Nam si qui fimbriam vestimenti ejus tunc tetigerunt, (*Marc.* VI. 56.) rectè omnes convaluerunt: quantò magis corroborabimur, si totum in nobis habebimus? Cum fide autem accedere, non est ut tantummodò propositum corpus recipias, verùm etiam multò magis, ut mundo corde tangas, ut sic adeas quemadmodum ad ipsum Christum.... Credite igitur omnes, quia etiam nunc illa cœna celebratur, in qua Christus ipse recumbebat. Nihil quippe interest inter illam et hanc? Non enim hæc ab homine, illa ab ipso

conficitur. Quando igitur Sacerdotem corpus tibi præbere videris, noli Sacerdotis, sed Christi manum ad te porrigi arbitrari.... Vis hoc sacrificium honorare? Animam tuam offeras, propter quam Christus immolatus est, eam auream facito.... Vis corpus Christi honorare, non despicias ipsum nudum, neque hîc quidem in Ecclesia sericis pannis induas, foris autem frigore ac nuditate confici negligas. Qui enim dixit, (*Matth.* XXVI. 28. I. *Cor.* XI. 24.) *hoc est corpus meum*, et rem simul cum verbo confecit, idem dixit: (*Matth.* XXV. 42.) Esurientem me vidistis, et non cibastis.

Id. seu AUCTOR *variarum Homil. in Matth. homil.* 17. *pag.* 869. Sancta est gratia corporis Christi: propterea illis solis danda est, qui jam per Baptismum facti sunt filii Dei, et per impositionem manûs.

Pag. 870. Quod autem Sacerdos de manu sua dat, non solum sanctificatum est, sed etiam sanctificatio est: quoniam hoc non solum datur quod videtur, sed etiam illud quod intelligitur.

Ex variis in Matth. locis, Homil. 22. *pag.* 1233. *tom.* 2. Accedens unus militum pupugit latus illius, et exiit indè sanguis et aqua (*Joan.* XIX. 34.), et ex illa aqua et sanguine tota constat Ecclesia. Testis est ipse dicens, (*Joan.* III. 5.) quòd *nisi quis renascatur ex aqua et spiritu, non potest introire in Regnum cœlorum.* Sanguinem autem appellat spiritum: et nascimur quidem per aquam Baptismatis, alimur autem per sanguinem. Vides quomodo *simus ex carne ejus et ossibus ejus* (*Ephes.* V. 30.), dum ex sanguine illo et aqua tum nascimur, tum alimur?

Hom. 21. *in Act. Apost. pag.* 594. *tom.* 3. In manibus est hostia, et omnia proposita sunt benè ordinata; adsunt Angeli, adsunt Archangeli; adest Filius Dei; cum tanto horrore adstant omnes, adstant illi clamantes omnibus silentibus, et putas temerè hæc fieri? Igitur et alia temerè, et quæ pro Ecclesia, et quæ pro sacerdotibus offeruntur, et quæ pro plenitudine ac universitate? Absit. Sed omnia cum fide fiunt. Quid tibi videtur quòd pro Martyribus offertur, quòd invocantur in illa hora? Licèt martyres sint, etiam pro Martyribus offertur. Magnus honor nominari Domino præsente, dum mors illa celebratur, et horrendum sacrificium, et ineffabilia Sacramenta.

Homil. de prodit. Judæ, pag. 822. Fuit quidem aliquandò Pascha Judaïcum, sed exemptum et evacuatum est Paschæ spiritualis adventu, quod Christus tradidit. *Nam cùm manducarent*, inquit, (*Matth.* XXVI. 26.) *et biberent, accepit panem, et fregit, et dixit: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Agnoscunt quid loquor, qui sunt divinis consecrati mysteriis. Et iterùm accepit calicem et dixit: (*Ibid.* 27. 28.) *Hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Et præsens Judas erat ista Christo dicente: Iste est sanguis. Dic Judas, quem triginta denariis vendidisti, iste est sanguis de quo antè cum Pharisæis pacta fecisti? O Christi misericordia, ô Judæ dementia! Ille triginta denariis paciscebatur, ut eum venderet, et Christus ei sanguinem quem vendidit offerebat, ut haberet remissionem peccatorum, si tamen impius existere noluisset... Sed jam nos ad terribilem mensam cum debita reverentia, cum congrua vigilantia opportunum tempus invitat: nullus ibi Judas reperiatur. nullus malignus accedat, nullus veneno pungatur, nec fucata verba linguâ proferantur, nec insidiæ mente condantur, sed quod voluntas possidet, sermo declaret: et nunc ille præstò est Christus, qui illam ornavit mensam, ipse istam quoque consecrat. Non enim homo est, qui proposita de consecratione mensæ Domini corpus Christi facit et sanguinem, sed ille qui crucifixus pro nobis est Christus. Sacerdotis ore verba proferuntur, et Dei virtute consecrantur, et gratiâ. *Hoc est*, ait, *corpus meum:* hoc verbo proposita consecrantur.

Pag. 823. Et vox illa semel quidem dicta est, sed per omnes mensas Ecclesiæ usque ad hodiernam diem, et usque ad ejus adventum præstat sacrificio firmitatem.... Ad sanctum et terribile sacrificium properas, erubesce oblationis arcana, occisus propositus Christus est.

Serm. de Eucharist. in Encæniis, tom. 3. *pag.* 919. Ignis spiritualis è cœlo descendit, sanguis in cratere in tuam purificationem ex immaculato latere haustus est: et non erubescis, et revereris, et confunderis, neque Deum tibi propitium facis?

Homil. 24. *in cap.* X. 16. *ad Corinth. tom.* 4. *pag.* 510. *Calix benedic-*

tionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Maximè his sibi verbis et fidem facit et horrorem : eorum autem ejus modi est sententia : Quod est in calice, id est, quod à latere fluxit, et illius summus participes.... *et panis quem frangimus*, (*Ibid.*) *nonne communicatio corporis Christi est?* Quare non dixit participatio? Quia amplius quiddam significare voluit, et multam inter hæc convenientiam ostendere. Non enim participatione tantùm et acceptione, sed unitate communicamus. Quemadmodum enim corpus illud unitum est Christo, ita et nos per hunc panem unione conjungimur. Sed quare addit, *quem frangimus*? Hoc in Eucharistia videre licet, in cruce autem minimè, sed omninò contra. *Os enim ejus*, inquit (*Exod.* XII. 46.) (*Joan.* XIX. 36.), *non conteretur.* Sed quod in cruce passus non est, id in oblatione patitur, et propter te frangi sustinet, ut omnes satiet.... *Quoniam unus panis, et unum corpus multi sumus.* (I. *Cor.* X. 17.) Quid enim appello, inquit, communicationem? idem ipsum corpus sumus. Quidnam est panis? Corpus Christi. Quid autem fiunt qui accipiunt corpus Christi? Non multa, sed unum corpus.

In Moral. pag. 513. *et seq.* Velimus invicem unitatem servare: ad hoc enim nos inducit sacrificium illud formidandum et admirabile, quod jubet nobis, ut concordiâ et charitate maximè ad se accedamus, et aquilæ in hac vita facti, ad ipsum cœlum evolemus, vel potiùs supra cœlum. *Ubi enim cadaver*, inquit, (*Matth.* XXIV. 28.) *illic et aquilæ.* Cadaver Domini corpus propter mortem.... Si ergo hominis vestem nemo temere attingeret, quo pacto omnium Domini corpus purum et immaculatum, quod divinæ illius naturæ particeps est, propter quod et sumus et vivimus, propter quod portæ inferni fractæ sunt et cœlorum apertæ, tanta cum ignominia accipiemus? Nolimus, obsecro, nolimus impudentes nos ipsos interimere, sed cum honore et munditia omni ad Deum accedamus... Hoc corpus affixum, verberatum, morte victum non est. Hoc corpus sol crucifixum videns, radios avertit. Propter hoc (*Matth.* XXVII. 51.) *et velum templi scissum est et petræ*, et terra universa tremuit. Hoc idem corpus cruentatum, lanceâ vulneratum, fontes sanguinis et aquæ universo orbi salutares scaturivit... Non enim per os mortis Christus rursùm erupit, sed medio draconis ventre rupto, atque discerpto, ex adytis clarissimus evasit, et radios non ad hoc usque cœlum, sed ad ipsum supernum thronum dimisit. Illuc namque corpus suum extulit, quod etiam nobis exhibuit, ut teneremus et manducaremus, quod maximum dilectionis signum est.... Ad eum igitur cum fervore accedamus et dilectione quàm vehementissimâ, ne gravius subeamus supplicium. Quantò enim majus beneficium accipimus, tantò magis puniemur, quando eo indigni apparebimus. Hoc corpus in præsepe reveriti sunt Magi (*Matth.* II. 11.) et viri impii, et barbari longo itinere confecto, cum timore et tremore plurimo adoraverunt.... Tu verò non in præsepe id, sed in altari : non mulierem quæ in ulnis teneat, sed Sacerdotem præsentem, et Spiritum perabundè super proposito diffusum sacrificio vides. Nec simplex, ut illi, corpus intueris, sed et ejus potentiam et omnem cognoscis administrationem, et nihil eorum quæ per ipsum facta sunt ignoras, et diligenter initiatus es in omnibus.... In cœlis Regium corpus, quod nunc in terra videndum tibi proponitur, neque Angelos, neque Archangelos, non cœlos, non cœlos cœlorum, sed ipsum horum omnium tibi Dominum ostendo. Animadvertis quonam pacto, quod omnium maximum est atque præcipuum in terra non conspicaris tantùm, sed tangis : neque solùm tangis, sed comedis, et eo accepto domum redis.

Homil. 33. *in cap.* XIII. 1. *ad Hebræ. Tom.* 4. *pag.* 1870. Foris quidem passus : sed ad cœlum sanguis sublatus est. Intueris igitur quoniam sanguinem participamur, eum qui infertur in sancta, sancta inquam veracia? Nos igitur veritatem participamur.

Homil. 61. *ad pop. Antioch. Tom.* 5. *pag.* 403. Considera, quæso, mensa regalis est apposita, Angeli mensæ ministrantes, ipse Rex adest, et tu adstas oscitans. Sordescunt tibi vestimenta, et nihil est tibi curæ. At pura sunt, igitur adora et communica.... Dum profertur sacrificium, et Christus immolatur, et ovis Dominica; cùm audieris, oremus omnes communiter : cùm vela videris retrahi, tunc supernè cœlum aperiri cogita, et Angelos descendere.

I. Quid intelligis per species panis et vini, sub quibus ais Christum contineri ?

R. Intelligo quod sensus in pane et vino percipiunt, colorem, figuram, gustum.

I. Nunquid et panis et vinum simul stant cum corpore Domini ?

R. Remanent solæ panis et vini species, ut loquitur Concilium Tridentinum. Substantia autem panis versa est in corporis Christi substantiam, et substantia vini in sanguinis Christi substantiam. Quam conversionem Ecclesia *transsubstantiationem* vocat : nomine maximè significativo. (G)

I. Quandonam inventum est *transsubstantiationis* nomen ?

R. Quidquid sit de illius origine quam perantiquam esse constat, certum est hoc nomine significari perpetuam Ecclesiæ fidem. Nam panis et vini conversionem in corpus et sanguinem Christi credidit et docuit semper Ecclesia. Et hoc sensu verba Christi semper intellexit. (H)

« Qui plura ea de re SS. Patrum, Scriptorum Ecclesiasticorum, Conciliorumve Testimonia legere cupit, adeat librum cui titulus, *Office du Saint Sacrement*, Officium SS. Sacramenti, in 8°. Paris. apud Petr. le Petit an. 1681. Librum Emin. Card. PERRONII de controv. DD. ARNAULD, NICOLE, RENAUDOT, 5. vol. de perpetuitate fidei circa sacrament. Eucharist. vulgò *Perpetuité de la Foi sur l'Eucharistie :* Librum Domini DE SCHELSTRATE quem inscripsit *Disciplina arcani*, Romæ. Legendus etiam Liber cui titulus, *Méthode dont les Pères se sont servis en traitant des mystères*, Methodus quâ usi sunt Patres dum de sacris mysteriis loquerentur: imprimis verò lectu dignæ sunt Instructiones Pastorales, DD. DE LA BROUE *Episcopi Mirapicensis*, Tolosæ ann. 1705. in quibus præsentia realis, et transsubstantiatio firmissimis argumentis adstruuntur. *Lege etiam infrà hocce* §. *litt.* (H) D. JOAN. MABILLON Præf. de Liturg. Gallic. etc. »

(G) CONCIL. TRID. *Sess.* 13. *cap.* 2. Si quis dixerit, in sacro-sancto Eucharistiæ sacramento remanere substantiam panis et vini unà cum corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi ; negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis et vini ; quam quidem conversionem catholica Ecclesia aptissimè transsubstantiationem appellat ; anathema sit.

(H) *Id jam evicimus suprà innumeris Patrum testimoniis litt.* (F) *hocce §.*

S. AMBROS. *Lib. de Myst. cap.* 9. *n.* 50. Fortè dicas : Aliud video, quomodo tu mihi asseris quòd Christi corpus accipiam ? Et hoc nobis adhuc superest ut probemus. Quantis igitur utimur exemplis ? Probemus non hoc esse quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit : majoremque vim esse benedictionis quam naturæ ; quia benedictione etiam natura ipsa mutatur.

N. 51. Virgam tenebat Moyses, (*Exod.* IV. 3. *et* 4.) projecit eam, et facta est serpens. Rursùs prehendit caudam serpentis, et in virgæ naturam revertit. Vides igitur Propheticâ gratiâ bis mutatam esse naturam et serpentis et virgæ ?

N. 52. Quòd si tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret ; quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur ? Nam sacramentum istud quod accipis, Christi sermone conficitur. Quòd si tantum valuit sermo Eliæ, ut ignem de cœlo deponeret (3. *Reg.* XVIII. 36. 38.), non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum ? De totius mundi operibus legistis : (*Psal.* XXXII. 9.) *Quia ipse dixit, et facta sunt : ipse mandavit, et creata sunt.* Sermo ergo Christi qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt, in id mutare, quod non erant ? Non enim minus est novas rebus dare, quàm mutare naturas.

N. 53. Sed quid argumentis utimur? Suis utamur exemplis. Incarnationisque exemplo adstruamus mysterii veritatem. Nunquid naturæ usus præcessit, cùm Jesus Dominus ex Maria nasceretur? Si ordinem quærimus, viro mixta femina generare consuevit. Liquet igitur quòd præter naturæ ordinem virgo generavit. Et hoc quod conficimus corpus, ex virgine est: quid hic quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cùm præter naturam sit ipse Dominus Jesus partus ex virgine? Vera utique caro Christi, quæ crucifixa est, quæ sepulta est: verè ergo carnis illius sacramentum est.

N. 54. Ipse clamat Dominus Jesus: (*Matth.* VII. 26. 1. *Cor.* XI. 24.) *Hoc est corpus meum.* Ante benedictionem verborum cœlestium alia species nominatur, post consecrationem corpus significatur. Ipse dicit sanguinem suum. Ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur. Et tu dicis: Amen, hoc est, Verum est. Quod os loquitur, mens interna fateatur: quod sermo sonat, affectus sentiat.

D. JOAN. MABILL. *in Liturg. Gallic. præf. n.* 8. (*Missalis*) Gothici, seu Gothico-Gallicani, quo scilicet utebantur Galli Vesigothorum imperio subjecti, exemplar exstat in Bibliotheca serenissimæ Christinæ Suecorum Reginæ, litteris quadratis et majusculis scriptum ante annos nongentos, ut peritorum judicio censuit Eminentissimus Cardinalis Bona, et Thomasius post eum. Nullum in eo Festum recentius quàm sancti Leodegarii, anno 678, nece affecti.

N. 9. Luculenta verò ex hoc Missali Gothico testimonia eruuntur ad demonstrandam veram Christi corporis et sanguinis in Eucharistia præsentiam, verumque Missæ sacrificium.... Non repetimus modò quæ de ipsa Christi præsentia in exordio et in fine libri primi indè protulimus. Illud tantùm addimus in præsens, vocabulam transformationis sæpiùs adhiberi ad significandam (quam vocamus) Transsubstantiationem.

Lib. I. *cap.* I. *n.* 3. *pag.* 3. Verùm si ad precationes in Liturgiis adhiberi solitas attendamus; plura utique, eaque magis expressa, huic rei confirmandæ testimonia nobis occurrent. In his luculentum est illud, quod nobis suppeditat liber Sacramentorum Gregorii Magn. in Dominica quinta post Epiphaniam, ubi in Præfatione hæc leguntur: « Singuli accipiunt » Christum Dominum, et in singulis portionibus totus est; nec per sin» gulos minuitur, sed integrum se præbet in singulis. » Quod testimonium Guitmundo tanti visum est, ut illud retulerit in librum suum de corpore et sanguine Domini; itidemque Algerus in lib. I. cap. 15. ex Ambrosio, id est, ex Liturgia Ambrosiana, in qua hæc leguntur apud Pamelium Dominicâ quintâ, et in hodierno Missali Ambrosiano Dominicâ sextâ post Epiphaniam.

N. 4. Quòd si Auctores illi alias etiam Liturgias, in primis veterem Gallicanam, in promptu habuissent: haud dubiè multas indè suppetias hausissent ad asserendam Catholicam fidem. Tres tantùm locos hùc adducere juvat ex Missali Gothico seu Gallicano perantiquo, quibus locis nihil signantius aut luculentius afferri potest. Unus exstat in Missa de Epiphania, ubi statim ab initio hæc solemnitas veneranda proponitur, exhortando Fideles ad ferventem orationem, nempè « ut qui tunc aquas in » vina mutavit, nunc in sanguinem suum oblationum vina convertat. » Hìc necesse est agnoscere veram ac sinceram, non figuratam duntaxat vini mutationem in sanguinem Christi; ad quam scilicet efficiendam cœlo devocatur omnipotentia Dei, ea quidem ipsa, quæ aquas in vinum aliquando convertit.

N. 5. Sed insignior aller locus est sub finem ejusdem Missalis in Missa Dominicali. Sic enim habetur in Oratione secreta: « Precamur mente » devotâ te, Majestas æterna, ut operante virtute, Panem mutatum in » carnem, poculum versum in sanguinem, illum sumamus in calice, » qui de te fluxit in cruce ex latere. » Quis hodiè Catholicorum suam de Eucharistia fidem apertiùs et efficaciùs posset exprimere, quàm istius Liturgiæ Auctores? quos ante annos mille vixisse constat, cùm codex, undè hæc excerpta est, litteris majusculis et quadratis scriptus, superet annos nongentos.

N. 6. Ejusdem est momenti aliud ex eadem Missa testimonium post orationem Dominicam: « Libera nos à malo, Christe Jesu. Corpus tuum pro

I. Licetne novas loquendi formulas invehere ad exprimendam Ecclesiæ fidem ?

R. Quidni liceat, dummodo non mutetur propterea fides antiqua ? Imò verba quædam introducere de novo ad exprimendam significantiùs priscam fidem, maximè dum ea impugnatur ab Hæreticis, Ecclesia assolet. Patet id ex voce (*homoousiou*) *consubstantialis*, quam adhibuit Concilium Nicænum velut fidei tesseram ad significandam expressiùs

» nobis crucifixum edimus, et sanguinem sanctum tuum pro nobis effu- » sum bibimus. » Nihil interpretatione hic opus est. *Corpus Christi* in Eucharistia *edimus*, non qualecunque, sed illud ipsum, *quod pro nobis crucifixum est; sanguinem ejus bibimus*, non umbraticum, sed illum ipsum, qui *pro nobis effusus* est. Uno verbo panem sumimus, divinâ *operante virtute mutatum in carnem*; poculum *versum in sanguinem*, qui *in cruce ex latere Christi fluxit*, uti superior locus disertè adstruit.

Cap. 9. *n.* 25. Hæc namque fuit semper Gallicanæ Ecclesiæ de sanctissimo sacramento fides, cujus non alium testem magis illustrem ac certum afferre licet, quàm Hilarium clarissimum Doctorem, cujus solemne effatum est : *De veritate carnis et sanguinis non relictus est ambigendi locus*, ut ipse loquitur in lib. 8. de Trinitate. Eamdem fidem adstruunt, ut initio hujus libri vidimus, veteres libri Missales Ecclesiæ Gallicanæ, in quibus Christum precatur Sacerdos, *ut operante virtute* divinâ, panem mutatum in carnem, poculum versum in sanguinem, *illum sumat in calice, qui de* ipso *fluxit ex latere.* Et in alio : *Corpus tuum* pro nobis crucifixum *edimus*, *et sanguinem sanctum tuum* pro nobis effusum *bibimus.* Hæc nostra, hæc majorum nostrorum fides, quam utinam fratres nostri aversi jam tandem vel serò agnoscant ? neque non ampliùs provocent ad fictitiam illam novationem, quam Paschasio Radberto auctore seculo nono contigisse criminantur. Ne pluribus hic morer, luculentum his testimoniis Auctorem adducere sufficiat, nimirùm Alcuinum Paschasio superiorem, cujus unius auctoritas, tam clara et manifesta, hanc controversiam dirimere deberet. Is itaque in Epistola 113. ad Paulinum Aquileïensem Patriarchan hæc verba habet, litteris aureis inscribenda : « Ne, quæso, obliviscaris » in tuis sanctis orationibus nomen amici tui Albini : sed in aliquo me- » moriæ gazophylacio reconde illud, et profer eo tempore opportuno, quo » panem et vinum in substantiam corporis et sanguinis Christi consecra- » veris. » Qui tam perspicuis verbis detrahit fidem, is non veritatis, sed contentionis, sed erroris, sed schismatis amator est.

LITURG. GALLIC. 8. *Ordo Missæ in Circumcisione D. N. J. C. Orat. post secreta.* Hæc nos, Domine, instituta et præcepta retinentes, suppliciter oramus : uti hoc sacrificium suscipere, et benedicere et sanctificare digneris : ut fiat nobis Eucharistia legitima in tuo, Filiique tui nomine, et Spiritûs sancti, in Transformationem corporis ac sanguinis Domini Dei nostri Jesu Christi unigeniti tui.

20. *Missa in Cathedra S. Petri Apost. post Myst.* Hæc igitur præcepta servantes, sacrosancta munera nostræ salutis offerimus, obsecrantes, ut immittere digneris Spiritum tuum sanctum super hæc solemnia : ut fiat nobis legitima Eucharistia in tuo, Filiique tui nomine, et Spiritûs sancti, in Transformatione corporis ac sanguinis Domini nostri Jesu Christi unigeniti tui, edentibus nobis vitam æternam, regnumque perpetuum conlatura habituris.

65. *Missa S. Leodegarii Mart. post secreta.* Hæc facimus, Domine, Passionem tuam commemorantes, hæc facimus, Pater Jesu Christe : qui nobis de lege veteri novam tradidisti. Concede nobis, intercedente beato Antistite tuo Leodegario martyre, cujus hodiè annuam commemorationem celebramus, ut descendat hic benedictio tua super hunc panem et calicem in Transformatione Spiritûs tui sancti : uti hæc benedicendo benedicas, sanctificando sanctifices; ut quicunque ex utraque benedictione sumpserimus, æternitatis præmium, et vitam consequi mereamur æternam.

unam Verbi divini cum Patre substantiam, quam negabant Ariani. (I)

I. Quomodo fit isthæc in Eucharistia substantiæ conversio et transmutatio ?

R. Per omnipotentem virtutem Christi, qui Sacerdotis ore consecrat : unde cùm ad consecrationem ventum est in Missæ sacrificio, ut infrà videbimus, jam non suis verbis utitur Sacerdos, sed utitur sermonibus Christi, ut advertit S. Ambrosius (*lib.* 4. *cap.* 4. *n.* 14.) seu quisquis alius Auctor libri Sacramentorum ipsi Ambrosio coævus. (K)

I. Exstantne in Scripturis exempla alia conversionis unius substantiæ in aliam ?

R. Exstant non pauca. Patet ex sacris codicibus transmutationem factam fuisse uxoris Lot in statuam salis, virgæ Aaron in serpentem, aquæ in vinum : cujus virtute factæ sunt illæ transmutationes, hujus virtute fieri potuit et facta est conversio panis in Corpus Christi. His aliisque similibus exemplis usi sunt SS. Patres prioribus seculis, ut recèns baptizatos, quos ad primam communionem erudiebant, docerent certò tenendam esse doctrinam transsubstantiationis. (L)

(I) SYMBOL. NICÆN. Credo.... et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum.... genitum, non factum, CONSUBSTANTIALEM Patri, per quem omnia facta sunt.

(K) S. AMBROS. *lib.* 4. *de Sacram. cap.* 4. *n.* 14. Tu fortè dicis : Meus panis est usitatus. Sed panis iste, panis est ante verba Sacramentorum : ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi. Hoc igitur adstruamus. Quomodo potest qui panis est, corpus esse Christi ? Consecratione. Consecratio autem quibus verbis est, et cujus sermonibus ? Domini Jesu. Nam reliqua omnia quæ dicuntur in superioribus, à Sacerdote dicuntur, laudes Deo deferuntur, oratio petitur pro populo, pro Regibus, pro cæteris : ubi venitur ut conficiatur venerabile Sacramentum, jam non suis sermonibus utitur Sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. Ergo sermo Christi hoc conficit Sacramentum.

N. 15. Quis est sermo Christi ? Nempè is quo facta sunt omnia. Jussit Dominus, (*Genes.* 1.) et factum est cœlum : jussit Dominus, et facta est terra : jussit Dominus, et facta sunt maria : jussit Dominus, et omnis creatura generata est. Vides ergo quàm operatorius sit sermo Christi. Si ergo tanta vis est in sermone Domini Jesu, ut inciperent esse quæ non erant, quantò magis operatorius est, ut sint quæ erant, et in aliud commutentur ?

N. 16. Ergo tibi ut respondeam, non erat corpus Christi ante consecrationem : sed post consecrationem dico tibi, quia jam corpus est Christi. Ipse dixit, (*Ps.* XXXII. 9.) et factum est : ipse mandavit, et creatum est.

Cap. 5. *n.* 23. *Qui pridiè*, inquit, (*In Consecr. Missæ*) *quàm pateretur*, in sanctis manibus suis *accepit panem*. Antequam consecretur, panis est ; ubi autem verba Christi accesserint, corpus est Christi. Denique audi dicentem : (*Ibid. et Matth.* XXVI. 26. *etc.*) *Accipite, et edite ex eo omnes : hoc est corpus meum*. Et ante verba Christi, calix est vini et aquæ plenus : ubi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis Christi efficitur, qui plebem redemit : ergo videte quantis generibus potens est sermo Christi universa convertere. Deinde ipse Dominus Jesus testificatur nobis quòd corpus suum accipiamus et sanguinem. Nunquid debemus de ejus fide et testificatione dubitare ?

(L) S. CYRILL. *Catech. myst.* 4. *Vide suprà litt.* (F)

S. AMBROS. *Lib. de Myst. cap.* 9. *n.* 50. *Vide suprà litt.* (H) *hocce* §.

I. Solumne corpus Christi inest sub specie panis, et solus sanguis sub specie vini?

R. Sub utraque specie totus Christus continetur: nec obstat quòd Christus accipiens panem dixerit: (*Matth.* XXVI. 26. 1. *Cor.* XI. 24.) *Hoc est corpus meum*, et accipiens calicem dixerit: (*Ibid.* 28.) *Hic est sanguis meus.* Corpus enim Christi in Eucharistia vivum est; sanguis Christi vivus est. At nec vivit corpus sine sanguine et anima, nec vivit sanguis separatus à corpore: adeoque ex reali Christi præsentia sequitur totum Christum sub qualibet specie contineri. (M)

I. Cur dixisti et divinitatem Christi in Eucharistia contineri?

R. Quia quod semel assumpsit Verbum Dei corpus nunquam dimisit, idem dicendum de anima. Ubi ergo Christus est, ibi et Deus est. (N)

I. Cùm frangitur hostia consecrata, frangiturne corpus Christi?

R. Fractà hostià frangitur quidem species et sacramen-

(M) CONCIL. TRID. *Sess.* 13. *can.* 3. Si quis negaverit, in venerabili Sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie, et sub singulis cujusque speciei partibus, separatione factà, totum Christum contineri, anathema sit.

(N) CONCIL. EPHESINUM Generale III. *ann.* 431. *Part.* I. *cap.* 26. *n.* 7. *Ex Epist.* S. CYRIL. ALEXAND. *ad Nestorium.* Quin illud quoque non possum hoc loco non adjicere: nempè, unigeniti Filii Dei, Jesu Christi mortem, et ex mortuis resurrectionem annuntiantes, ejusdemque in cœlum assumptionem confitentes, incruentum in Ecclesia sacrificium nos celebrare, atque ad mysticas benedictiones accedere, et sanctificari; ut potè participes sacræ carnis et pretiosi sanguinis Christi omnium nostrùm Salvatoris effectos, neque enim illam ut carnem communem suscepimus: absit hoc; neque rursum tanquam viri cujuspiam sanctificati, aut dignitatis unitate Verbo consociati, aut divinam inhabitationem sortiti; sed tanquam verè vivificam, ipsiusque Verbi propriam. Nam cùm vita sit ut Deus secundùm naturam, posteaquam unum quiddam cum ipsa sua carne effectum est, vivificandi virtutem illi contulit.

Ex ead. Epist. ad Nestor. anathem. II. *Tom* 2. *Concil. Labb. pag.* 418. Si quis non confitetur carnem Domini vivificatricem esse tanquam propriam ipsius Dei Verbi, sed quasi alterius cujuspiam præter ipsum, conjuncti quidem secundùm dignitatem, aut secundùm quòd solam divinam inhabitationem habuerit: et non potiùs ut dixerimus vivificatricem esse, quia facta est propria verbi Dei, cui omnia vivificare possibile est; anathema sit.

S. CYRILLUS ALEXAND. *in Joan. Lib.* 4. *Vide suprà hocce* §. *litt.* (F) *et Tom.* 5. *pag.* 378. Dicant ergo nobis verbosi illi et omnium absurdissimi, cujusnam corpore pascuntur Ecclesiæ oves, aut quibus laticibus refocillentur alumni Ecclesiæ? Si enim Dei corpus traditur, hic Deus verus, Christus Dominus, ac non homo simplex, ut ipsi volunt, administer et incorporeorum unus est. Et, si Dei sanguis, Dei poculum est, non utique Deus nudus ille, unus adorandæ Trinitatis Dei filius est, sed homo factus Deus Verbum. Si verò Christi corpus est cibus, et Christi sanguis potus, atque ita, ut ipsi volunt, homo nudus, quo pacto in vitam æternam prædicatur iis qui ad sacram mensam accedunt? quomodo rursùs dividetur, cùm hic, tum ubique, nec tamen minuitur? Simplex enim corpus, vitam nequaquam infundit participantibus. Quapropter accipiamus corpus ipsiusmet vitæ, quæ propter nos in nostro corpore habitavit, et bibamus ejus sanctum sanguinem, in remissionem peccatorum nostrorum, et participationem ejus, quæ in ipso est immortalitatis; credentes simul ipsum manere Sacerdotem et hostiam, ipsum qui offert et oblatus est, qui accipit et traditur.

tum, hoc est, signum sensibile : sed manet semper Christus totus sub qualibet parte hostiæ divisæ. (O)

I. Sub vel minima fractione speciei remanetne Christus integer ?

R. Remanet Christus totus sub vel minimo fragmento hostiæ, modò sub sensus cadat, non secùs ac sub maximo.

§. 5. De Adoratione, Custodiâ, Expositione, Processione Eucharistiæ.

I. Licetne Christum adorare in Eucharistia ?

R. Non modò licet adorare, sed et non adorando peccaremus, ut ait S. Augustinus (*in Ps.* XCVIII. *n.* 9.) (A) Ubi ubi

(O) S. JOAN. CHRYSOST. *Homil. de Orat. Dominic. pag.* 716. *Tom.* 5. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodiè.* (*Luc.* XI. 3.) Magnus iste panis qui replet mentem et non ventrem. Iste panis et noster est, et Angelorum : iste panis manducatur, et non finitur : iste panis mundum totum replet, et integer manet. De ipso comedimus, indè vivimus, indè pascimur, indè nutrimur, indè pervenimus : et tamen quotidiè illum quærimus, ne deficiat fides nostra, ne vires animæ nostræ in ista arcta et angusta via fatigatæ non perveniant ad patriam. Ergo Domine pasce nos quotidiè pane cœlesti, Verbo tuo sancto quod carnem fieri voluisti, ut habitaret in nobis. (*Joan.* I. 14.) Ipse panis est, qui fractus est illis ambulantibus in via, quem agnoverunt in fractione panis. Quid est enim frangere panem, nisi secretum aperire, agnoscere Deum et hominem?

Concil. Trid. Sess. 13. *can.* 3. *Vide suprà litt.* (M) *hocce* §.

(A) *Vide* §. *præcedent. litt.* (F) S. AMBROS. *lib.* 3. *de Spiritu sancto cap.* 11. *n.* 79. *et* S. AUG. *in Psal.* XCVIII. *n.* 9.

S. JOAN. CHRYSOST. *Lib.* 6. *de Sacerd. cap.* 4. *Tom* 5. *pag.* 552. Cùm autem ille et Spiritum sanctum invocaverit, sacrificiumque illud horrore ac reverentiâ plenissimum perfecerit, communi omnium Domino manibus assiduè pertractato : quæro ex te, quoto illum in ordine collocabimus ? quantam autem ab eo integritatem exigemus ? quantam religionem ? Considera etiam quales manus illas administrantes esse oporteat : qualem linguam, quæ verba illa effundat : quâ denique re non puriorem sanctioremve esse conveniat animam, quæ tantum illum tamque dignum Spiritum receperit. Per id tempus et Angeli Sacerdoti assident, et cœlestium potestatum universus ordo clamores excitat, et locus altari vicinus in illius honorem qui immolatur, Angelorum choris plenus est. Id quod credere abundè licet, vel ex tanto illo sacrificio quod tum peragitur. Ego verò et commemorantem olim quemdam audivi, cùm diceret senem quemdam virum admirabilem, ac cui revelationum mysteria multa divinitùs fuissent detecta, sibi narrasse, se tali olim visione dignum habitum à Deo esse, ac per illud quidem tempus derepente Angelorum multitudinem conspexisse (quatenùs aspectus humanus ferre poterat) fulgentibus vestibus indutorum, altare ipsum circumdantium : denique sic capite inclinatorum, ut si quis milites præsente Rege stantes videat, id quod facilè mihi ipse persuadeo. Item et alius quidam mihi narravit, non ille quidem ab alio edoctus, sed dignus habitus, qui id et vidisset ipse, et audiisset, quod qui de vita hac emigraturi sunt, si mysteriorum hujusmodi cum pura ac munda conscientia fuerint participes spiritum efflaturi, ab Angelis illorum corpora satellitum more stipantibus, propter assumptum illud sacrum hinc rectà in cœlum abducuntur.

Homil. I. *de verb. Esai.* Vidi Domin. *pag.* 836. *et seq.* Non cogitas ipsum hic invisibiliter adesse Dominum, qui unicujusque motum metitur, et conscientiæ rationem habet ? Non cogitas quòd Angeli huic stupendæ assistunt mensæ, cumque reverentia hanc circumvallant ?.... Assistit aliquis terreno regi omnibusque modis molitur, ut quamplurimam erga illum reverentiam exhibeat, quò per hoc majorem illius erga se conciliet benevolentiam. Cujus gratiâ non solùm specie capitis, verùm

sit Christus, ibi meretur adorationem. (B) Nec dicas cum Lutheranis nullum exstare in Scripturis præceptum adorandi Christum in Eucharistiâ, quasi verò speciali ad hoc præcepto opus sit, nec Christum ibi esse sufficiat. Multò rectiùs hac in re Calviniani ratiocinantur. Ipsi enim nolunt quidem Christum esse in sacramento realiter præsentem;

etiam ipsâ voce, ipsâ manuum compositione, ipsâ pedum conjunctione, totiusque corporis contractione, talem reverentiam conatur ostendere. Hoc et ab illis incorporeis virtutibus fit. Cùm enim plurimam habeant erga Conditorem reverentiam, et hanc undiquaque conantur præstare.... Sic oportet nos quoque assistere, talem Deo glorificationem offerentes, metuentes, ac trementes, ac tanquam illum ipsum mentis oculis intuentes. Adest enim hic omninò, nec tamen ullo modo circumscribitur, vocesque nostras recenset. Sic igitur contrito corde et submisso, laudem depromentes reddamus eam acceptam, et velut incensum boni odoris ad cœlum submittamus. Cor enim, inquit, (*Psal* L. 19.) *contritum et humiliatum Deus non despiciet*.... Neque enim hoc solùm peccatur, quòd quæ hic fiunt parùm pro dignitate peraguntur, verùm etiam alius quidam gravis obambulat morbus. Quis tandem iste? Quòd qui proposuerunt cum Deo alloqui, eique servilium exhibent, mox hoc omisso suum quique vicinum arripiunt, ordinantque res domesticas, quæque fiunt in foris, quæque in populo, quæque in theatris, quæque in exercitu, et quomodo alia quidem sunt administrata, alia rursùs neglecta, et quid in gerendis rebus plus satis fuerit, quid diminutum, in summa, de rebus omnibus vel publicis, vel privatis hîc colloquuntur. Et quâ tandem veniâ digna sunt ista? Atqui is qui cum Rege terreno colloquitur, de his tantùm verba facit de quibus ille voluerit audire, et de quibus Rex fuerit percontatus. Quòd si quis ausit aliquid injicere secùs quàm ille velit, extremo supplicio afficetur. Tu verò cum Rege Regum colloquens, cui cum tremore serviunt Angeli, omisso cum illo cœpto sermone, de luto, de pulvere, de telis aranearum loqueris. Nihil enim aliud sunt hujus vitæ negotia. Et quomodo sustinebis istius contemptûs pœnam? Quis autem te ab hac vindicta liberabit? Verùm haud rectè se habent, inquiunt, Reipublicæ negotia, de his plerumque loquimur, et ingens periculum imminet. Quid autem in causa? Eorum, inquiunt, qui magistratum gerunt incogitantia. Non est Magistratuum incogitantia, sed nostra injustitia, et pœna est pro nostris scelerîbus exacta.... Proindè si hùc adveniens sua quisque examinet delicta, nec alium incusabit, et præsentem glorificationem resonabit. Quod autem exigitur ad decentem modestiam, hoc est primum, corde contrito accedere ad Deum: proximum cordis affectum ipso visibili habitu declarare, statu, manuum decorâ compositione, placidâ contractâque voce: nam id facile est, et potest quisquis voluerit. Qui fiet igitur ut omnes suo fungantur officio? Ponamus nobis ipsis legem, dicamusque, in publicam utilitatem lex prodita est, et hujus utilitatis oportet nos omnes esse participes. Quapropter et indecoras voces premamus, manuumque gesticulationes corripiamus, has conjunctas exhibentes Deo, nec incompositis motibus attollantur. Odit enim hoc Deus et aversatur, sicut contrà, compositum ac modestum amat, expetitque. *Ad quem*, inquit, *respiciam*, nisi ad mansuetum et quietum et trementem verba mea? Dicamus aliis alii, non vult Deus ut simùl, cum ipso loquamur, et inter nos fabulemur: nec patitur, ut omisso cum ipso colloquio, præsentium colloquia suscitemus, cœnoque margaritas contaminemus. Siquidem hoc suam contumeliam esse ducit, non glorificationem. Quòd si quis voluerit hoc præceptum præterire, obturemus illi os, tanquam nostræ salutis insidiatorem expellamus, ex Ecclesiæ sanctæ septis ejiciamus. Hoc si fecerimus, nostra quidem peccata superiora facilè diluemus, ipsum autem Dominum habebimus in medio nostrùm unà cum sanctis Angelis choros agentem, et cuique modestiæ coronas distribuentem.

(B) Hebr. I. 6. Et cùm iterùm introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.

in quo quàm turpiter aberrent, Paragrapho superiori probavimus : sed fatentur tamen si Christus sit realiter præsens in Eucharistiâ, certè adorari oportere : quod quidem ratiocinium urget Theodorus Beza in libro de *Cœna Domini* adversùs Lutheranum quemdam scripto.

I. Quo genere cultùs adoratur Christus in Eucharistiâ ?

R. Supremo genere adorationis soli Deo debitæ, qui cultus latriæ dicitur. (C) Christus enim est verè Deus, ut suprà probavimus.

I. Adoraturne sacramentum seu signum sensibile ?

R. Sanè non sacramentum, sed Christus ipse sub sacramento velatus. Cùm Christus in terris degeret, non Christi vestibus, sed ipsi Christo illis vestibus cooperto deferebatur adoratio.

De eâ re mentem suam sic exponunt Patres Concilii Tridentini (*Sess.* 13. *cap.* 5.) *Nullus itaque dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles, pro more in Catholicâ Ecclesiâ semper recepto, latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic sanctissimo sacramento in veneratione exhibeant. Neque enim ideò minùs est adorandum, quòd fuerit à Christo Domino ut sumatur institutum* (*Matth.* XXVI. 26.) ; *nam illum eumdem Deum præsentem in eo adesse credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum dicit :* (*Ps.* XCIV. 8. *Hebr.* I. 6.) Et adorent eum omnes Angeli Dei, *quem* Magi procidentes adoraverunt (*Matth.* II. 11.) ; *quem denique* in Galilæâ ab Apostolis adoratum fuisse *scriptura testatur.* (*Matth.* XXVIII. 9. *Luc.* XXIV. 54.)

Dùm Concilium Tridentinum, pro more inter catholicos recepto, utitur hac loquendi formulâ, *sanctissimum sacramentum est adorandum*, hanc eodem planè modo exponit ac nos suprà exposuimus. Quod maximè evidens fit ex argumentis quæ in medium adducit ut probet adorandum esse sanctissimum sacramentum. Cur etenim adorandum est ? *quia*, inquit Concilium, *illum eumdem Deum præsentem in eo adesse credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum dicit*, Et adorent eum omnes Angeli Dei ; illum eumdem Deum, quem *Magi et Apostoli procidentes adoraverunt.* (D) Ubi igitur eumdem Deum, Patris scilicet æterni Filium, Magi et Apostoli, dùm vestibus suis tegebatur, ado-

(C) CONCIL. TRID. *Sess.* 13 *cap.* 5. *infrà in seq. Respons.*

(D) MATTH. II. 11. Et intrantes (Magi) domum invenerunt puerum cum Maria matre ejus, et procidentes adoraverunt eum.

XXVIII. 9. Et ecce Jesus occurrit illis, dicens : Avete. Illæ autem accesserunt, et tenuerunt pedes ejus, et adoraverunt eum.... 16. Undecim autem discipuli abierunt in Galilæam, in montem, ubi constituerat illis Jesus. 17. et videntes eum adoraverunt.

LUC. XXIV. 51. Et factum est, dum benediceret illis (Jesus), recessit ab eis, et ferebatur in cœlum. 52. Et ipsi adorantes regressi sunt in Jerusalem.

S. THOM. *Part.* 3. *Quæst.* 25. *de adoratione Christi, art.* 4. *Vide Part.* 2. *Sect.* 3. *Cap.* 2. §. 5. *litt.* (P)

rabant, sic nos eumdem speciebus sacramentalibus tectum adoramus.

Adhuc dilucidioribus verbis mentem suam aperit sacrum Concilium, in quâ de damnandis adversis dogmati catholico circa adorationem sanctissimi sacramenti hæresibus agitur. En ipsa canonis verba : *Si quis dixerit in sanctissimo Eucharistiæ sacramento Christum unigenitum Dei Filium non esse cultu latriæ, etiam externo, adorandum.... Anathema sit.* (*Concil. Trid. sess.* 13. *can.* 6.)

Ubi sanctum Concilium eos tantùm qui negant Christum in sanctissimo sacramento esse adorandum anathemate percutit ; proinde, cùm *capite* 5. ejusdem sessionis sanctissimum sacramentum adorandum esse dicit, nihil aliud definit quàm Christum in sanctissimo sacramento cultu latriæ esse venerandum : id verò maximè evidens est ; siquidem in sanctissimo sacramento quidquid sub sensus cadit, id est, signum ejus sensibile, non aliâ de causâ vocatur et est sacramentum, quàm quod Christus in eo realiter præsens contineatur. Non ergo signum sensibile, sed Jesum Christum solum adoramus, licèt laxiori sensu verè et necessariò dicendum sit sanctissimum sacramentum nos adorare ; et tunc hæc verba non in species sacramentales, sed in Christum sub ipsis præsentem cadunt : nec ullus unquam eà in re fidelis erravit ; ac proinde quisquis in alium sensum Ecclesiæ catholicæ verba detorquere conatur, in calumniam et mendacium turpiter impingit.

I. Licetne sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum in Ecclesiis servare confecto sacrificio ?

R. Licet : idque perpetuo Ecclesiarum omnium usu servatum est, et servatur etiamnum, si Protestantes excipias.(E)

(E) Tertull. *Lib.* 2. *ad uxor. cap.* 5. Non sciet maritus quid secretò ante omnem cibum gustes ? et si sciverit panem, non illum credit esse qui dicitur ? et hæc, ignorans quisque rationem, simpliciter sustinebit ? sine gemitu ? sine suspicione panis an veneni ? Sustinent quidam. Sed ut inculcent, ut illudant hujusmodi feminis : quarum arcana in periculum quod credunt reservent, fortè lædantur.

S. Cyprian. *Lib. de Lapsis, ultra medium.* Cùm quædam arcam suam, in qua Domini sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire, igne indè surgente deterrita est, ne auderet attingere.

S. Cyrillus Alexand. *Epist. ad Calosyr.* Aliquos autem esse audio, qui mysticam Eulogiam nihil ad sanctificationem juvare dicant, si quid ex ea fiat reliqui in alium diem. Insaniunt verò qui hæc asserunt. Neque enim alteratur Christus, neque sanctum ejus corpus immutatur ; sed benedictionis vis ac facultas, et vivificans gratia perpetua in illo existit.

S. Joan. Chrysost. *Epist. ad Innocent. I. PP. Tom.* 2. *Concil. pag.* 1297. *edit. Labb.* Sanctuaria ingressi sunt milites, quorum aliquos scimus nullis initiatos mysteriis, et viderunt omnia quæ intùs erant. Quin et sanctissimus Christi sanguis, sicut in tali tumultu contingit, in prædictorum militum vestes effusus est.

S. Ambros. *de excessu fratris sui Satyri, lib.* 1. *n.* 43. (Satyrus) priusquam perfectioribus esset initiatus mysteriis, in naufragio constitutus, cùm ea qua vehebatur navis, scopuloso illisa vado, et urgentibus hinc atque indè fluctibus solveretur, non mortem metuens, sed ne vacuus mysterii exiret è vita ; quos initiatos esse cognoverat, ab his divinum illud

fidelium sacramentum poposcit ; non ut curiosos oculos inferret arcanis, sed ut fidei suæ consequeretur auxilium. Etenim ligari fecit in orario, et orarium involvit collo, atque ita se dejecit in mare, non requirens de navis compage resolutam tabulam, cui supernatans juvaretur, quoniam fidei solius arma quæsierat.

D. JOAN. MABILLON *de Liturg. Gallic. Lib.* 1. *cap.* 9. *n.* 9. Sed longiùs provehor quàm esset necesse ad demonstrandum id quod in argumento erat ; nimirùm antiquissimum esse in Ecclesia usum Viatici infirmorum, utpote à primis purioribusque Ecclesiæ temporibus receptum : ita ut Pastoribus in culpam deputaretur, si quis piè vivens absque Viatico decederet. Verùm divinam Eucharistiam ad Viaticum fuisse tunc reservatam non satis indè intelligitur, tametsi vix alio modo poterat infirmis quibusque absque hac repositione subveniri, cùm Missarum solemnia longuam moram exigerent. Sed ut id planiùs fiat, quædam hoc loco, quoad breviùs fieri poterit, observanda sunt.

N. 10. In primis non aliter potest intelligi Paulini narratio de Ambrosii extrema communione, nisi Eucharistiam reservatam admittamus. Ambrosius morte imminente, *ab hora circiter undecima diei, usque ad illam horam, quâ emisit spiritum, expansis manibus in modum crucis oravit. Honoratus autem Sacerdos Ecclesiæ Vercellensis, cùm in superiori domo se ad quietem composuisset, tertiò vocem vocantis se audivit, dicentisque sibi : Surge, festina, quia modò est recessurus. Qui descendens, obtulit Sancto Domini corpus. Quo accepto, ubi glutivit, emisit spiritum.* Nemini hic fingere animo licet Missam ad hoc fuisse celebratam. Tempus non sinebat, hora diei minimùm duodecima : non temporis articulus et angustia. Siquidem Honoratus, qui tunc ad quietem in lecto compositus erat, mox ut descendit, nullâ interpositâ morâ, *obtulit Sancto Domini corpus.* Ergo ex reservata Eucharistia id factum est.

N. 11. Concedat forsan aliquis, ex reservata quidem, non in Ecclesia, sed domi : quod cuivis liceret Eucharistiam deferre in proprias ædes. Nec sanè video quid ex Paulino huic responsioni possit opponi, tametsi rem aliter se habere non dubito. Verùm conferatur hic locus cum Palladii testimonio in libro de vita sancti Joannis Chrysostomi, aut potiùs cum ipsius Chrysostomi Epistola ad Innocentium à Palladio relata. In ea Epistola describit Joannes irruptionem militum, quæ in Ecclesiam C. P. facta est sabbato sancto, cùm omnia ad solemnem Baptismum essent disposita. Tunc quippè sacros Fontes cruore vulneratorum ex promiscuo sexu profusos fuisse scribit : sed neque hic malum substitisse. Milites enim *ubi sacra erant reposita* irrumpentes, *viderunt omnia quæ intùs erant ; et sanctissimus Christi sanguis in prædictorum vestes effundebatur.* Id autem factum est, cùm omnes catechumeni ad suscipiendum Baptisma aptati essent. Ergo ante sacra celebrata, quæ sabbato sancto, nonnisi absolutis Baptismi cæremoniis, ab antiquo inchoari mos est, etiam apud Græcos, ex eorum Euchologio, in quo ita legitur pag. 359. apud Goarem : *His dictis*, scilicet post Baptismum, et unctionem baptizatis impertitam, *Patriarcha ingreditur cum recenter illuminatis ad Introïtum, et deinceps divinam perficit Missam :* undè consequens est, sacrum Christi sanguinem ex præcedenti sacrificio fuisse reservatum. Quod etiam de alia Eucharistiæ specie satis innuit Chrysostomus, ubi ait irrupisse *ubi sacra erant reposita, et vidisse omnia quæ* intùs erant. Denique verbum *apekeinto* idem est ac repositum, reservatum ad tempus. Hanc reservationem improbarunt quidam seculo IV. putantes *mysticam benedictionem nihil ad sanctificationem proficere, si quid ex ea fiat reliqui in alium diem.* Quos *insanire* dicit Cyrillus Alexandrinus ad Calosyrium Episcopum scribens.

N. 12. Sed Græcis aliis omissis venio ad Latinos, quorum inter primos occurrit Optatus. Is in lib. 1. conqueritur, quòd factio Donatistarum eò usque erupisset, ut jusserint *Eucharistiam canibus fundi.* In lib. 6. eadem querela iteratur, quòd fregerint eraserintque altaria, *in quibus vota populi et membra Christi portata sunt*, immò *ubi corpus Christi habitabat.* Quod non de transeunte et horaria (ut ita dicam) sacrificii actione, sed de permanenti *habitatione* interpretandum est : nec sanè sacra tum fiebant, cùm Donatistæ in Ecclesiam, in ipsum corpus Christi grassati sunt.

N. 13. Eadem reservatio probari potest ex lib. 2. Dialogorum Gregorii M. cap. 24. ubi sanctus Benedictus, audito Monachum è suis quemdam sepulturæ beneficio divinitùs arceri, nuntiis manu suâ protinùs communionem *Dominici corporis dedit*, atque *hoc Dominicum corpus super pectus mortui cum reverentia poni* præcepit, *eumque sepulturæ sic tradi.* Notanda particula protinùs, hoc est nullâ interpositâ morâ, quæ ad sacra celebranda necessaria erat.

N. 14. Idem mos Eucharistiæ asservandæ apud Gallos jam oblinebat tempore Perpetui Turonensis Episcopi, id est, seculo quinto, quo tempore Perpetuus in suo testamento *Amalario Presbytero capsulam communem unam de serico, item peristerium et columbam ad repositorium dat legatque.* Rocus Minister negat hanc columbam ad Eucharistiam, sed ad quidvis aliud reponendum, fuisse institutam. Et hæc quidem responsio aliquid valeret, si nullus alius nobis suppeteret locus ad probandum usum columbarum argentearum aurearumve ad Eucharistiæ reservationem. At multa id evincunt veterum testimonia, atque ritus etiam hodie quibusdam in locis perseverans, ut in Ecclesia sancti Mauri prope Parisios, ubi continendæ divinæ Eucharistiæ vasculi loco est aurata columba. Idem mos olim vigebat apud Cluniacenses nostros, teste Udalrico, qui pyxidem corpus Dominicum ad Viaticum infirmorum continentem, in *aurea columba jugiter pendente super altare fuisse* reconditam scribit in lib. 1. cap. 8.

N. 15. Sed antiquius est testimonium vitæ Basilii Magni, quæ licèt Amphilochio perperàm tribuatur, tamen ab Auctore veterrimo scripta est, atque laudata ab Ænea Parisiensi Episcopo in lib. adversùs Græcos, relatis iisdemmet verbis, quæ modò in argumento versantur. Basilius quippe post elatum in Missa Dominicum panem, eum in tres partes divisit, quarum unam ipse sumpsit, aliam in aurea columba super altare sacrosanctum collocavit. Cùm itaque Perpetuus Amalario Presbytero *columbam argenteam ad repositorium* cum aliis sacris rebus legat; de columba, quæ ad asservandam Eucharistiam facta erat, interpretandus videtur.

N. 16. Fatendum tamen est, non ubivis, cùm fit in rebus etiam Ecclesiasticis columbarum mentio, de columbis Eucharistiæ servandæ aptatis sermonem esse. Tribus quippe in locis columbæ adhiberi in Ecclesia solebant, nempe in Baptisteriis, in Tumulis cùm Sanctorum, tum aliorum hominum insigniorum, et in Altaribus sacris. In Baptisteriis mysterii causà, ad significandum scilicet Spiritum sanctum, qui in columbæ specie super Christum baptizatum spectabilem se præbuit: quales etiam nunc super Baptisteria appensæ sunt quibusdam in locis. Super Tumulos itidem Martyrum columbas appendi olim mos erat. Undè fur quidam in Ecclesia sancti Dionysii, *super sepulcrum sanctum calcare non metuens, dum* columbam auream *lanceâ quærit elidere, elapsis pedibus ab utraque parte, quia turritus erat tumulus, lanceâ in latere defixâ, exanimis est inventus*, apud Gregorium in lib. 1. de gloria Martyrum cap. 72. Simile præstabant Langobardi erga consanguincos suos, referente Paulo Warnefridi in lib. 5. cap. 34. *Si quis enim* suorum, « aut in bello, aut quo» modocunque exstinctus fuisset, consanguinei sui intra sepulcra sua » perticam figebant, in cujus summitate columbam ex ligno factam » ponebant, quæ illùc versa esset, ubi eorum dilectus obiisset. » Illæ itaque columbæ, sive quæ in baptisteriis, sive quæ in tumulis appensæ, erant ad mysterium vel ad ornatum, non ad asservandum Viaticum, id est, non ad repositorium, qualis erat illa Perpetui columba: quæ cùm simpliciter *columba ad repositorium* appelletur, non de alia re, quàm de Eucharistia id interpretandum est.

N. 17. Unum restat, scilicet de columbis Altaribus appensis, quæ haud scio an omnes etiam Eucharistiam continebant. In libello Supplicationibus Clericorum et Monachorum Antiochiæ ad Joannem Patriarcham et ad Synodum C. P. sub Menna congregatam contra Severum Acephalorum antesignanum, graviter expostulant illi, quòd Severus neque ipsis sanctis altaribus pepercisset, neque sacris vasis: sed et « columbas » aureas et argenteas, in figuram Spiritûs sancti super divina lavacra et » altaria appensas, unà cum aliis sibi appropriavit, dicens non oportere

» in specie columbæ Spiritum sanctum nominare » , tom. 5. Conciliorum pag. 159. Verisimillimum est, columbas illas, etiam quæ super altaria appensæ erant, ad hoc duntaxat fuisse institutas, nempe *in figuram Spiritûs sancti*, uti et illas, quæ super Baptisteria pendebant.

N. 18. Ad triplicem itaque usum institutæ erant ejusmodi columbæ, nempe ad figuram seu mysterium, ad ornatum, et ad *repositorium*. Primi et secundi generis columbæ erant in Baptisteriis et in quibusdam altaribus : tertii verò generis aliæ passim ad continendam Eucharistiam divinam.

N. 19. Ad harum tamen imitationem columbæ quædam etiam ad reponendas reliquias sacras factæ sunt : quo in genere erat illa Ecclesiæ beatæ Mariæ Laudunensis, cujus meminit Hermannus monachus in lib. 3. de Miraculis sanctæ Mariæ cap. 28. ubi de furto Anselmi cujusdam, « qui cruces aureas et phylacteria confringens, inter cætera etiam » auream columbam confregit, quæ pro lacte et capillis sanctæ Mariæ » (ut ferebatur) introrsùm reconditis, multùm erat famosa et honora- » bilis : undè et in majoribus festis super ejus altare solebat appendi. » Verùm non semper appensæ erant ejusmodi columbæ super altare, sed ad breve tempus : neque primis seculis reliquias super altaria appendi religio ferebat. Neque forsan alibi uspiam inveniri possent ejusmodi columbæ ad continendas reliquias : nec ob hoc singulare factum elevari debet ex Perpetui testamento petita auctoritas ad probandum usum columbarum pro Eucharistiæ seu Viatici asservatione.

N. 20. Eucharistiæ asservatæ argumentum certius et exploratius legitur in Canone 3. Concilii secundi Turonensis, qui de *compositione corporis Domini in altari* inscribitur, his omninò verbis expressus, *Ut corpus Domini in altari, non in imaginario ordine, sed sub crucis titulo componatur.* De hoc Canone fusiùs egimus in libello de Azymo cap. 8. sed quædam hîc retractare juvat. Tres sunt de explicando hoc Canone Catholicorum sententiæ. Binius existimat hoc Decreto prohiberi, ne corpus Domini inter sacras imagines super altare poni solitas, sed potiùs collocetur sub ipsa cruce, quæ in meditullio ipsius altaris poni consuevit. Jacobus Sirmondus è contrario censet nihil aliud hoc Canone vetari, quàm ut panis in corpus Domini consecrandus non aliter pro cujusque arbitrio, quàm impressâ cruce formetur. Tertia sententia est cujusdam viri doctissimi, hunc Canonem intelligendum esse de componenda oblatione cum calice tempore sacrificii è regione crucis in medio altari positæ, non verò ad dexteram, aut ad sinistram è regione imaginum.

N. 21. Ut sincerè ac ingenuè profitear quod sentio, præmittendum est *imaginario ordine* hoc in Canone nihil aliud significari, quàm ordinem seu locum imaginum. Quo sensu *imaginaria pictura* dicitur ab Anastasio in versione secundi Concilii Nicæni, et in libro primo Beati Abbatis adversùs Elipandum *imaginariè*, id est, secundùm imaginem, et alia id genus non pauca. Deindè titulus crucis idem est ac crux ipsa, super altare olim erigi solita. Hoc sensu Monachus Dervensis anonymus in libro de Miraculis sancti Bercharii Abbatis, agens de extremo Hugonis cujusdam artificis morbo, *in titulo crucis*, ait, *qui stabat ad pedes artificis decumbentis, subitò visus est illucescere globus æthereus*, in seculo nostro secundo pag. 856. ubi *titulus crucis* indubiè nihil aliud significat quàm crucem ipsam, quæ ad pedes Fidelium in extremis agentium apponi solet. Denique ex superioribus in memoriam revocandum est, imagines sub prima stirpe Regum nostrorum vix ac ne vix quidem altaribus fuisse appositas, sed parietibus utrimque altari adhærentibus, ubi etiam vasa sacra, et libri ad Missam necessarii in Secretariis asservabantur. His observatis planissimus est præmissi Canonis sensus, nempe ut *corpus Domini* non in Secretariis cum vasis aut libris sacris, adeoque non inter imagines, sed sub cruce ipsa componatur, ita ut è cruce, quæ in summo ciborio.... eminebat, penderet.

N. 22. Non immoror refutandis aliis sententiis. Nam prima imagines illis temporibus super altare positas fuisse supponit contra veterum morem. Secundæ et tertiæ auctores volunt, hoc in Canone *corpore Domini* nihil aliud significari, quàm vel confectionem panis Eucharistici, qui cruce signandus sit : vel compositionem oblationis in altari tempore

sacrificii, etiam ante consecrationem. Quod neutrum stare potest: cùm apud Scriptores Ecclesiasticos *corpus Domini* semper significet Eucharistiam reverà consecratam, non verò panem conficiendum, vel etiam oblatum, ante consecrationem.

N. 23. Quidam existimant hoc Canone caveri, ne Eucharistia in turribus, ut fieri anteà consueverat, et quidem intra armaria, asservaretur, sed potiùs in ipso altari: quales fuisse turres aiunt à Gregorio Turonensi Antistite, et à Venantio Fortunato memoratas. Verùm in illis turribus non ipsum corpus Domini, *sed ministerium Dominici* corporis, ut Gregorius in lib. 1. de gloria Martyrum cap. 86. loquitur, id est, vasa sacra, quemadmodum suprà exposuimus, servabatur. Attamen sanctus Odo Abbas Cluniacensis in lib. 2. Collationum cap. 32. ubi hunc Gregorii locum refert, hoc nomine intelligit *capsam cum corpore Domini.* Sed haud scio an ejus auctoritas decretoria censenda sit in re tam antiqua, quæ ejus ætatem trecentis ampliùs annis præcesserat.

N. 24. Hanc Eucharistiæ cum sacra Cruce in altari compositionem illustrat Paulini Episcopi egregium carmen ad Severum:

Divinum veneranda tegunt altaria fœdus,
Compositisque sacra cum cruce Martyribus.
Cuncta salutiferi coëunt insignia Christi:
Crux, corpus, sanguis Martyris, ipse Deus.

Id est, si benè hunc locum interpretor, crux in summo, corpus et sanguis, id est, reliquiæ Martyris in imo, scilicet subtùs altare; *ipse Deus*, hoc est ipsum Domini corpus in columba appensum in medio. Hic verò loquendi modus, *ipse Deus*, indubitanter asserit veram, non umbraticam Christi in Eucharistia præsentiam, quam eodem ferè modo exprimit Fortunatus in lib. 3. carmine 23. *ad Felicem Bituricensem Episcopum in turrem ejus.*

Quàm benè juncta decent, sacrati ut corporis agni.
Margaritum ingens aurea dona ferant.

N. 26. Cæterùm ex asservata Eucharistia soli communicabant infirmi, non sani, quibus vix unquam extra Missam communio à Sacerdote porrigebatur. Contrarius mos in Ecclesia Jerosolymitana primùm cœpisse videtur ex Humberto Cardinale in responsione contra Græcorum calumnias, in hæc verba: *Ad hæc si quid ex sancta et venerabili Eucharistia in Jerosolymitanis Ecclesiis superfuerit, nec incendunt, nec in foveam mittunt: sed in pyxidem mundam recondunt, et sequenti die communicant ex ea populum, quia quotidie communicant ibi: eò quòd conveniunt illuc ex diversis provinciis Christiani, qui propter fidem et maximum amorem Filii Dei communicare ibi desiderant.* Hæc longè probabilior est ratio, quàm eorum, qui passim id actitant sine delectu contra veterem Ecclesiæ morem. Quo tempore id fieri cœperit in Ecclesia Jerosolymitana, non est explioratum. Sanè antiquissimum esse asservandæ illis in partibus Eucharistiæ morem colliginus ex Cyrillo Episcopo Alexandrino, qui in Epistola ad Calosyrium arguit eos, *qui mysticam benedictionem nihil ad sanctificationem juvari dicebant, si quid ex ea fieret reliqui in alium diem.* Quos insanire ait Cyrillus. *Neque enim alterari Christum, neque sanctum ejus corpus immutari: sed benedictionis vim ac facultatem, et vivificantem gratiam, perpetuam in ipso existere.*

Isaac Habert. *in Pontif. Græc. append. ad observat.* 10. *ad part.* 10. *Liturg. Ordin. in fine.* Observatum proinde apud Græcos, ut consecrata pars aliqua panis, (quæ nunc apud eos pollicis ferè magnitudine crucis in modum funditur, et immisso sanguinis latice exiguo irrigatur) in usum ægrotantium servaretur. Ex ea particulam minutam decerpunt, et vino, vel aquà madefactam ori ægrotantis Viaticum salutare infundunt.

Doctissimus R. P. Jacob. Goar Ord. FF. Prædical. *in notis ad Euchol. Græc. pag.* 153. *n.* 180. Eadem porrò quæ hîc sanis in Ecclesia ad communionem accessuris, ægrotis quoque propriis in domibus Eucharistiam sumpturis proferuntur verba *meta phobou*, etc. Et si quando utrique communicant, velo calicis mento supposito, manu sacerdotis, panem intinctum è *cochleari* suscipiunt; ipsam Eucharistiæ susceptionem Sacerdote suis verbis exprimente, *metalambanei ho doulos tou Theou Petros, kai ta hexes.* Ægrotorum verò præsanctificatum panem nonnisi semel in anno

I. Cur servatur Eucharistia ?

R. 1. Ut possit ad ægrotos, si necessitas urget, horâ qualibet deferri, ex perpetuo Ecclesiæ usu. (F)

2. Ut possint fideles cum majori pietatis sensu ad Ecclesiam convenire Christum adoraturi.

3. Servabant et ferebant olim Episcopi secum sacrosanctam Eucharistiam in itineribus, (qui mos etiamnum Romæ perseverat,) ut servatam particulam sacrificii à se oblati commiscerent cum sacrificio sequenti ante communionem, ut dicemus infrà fusiùs (*Hujusce Part. Sect.* 2 *Cap.* 7. §. 22. *n.* 27.), ubi agemus, datâ operâ, de illo ritu.

I. Cur fit interdùm Expositio solemnis sacrosancti Eucharistiæ sacramenti ?

R. 1. Ut fideles majori studio conveniant in his solemnitatibus ad Ecclesiam Christum adoraturi.

2. In publicis necessitatibus fit illa expositio, ut offeratur Deo Patri tantum pignus suæ erga nos charitatis : ipseque

feriâ quintâ in cœna Domini consecrant, undè et asservatum præconsecratum hunc panem *paracatastheken* ægrotis *sepositum depositumque* Viaticum appellant, et sacro sanguine, velut alia per Quadragesimam consecrata..... intingunt.... et vivo acerræ sacratæ (hodie vulgò *sans division* vocant) sacro disco subjectæ igne cui species panis sanguine tincti religiosè sunt impositæ, cunctum humorem exprimunt : hacque eadem diligentiâ, species panis benè cocti, et ut ipse fatetur Arcudius diutiùs duraturi, per annum integrum ægrotis asservatas, à corruptione custodiunt immunes. At verò deinceps, cùm infirmo in exitûs hora, viatico Eucharistiæ muniendo particulam assumunt, vino communi respergunt, ut sopitæ et exsiccatæ sanguinis species, quasi de novo exsuscitari, et emergere videantur.

(F) S. Just. *Apol.* 1. *circa finem.* Il qui apud nos Diaconi dicuntur, dant unicuique eorum qui adsunt, percipiendum panem, vinum et aquam quæ cum gratiarum actione consecrata sunt, et ad eos qui absunt, perferunt. Atque cibus hic apud nos Eucharistia nominatur.... Iis quæ cum gratiarum actione consecrata sunt unusquisque participat, eademque ad eos qui absunt, Diaconis dantur perferenda.

S. Hieronym. *Epist.* 95. *aliàs* 4. *ad Rusticum de S. Exuperio dicit :* Nihil illo ditius, qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro.

Concil. Nicæn. *Can.* 13. De his qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua regularisque servabitur ; ita ut si quis egreditur è corpore, ultimo et maximè necessario Viatico minimè privetur. Quòd si desperatus, et consecutus communionem, oblationisque particeps factus, iterùm convaluerit, sit inter eos qui communionem orationis tantummodò consequuntur. Generaliter autem omni cuilibet in exitu posito, et poscenti sibi communionis gratiam tribui, Episcopus probabiliter ex oblatione dare debebit.

Concil. Vasens. *anno* 442. *Can.* 2. Pro his qui pœnitentiâ acceptâ, in bonæ vitæ cursu satisfactoriâ compunctione viventes, sine communione inopinato nonnunquam transitu, in agris aut itineribus prævenientur, oblationem recipiendam, et eorum funera, ac deinceps memoriam Ecclesiastico affectu prosequendam ; quia nefas est eorum commemorationes excludi à salutaribus sacris, qui ad eadem sacra fideli affectu contendentes, dum se diutiùs reos statuunt, indignos salutiferis mysteriis judicant, ac dum purgatiores restitui desiderant, absque sacramentorum viatico intercipiuntur : quibus fortasse nec absolutisssimam reconciliationem Sacerdos denegandam putasset.

Vide etiam §. *super. litt.* (F) *Epist.* 57. *alias* 54. S. Cypr. *ad Corn. PP. Et infrà* §. 9. *litt.* (G) *plurima in eamdem rem SS. Patrum testimonia.*

respiciens in faciem Christi sui (*Ps.* LXXXIII. 10.) protegat nos, et miseratur nostri.

I. Cur hoc sacramentum reverenter et honorificè circumfertur in Processionibus per vias et loca publica ?

R. 1. « Ut mortis ejus victoria et triumphus repræsentetur : » Et sic quidem victrix veritas de mendacio et hæresi triumphum agat : ut ejus adversarii in conspectu tanti splendoris et in tantâ universæ Ecclesiæ lætitiâ positi, vel debilitati et fracti tabescant, vel pudore affecti et confusi aliquando resipiscant, ut ait Concilium Tridentinum. (*Sess.* 13. *Cap.* 5.)

2. Ut hoc veluti triumpho reparetur quantum fieri potest quidquid quotidiè peccatur contra reverentiam huic sancto sacramento debitam.

3. Ut benedictionem suam Christus largè effundat in loca singula per quæ circumfertur. (G)

§. 6. De Effectibus sacrosanctæ Eucharistiæ.

I. Cur Christus hoc sacramentum instituit ?

R. 1. Ut discessurus ex hoc mundo ad Patrem, divitias sui erga nos amoris effunderet, daretque hujus amoris pignus, quo nullum aliud pretiosius dari poterat.

2. Ut memoriam faciens mirabilium suorum misericors et miserator Dominus (*Ps.* CX. 4. *et* 5.) daret escam timentibus se, et per hanc spiritualem escam miros in nobis produceret effectus.

3. Ut in hujus spiritualis cibi sumptione mortem ejus annuntiaremus, (1. *Cor.* XI. 26.) donec ipse ad judicandum mundum veniat.

I. Quos in nobis producit effectus sacrosanctæ Eucharistiæ sumptio ?

R. Quinque potissimùm.

1. Arctissimâ nos connexione adstringit Christo, ita ut

(G) *Vide quæ diximus suprà* §. 15. *Cap.* 2. *Sect.* 4. *Part.* 2. *dum* de festo SS. Corporis Christi *ageremus, et quæ Sect.* 2. *hujusce Partis Cap.* 9. de Processionibus *dicentur.*

CONCIL. TRIDENT. *sess.* 13. *cap.* 5. Declarat præterea sancta Synodus, piè et religiosè admodum in Dei Ecclesiam inductum fuisse hunc morem, ut in singulis annis peculiari quodam et festo die præcelsum hoc et venerabile sacramentum singulari veneratione ac solemnitate celebraretur, utque in Processionibus reverenter et honorificè illud per vias et loca publica circumferretur ; æquissimum est enim, sacros aliquos statutos esse dies, cùm Christiani omnes singulari ac rara quadam significatione gratos et memores testentur animos erga communem Dominum et Redemptorem, pro tam ineffabili et plane divino beneficio, quo mortis ejus victoria et triumphus repræsentatur, etc. (*Hebr.* II. 14.) *ut in ipsa Responsione.*

Can. 6. Si quis dixerit, in sancto Eucharistiæ sacramento Christum unigenitum Dei Filium non esse cultu latriæ etiam externo adorandum, atque ideò nec festivâ peculiari celebritate venerandum, neque in Processionibus secundum laudabilem et universalem Ecclesiæ ritum, et consuetudinem solemniter circumgestandum, vel non publicè, ut adoretur, populo proponendum, et ejus adoratores esse idololatras ; anathema sit.

ipse in nobis maneat et nos in ipso (*Joan.* VI. 57. (A) Ex hac Christi in nobis mansione fit, ut unum veluti corpus, unus spiritus efficiamur cum Christo (1. *Cor.* X. 17.), illius sacri corporis et animæ participatione; et hinc quidem reliqui effectus Eucharistiæ manant.

2. Christianos inter se veluti ejusdem corporis membra connectit, *ut idipsum omnes dicamus, nec sint in nobis schismata;* (*Ibid.* I. 10.) imò ut *unum corpus, unus spiritus simus omnes qui de uno pane participamus.* (*Ibid.* X. 17.) (B)

3. Quam accepimus in Baptismo, cæterisve Sacramentis vitam spiritualem gratiâ Dei, hanc Eucharistia conservat, fovet, perficit. Est enim spiritualis animæ cibus, quo alimur et confortamur, viventes vitâ illius qui dixit : (*Joan.* VI. 58.) *Qui manducat me, et ipse vivet propter me.* (C)

4. Hoc velut antidoto cœlesti liberamur à culpis quotidianis, et à peccatis mortalibus præservamur. Minuit enim et debilitat quam habemus ad malum propensionem, concupiscentiam frenat, pravas animi affectiones comprimit, vires addit ad consequendam vitæ Christianæ perfectionem (D).

(A) JOAN. VI. 57. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo. 58. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem : et qui manducat me, et ipse vivet propter me.

(B) S. CYRIL. HIEROSOL. *Catech. myst.* 4. *Vide suprà* §. 4. *hujusce Cap. litt.* (F) *et* S. CYRIL. ALEXAND. *lib.* 4. *in Joan. cap.* VI. *v.* 54. *et lib.* 10. *cap.* 2. *in Joan. cap.* XV. *v.* 1. *ibid.*

S. AUG. *Tract.* 26. *in Joan.* VI. 56. *n.* 17. *Caro enim mea*, inquit, *verè est cibus, et sanguis meus verè est potus.* Cùm enim cibo et potu id appetant homines, ut non esuriant, neque sitiant : hoc veraciter non præstat nisi iste cibus et potus, qui eos à quibus sumitur, immortales et incorruptibiles facit, id est societas ipsa Sanctorum, ubi pax erit et unitas plena atque perfecta. Propterea quippè, sicut etiam ante nos hoc intellexerunt homines Dei, (*S. Cypr. Epist.* 63. *ad Cæcil. et* 76. *ad Magnum.*) Dominus noster Jesus Christus corpus et sanguinem suum in eis rebus commendavit, quæ ad unum aliquid rediguntur ex multis. Namque aliud in unum ex multis granis confit : aliud in unum ex multis acinis confluit. *N.* 18. Denique jam exponit quomodo id fiat quod loquitur, et quid sit manducare corpus ejus, et sanguinem bibere. *Qui manducat carnem meam,* (*Joan.* VI. 57.) *et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo.* Hoc est ergo manducare illam escam, et illum bibere potum, in Christo manere, et illum manentem in se habere. Ac per hoc qui non manet in Christo, et in quo non manet Christus, procul dubio nec manducat spiritaliter carnem ejus, nec bibit ejus sanguinem, licèt carnaliter et visibiliter premat dentibus sacramentum corporis et sanguinis Christi : sed magis tantæ rei sacramentum ad judicium sibi manducat et bibit, quia immundus præsumpsit ad Christi accedere sacramenta.

(C) *Vide* S. CYRIL. ALEXAND. *lib.* 3. *in cap.* VI. *Joan. v.* 11. *suprà Part.* 2. *Sect.* 4. *Cap.* 5. *litt.* (B)

S. AUG. *Tract.* 26. *in Joan. n.* 17. Non potest vivere corpus Christi, nisi de spiritu Christi. Inde est quòd exponens nobis Apostolus Paulus hunc Panem, *unus panis*, inquit, (1. *Cor.* X. 17.) *unum corpus multi sumus.* O sacramentum pietatis, ô signum unitatis, ô vinculum charitatis ! Qui vult vivere, habet ubi vivat, habet undè vivat. Accedat, credat, incorporetur ut vivificetur. Non abhorreat à compage membrorum, non sit putre membrum quod resecari mereatur, non sit distortum de quo erubescatur : sit pulchrum, sit aptum, sit sanum : hæreat corpori, vivat Deo de Deo : nunc laboret in terra, ut posteà regnet in cœlo.

(D) *Vide* S. CYRIL. ALEXAND. *lib.* 4. *in cap.* VI. *Joan. v.* 57. *suprà Part.* 2. *Sect.* 4. *Cap.* 5. *litt.* (B)

5. Tandem hoc sacramentum Christus pignus esse voluit futuræ nostræ gloriæ, æternæ felicitatis et gloriosæ resurrectionis. *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die*, inquit Christus. (*Joan.* VI. 55.)

I. Quotiescunque Eucharistia sumitur, producitne miros illos effectus?

R. Quotiescunque dignè sumitur, eos producit. Si verò sumatur indignè, non hos, sed contrarios prorsùs producit.

I. Quinam dicuntur indignè sumere sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum?

R. Qui sine dispositionibus necessariis ad hoc accedere non verentur.

I. Qui indignè communicant, sumuntne reverâ Christi corpus, non secùs ac cæteri?

R. Sumunt quidem; est enim Christus in sacramento realiter, et substantialiter, idque seclusâ fide communicantis. Sed *qui manducat et bibit indignè* (1. *Cor.* XI. 29.), *judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini.* Quo quidem Apostoli testimonio liquidè demonstrari realem Christi in hoc sacramento præsentiam jam advertimus. (*Paragr.* 4.) (E)

I. Quinam sunt effectus indignæ communionis?

R. Derelictio Dei, cæcitas mentis, obduratio cordis, concupiscentiæ augmentum, spiritus discordiæ, odium virtutis et veritatis, omne peccatorum genus, finalis impœni-

S. BERNARD. *Serm. in cœna Dom. seu de Bapt. et sacram. alt. n.* 3. Lavamur igitur in Baptismo, quia deletur chirographum damnationis nostræ: et hæc gratia nobis confertur, ut jam nihil nobis concupiscentia noceat, si tamen à consensu abstineamus: atque ita tanquam sanies inveterati ulceris removeatur, dum tollitur damnatio, et responsum mortis, quod priùs indè manabat. Sed quis poterit tam efferos motus frangere? quis pruritum ulceris hujus ferre queat? Confidite, quia et in hoc gratia subvenit, et ut securi sitis, sacramentum Dominici corporis et sanguinis pretiosi investituram habetis. Duo enim illud sacramentum operatur in nobis: ut videlicet et sensum minuat in minimis, et in gravioribus peccatis tollat omninò consensum. Si quis vestrûm non tam sæpemodò, non tam acerbos sentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ, aut cæterorum hujusmodi; gratias agat corpori et sanguini, quoniam virtus sacramenti operatur in eo; et gaudeat quòd pessimum ulcus accedat ad sanitatem.

(E) S. AUG. *in Joan. tract.* 26. *n.* 11. Nam et nos hodie accipimus visibilem cibum: sed aliud est sacramentum, aliud virtus sacramenti. Quàm multi de altari accipiunt et moriuntur, et accipiendo moriuntur? Undè dicit Apostolus, (1. *Cor.* XI. 29.) *judicium sibi manducat, et bibit.* Non enim buccella Dominica venenum fuit Judæ: et tamen accepit, et cùm accepit in eum inimicus intravit (*Joan.* XIII. 27.): non quia malum accepit, sed quia bonum malè malus accepit. Videte ergo, Fratres, panem cœlestem spiritualiter manducate, innocentiam ad altare apportate. Peccata et si sunt quotidiana, vel non sint mortifera. Antequam ad altare accedatis, attendite quid dicatis: (*Matth.* VI. 12. *etc.*) *dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Dimittis, dimittetur tibi: securus accede, panis est, non venenum. Sed vide si dimittis: nam si non dimittis, mentiris, et ei mentiris, quem non fallis. Mentiri Deo potes, Deum fallere non potes. Novit ille quid agat. Intùs te videt, intùs te examinat, intùs inspicit, intùs judicat, intùs aut damnat aut coronat.

tentia, et tandem æterna damnatio. Nihil est quod Deum offendat magis quàm sacrilega profanatio corporis et sanguinis Domini. (F) *Ideò*, inquit Apostolus, *multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi.* (G)

(F) TERTULL. *lib. de Idolol. cap.* 7. Tota die ad hanc partem zelus fidei perorabit, ingemens Christianum ab idolis in Ecclesiam venire : de adversarii officina in domum Dei : attollere ad Deum patrem manus matres implorum : his manibus adorare, quæ foris adversus Deum adorantur : his manus admovere corpori Domini, quæ dæmonis corpora conferunt. Nec hoc sufficit. Parum sit, si ab aliis manibus accipiant quod contaminant, sed etiam ipsi tradunt aliis quod contaminaverunt. Adleguntur in ordinem Ecclesiasticum artifices idolorum. Pro scelus semel Judæi Christo manus intulerunt, isti quotidie corpus ejus lacessunt. O manus præcidendæ ! Viderint jam, an per similitudinem dictum sit, (*Matth.* v. 30.) *si te manus tua scandalizat, amputa eam.* Quæ magis amputandæ, quàm in quibus Domini corpus scandalizatur ?

S. CYPR. *de lapsis. vide* §. 4. *hujusce Capit. litt.* (F)

S. JOAN. CHRYSOST. *Homil.* 85. *in Matth.* Cedamus itaque ubique Deo, nec repugnemus ei, etiamsi sensui et cogitationi nostræ absurdum esse videatur quod dicit : superet et sensum, et rationem nostram sermo ipsius ; quod in omnibus et præcipuè in mysteriis faciamus, non illa quæ ante nos jacent solummodò aspicientes, sed verba quoque ejus tenentes. Nam verbis ejus defraudari non possumus, sensus verò noster deceptu facillimus est : illa falsa esse non possunt, hic sæpiùs atque sæpiùs fallitur. Quoniam ergo ille dixit : (*Matth.* XXVI. 26.) *Hoc est corpus meum*, nullà teneamur ambiguitate, sed credamus, et oculis intellectùs id perspiciamus. Nihil enim sensibus traditum nobis à Christo, sed rebus sensibilibus : omnia verò quæ tradidit insensibilia sunt. Sic et in Baptismo per aquam, quæ res sensibilis est, donum illud conceditur : quod autem in eâ conficitur, regeneratio scilicet ac renovatio, intelligibile quiddam est : nam si tu incorporeus esses, nudè ipsa dona incorporea tradidisset tibi : quoniam verò corpori conjuncta est anima tua, in sensibilibus intelligenda tibi traduntur. O quot modò dicunt, Vellem formam et speciem ejus, vellem vestimenta ipsa, vellem calceamenta videre. Ipsum igitur vides, ipsum tangis, ipsum comedis : vestimenta ejus desideras videre, ipse verò seipsum tibi tradidit, non ut videas solùm, verùm etiam ut tangas, et in te habeas. Nemo igitur nauseans accedat... Vigilandum igitur est : non enim parvum supplicium indignè communicantes exspectat. Cogita quantà indignatione adversùs proditorem, adversùs eos qui crucifixerunt ipsum movearis : et cave ne tu quoque corporis et sanguinis Christi reus efficiaris. Illi acerbissimè trucidarunt, tu post tot tantaque beneficia sordidè suscipis omnia... illud enim pessimum est, sicut Paulus ait (*Hebr.* x. 29.) Christum conculcare, et testamenti sanguinem ducere communem, et Spiritùs gratiam contemnere. Multò igitur dæmoniaco pejor est, qui peccati sibi conscius accedit : illi enim quoniam dæmone vexantur, non puniuntur : qui verò indignè adeunt, æternis tradentur tormentis.

Homil. 24. *in Epist.* 1. *ad Corinth. cap.* x. *Vide hocce Capite* §. 4. *litt.* (F)

S. PACIANUS Barcil. Episc. *in Parænesi ad Pœnitent. Biblioth. Patrum tom.* IV. *circa med.* Vos ergo primùm appello, fratres, qui criminibus admissis pœnitentiam recusatis : vos, inquam, post impudentiam timidos, post peccata verecundos : qui peccare non erubescitis, et erubescitis confiteri : qui cum mala conscientia Dei sancta contingitis, et altare Domini non timetis : qui ad manus Sacerdotis, qui in conspectu Angelorum sub fiducia innocentiæ acceditis : qui divinæ patientiæ insultatis : qui tacenti Deo, veluti nescienti, pollutam animam et profanum corpus ingeritis. Audite, quid fecerit Dominus : tum deindè, quid dixerit, cùm populus Hebræorum, Hierosolymis Arcam Domini reportaret, et ex domo Aminadab Israëlitis, (2. *Reg.* VI. 6. *et seq.*) Ozas, qui, non explorata conscientia, latus Arcæ attigerat, occisus est : et tamen ille, non ut aliquid ex ea sumeret, sed ut declinantem ad lapsum vituli contineret, accesserat. Tanta enim fuit cura divinæ reverentiæ, ut audaces manus,

nec ob anxilium sustineret. Clamat idem Dominus et dicit : (*Levit.* VIII. 19. *et* 20.) *Omnis mundus manducabit carnem, et anima quæcunque contingerit de carne sacrificii salutaris, et immunditia super illa est, pereat anima illa de populo.* Antiquane ista sunt, et modò non fiunt ? Quid ergo ? desiit Deus nostra curare ? an ultra conspectum mundi recessit, et neminem spectat è cœlo ? an patientia illius, ignorantia est ? Absit, inquies. Videt ergo quæ facimus, sed utique exspectat et patitur, et pœnitentiæ tempus indulget, et Christo suo præstat ut differat, ne citò pereant quos redemit. Benè, tu peccator, intellige : spectaris à Domino, potes illum placare si velis. Sed antiquum sit istud quòd ad mensam Dei accedere non licuit immundus : evolvite Apostolos, et novella cognoscite.... In prima Corinth. (XI. 27.) Paulus hæc intulit : *Quicunque*, inquit, *manducaverit, aut biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis et sanguinis Domini :* item infrà : (*Ibid.* 29. *et seq.*) *qui manducat et bibit indignè, judicium sibi manducat et bibit*, non *discernens corpus Domini : propterea*, inquit, *inter vos multi infirmi et ægri, et dormiunt multi : quòd si nosipsos judicaremus, non utique judicaremur : cùm judicamur autem, à Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.* Intremuistis, an non ? *Reus erit*, inquit, *corporis et sanguinis Domini.* Humanæ animæ reus non posset absolvi : Dominici corporis violator evadet ? *Qui manducat*, inquit, *et bibit indignè, judicium sibi manducat et bibit.* Exigila peccator : time in visceribus tuis præsens judicium, si quid tale fecisti. *Propterea*, inquit (*Ibid.* 30.), *inter vos multi infirmi et ægri, et dormiunt multi.* Jam si quis futura non metuit, vel præsentem ægritudinem præsentemque obitum reformidet. *Cùm judicamur*, inquit, (*Ibid.* 32.) *à Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.* Lætare, peccator, si in hoc seculo aut morte interciperis, aut languore consumeris, ne puniaris post seculum. Intellige quantum sceleris admittat qui ad altare venit indignus ; cui pro remedio computatur, cùm aut morbis laborat, aut morte dissolvitur.

S. BASIL. *de baptism. lib.* 2. *Quæst.* 3. *An tutum sit, si quis non repurgatus ab omni inquinamento carnis et spiritûs edat corpus Domini, et bibat sanguinem ejus ? Responsio.* Gravissimum supplicium in lege Deus adversùm eos decrevit, qui cùm sint immundi, sancta contingere non verentur : typicè namque illis quidem, nobis verò admonitionis gratiâ, scriptum est ad hunc modum : (*Levit.* XXII. 2. 3.) *Et locutus est Dominus ad Moïsen dicens : Dic Aaroni et filiis ejus, ut attendant à sanctis filiorum Israël, et non profanabunt nomen sanctum meum, quæcunque illi mihi sanctificant. Ego Dominus. Dic illis, in generationibus ipsorum : Quisquis hominum ab omni vestro semine, ad sancta, quæcunque filii Israël Domino sanctificant, in immunditia sua constitutus accedit, exterminabitur anima illius à facie mea. Ego Dominus.* Si tales minæ adversùm eos positæ sunt, qui temerè ad ea sacra accedunt, quæ ab hominibus sanctificatur, quid dicendum est de eo, qui in tantum ac tale mysterium temerarius est ? Quantò enim majus aliquid hic est templo, secundùm Domini vocem, tantò gravius et terribilius est in animæ impuritate constitutum corpus Christi temerè contingere, quàm sit accedere ad arietes vel tauros, dicente Apostolo : (1. *Cor.* XI. 27.) Itaque *qui edit panem aut bibit poculum Domini indignè, reus erit corporis et sanguinis Domini*, imò vehementius ac terribilius judicium per repetitionem exprimente cùm dicit : (*Ibid.* 28. *et* 29.) *Probet autem quisque seipsum, et sic de pane hoc edat et de poculo bibat. Qui namque manducat ac bibit indignè, judicium sibi ipsi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini.* Quòd si in immunditia tantùm constitutus (immunditiæ verò proprietatem typicè ex lege discimus) tam terribile judicium habet, quantò magis, qui cùm in peccato sit, corpus Domini contingere audet, gravius sibi accersit judicium ? Mundemus itaque nos ab omni inquinamento : (Differentia verò inquinamenti et immunditiæ, sapientibus est manifesta) atque ita ad sancta accedamus, ut judicium eorum qui Dominum occiderunt effugiamus : propterea quod *Quisquis ederit panem et biberit poculum Domini indignè, reus erit corporis ac sanguinis Domini.* Habebimus autem vitam æternam, sicut promisit qui mentiri nequit, Dominus ac Deus noster Jesus Christus, (*Joan.* VI. 50. *et seq.*) si edentes ac bibentes memores fuerimus ejus qui pro nobis est mortuus, et sententiam Apostoli servaverimus dicentis : (1. *Cor.* V. 14. 15.) *Dilectio*

§. 7. De Præparatione adhibendâ, ut dignè quis sacram Eucharistiam percipiat.

I. Ex iis, quæ mox à te dicta sunt, constat, diligentissimè cavendum esse viro christiano, ne absque magna reverentia et sanctitate ad Sacramentum hoc accedat : jam ergo dic, quæso, quænam debeat esse prævia præparatio in homine communicante, ut sacramentum hoc dignè suscipiatur ?

R. Duplex debet esse præparatio ; alia ad animam, alia ad corpus spectat.

I. In quo posita esse debet animæ præparatio ?

R. Ut qui ad Sacramentum hoc accedit puram habeat animam ab omni peccati mortalis macula ; debet ergo Baptismalem innocentiam vel conservasse, vel reparasse per pœnitentiam. Hæc est illa vestis nuptialis, sine qua nefas accedere ad convivium nuptiale filii Regis. (A)

namque Dei nos constringit, judicantes hoc, quòd si unus pro omnibus mortuus est, omnes itaque mortuos esse. Et pro omnibus mortuum esse, ut qui vivant, jam non amplius sibi ipsis vivant, sed ei, qui pro nobis est mortuus ac resurrexit, quod et in Baptismate professi sumus ac polliciti.

(G) S. Cyprianus *lib. de lapsis.* Præsente ac teste me ipso accipite quid evenerit. Parentes fortè fugientes dum trepidi minùs suis consulunt, sub nutricis alimento parvulam filiam reliquerunt, relictam nutrix detulit ad Magistratus. Illi ei apud Idolum quò populus confluebat, quòd carnem necdum posset edere per ætatem, panem mero mixtum, quod tamen et ipsum de immolatione pereuntium supererat, tradiderunt. Recepit filiam post modum mater. Sed facinus puella commissum tam loqui et indicare non potuit, quàm nec intelligere priùs potuit, nec arcere. Ignoratione igitur obreptum est, ut, sacrificantibus nobis eam secum mater inferret. Sed enim puella mixta cum sanctis, precis nostræ et orationis impatiens, nunc ploratu conculi, nunc mentis æstu cœpit fluctuabunda jactari, et velut tortore cogente, quibus poterat indiciis conscientiam facti in simplicibus adhuc annis rudis anima fatebatur. Ubi verò solemnibus adimpletis calicem Diaconus offerre præsentibus cœpit, et accipientibus cæteris locus ejus advenit ; faciem suam parvula instinctu divinæ majestatis avertere, os labiis obturantibus premere, calicem recusare. Perstitit tamen Diaconus, et reluctanti licèt, de Sacramento calicis infudit. Tunc sequitur singultus et vomitus : in corpore atque ore violato Eucharistia permanere non potuit. Sanctificatus in Domini sanguine potus, de pollutis visceribus erupit ; tanta est potestas Domini, tanta majestas.... Hoc circa infantem, quæ ad eloquendum alienum circa se crimen necdum habuit ætatem. At verò ea, quæ ætate provecta, et in annis adultioribus constituta sacrificantibus nobis latenter obrepsit, non cibum, sed gladium sibi sumens, et velut quædam venena lethalia inter fauces et pectus admittens, angi et animâ exæstuante concludi postmodum cœpit : et pressuram non jam persecutionis, sed delicti sui passa, palpitans, et tremens concidit. Impunitum diu non fuit nec occultum dissimulatæ conscientiæ crimen, quæ fefellerat hominem, Deum sensit ultorem.... Alius qui et ipse maculatus, sacrificio à sacerdote celebrato, partem cum cæteris ausus est latenter accipere : sanctum Domini edere, et contrectare non potuit ; cinerem ferre se apertis manibus invenit. Documento unius ostensum est, Dominum recedere, cùm negatur ; nec immerentibus ad salutem prodesse quod sumitur, quando gratia salutaris in cinerem, sanctitate fugiente mutetur... Unusquisque consideret, non quid alius passus sit, sed quid pati et ipse meretur : nec evasisse se credat, si eum interim pœna distulerit, cùm timere plus debeat, quem sibi Dei judicis censura servavit.

(A) Matth. xxii. 11. Intravit autem Rex ut videret discumbentes, et vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali. 12. Et ait illi : Amice,

I. Si quis fortè peccati mortalis sibi conscius sit, quid ipsi facto opus antequam accedat ad communionem ?

R. Cavendum maximè ne is, quantumvis contritus sibi videatur, accedere præsumat ad sacram Communionem, nisi prævià Confessione sacramentali, et suscepto ritè sacramento Pœnitentiæ. (B)

quomodo hùc intrasti non habens vestem nuptialem ? At ille obmutuit. 13. Tunc dixit rex ministris : Ligatis manibus et pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores : ibi erit fletus et stridor dentium.

S. JUSTINUS, *Apol.* 1. *vide suprà* §. 4. *hujusce Capitis litt.* (F)

TERTULL. *Lib. de Idolol. c.* 7. *Vide* §. *super. litt.* (F)

S. CYPRIANUS *lib. de lapsis. Vide quæ ex eo lib. excripsimus hujusce Capitis* §. 4. *litt.* (F) *et* §. 6. *litt.* (G) *et quæ adducemus infrà hocce* §. *litt.* (G) *et Capite seq.* §. 3, 10. *et alibi.*

S. JOAN. CHRYSOST. *Homil.* 3. *in Epist. ad Ephes. in moral.* Neque enim cum tali corpore ad nuptias ingredi sustinet Christus. Si sordidis vestibus indutum abegit (*Matth.* XXII. 12.), ejecitque qui corpori suo sordidum amictum imposuerat, quid hic non faciet ? quomodo non puniet ? Multos video temerè quomodocunque, et ex consuetudine magis quàm legitimè. aut consideratione ac mente, de corpore Christi participantes.... Cogita : qui de oblatione veteris testamenti participabant, quantâ, quæso, utebantur abstinentiâ ? quid non agebant ? quid non faciebant ? Omninò purgabantur.... Et quomodo comparebis ante tribunal Christi, qui manibus ac labiis immundis ipsius audes contingere corpus ? Et regem quidem nolles ore tuo fetido adosculari, regem verò cœli, animâ graveolenti oscularis ? Contumelia est res ista. Oro te, an voles manibus illotis ad oblationem accedere ? Non arbitror, sed malles utique potiùs omninò non accedere, quàm sordidis accedere manibus. Cùm ergo in modico adeò sis religiosus, audes accedere et contrectare, cùm animam habeas sordidam ?

S. AMBROS. *Lib.* 6. *in Lucam, n.* 70. *et* 71. *Vide suprà hujusce Cap.* §. 4. *litt.* (F)

CONCIL. TRID. *Sess.* 13. *can.* 11. Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum sanctissimæ Eucharistiæ sacramentum, anathema sit. Et, ne tantum sacramentum indignè, atque ideò in mortem et condemnationem sumatur ; statuit atque declarat ipsa sancta synodus illis quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcunque etiam se contritos existiment, habità copià Confessoris, necessariò præmittendam esse Confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, sed etiam publicè disputando, defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat.

(B) S. AUGUS. *Tract.* 26. *in Joan. n.* 1. Credere enim in eum, hoc est manducare panem vivum. Qui credit, manducat ; invisibiliter saginatur, quia invisibiliter renascitur. Infans intùs est, novus intùs est : ubi novellatur, ibi satiatur.

N. 3. Non enim ad Christum ambulando currimus, sed credendo : nec motu corporis, sed voluntate cordis accedimus. Ideò illa mulier quæ fimbriam tetigit (*Matth.* IX. 20. *Luc.* VIII. 44. *et seq.*), magis tetigit quàm turba quæ pressit.... illa tangit, turba premit. Quid est tetigit, nisi credidit.....

N. 11. Nam et nos hodie accipimus visibilem cibum : sed aliud est sacramentum, aliud virtus sacramenti. Quàm multi de altari accipiunt et moriuntur, et accipiendo moriuntur ? Unde dicit Apostolus : (1. *Cor.* XI. 29.) *Judicium sibi manducat et bibit.* Non enim buccella Dominica venenum fuit Judæ. Et tamen accepit, et cùm accepit, in eum inimicus intravit, non quia malum accepit, sed quia bonum malè malus accepit. Videte ergo, Fratres, panem cœlestem spiritualiter manducate, innocentiam ad altare apportate. Peccata et si sunt quotidiana, vel non sint mortifera. Antequam ad altare accedatis, attendite quid dicatis : (*Matth.* VI. 22.) *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Dimittis, dimittetur tibi : securus accede, panis est, non venenum. Sed

I. Sufficitne lapsis in peccatum mortale, si Sacramentum Pœnitentiæ rite suscipiant ante Communionem ?

R. Sufficit quidem, si Sacramentum Pœnitentiæ rite suscipiatur ; hoc est, si quis verè absolutus à peccatis sit coram Deo. Sed vide ne de isthâc absolutione temerè tibi blandiaris. Sæpiùs enim usu venit susceptâ absolutione sacramentali, remanere semper eumdem peccati reatum, quia absolutio temerè concessa est : nec solvitur in cœlis, quod in terris Sacerdos solvit. (C)

vide si dimittis : nam si non dimittis, mentiris, et ei mentiris, quem non fallis. Mentiri Deo potes, Deum fallere non potes. Novit ille quid agat. Intùs te videt, intùs te examinat, intùs inspicit, intùs judicat, intùs aut damnat, aut coronat.

Serm. 351. *de pœnit. aliàs* 50. *ex homil.* 50. *n.* 5. Quàm multa sunt alia peccata,... quæ quamvis singula non lethali vulnere ferire sentiantur, sicuti homicidium et adulterium, vel cætera hujusmodi ; tamen omnia simul congregata velut scabies, quò plura sunt necant, aut nostrum decus ita exterminant, ut ab illius sponsi speciosi formâ præ filiis hominum (*Ps.* XLIV. 3.) castissimis amplexibus separent, nisi medicamento quotidiano pœnitentiæ desiccentur.

N. 7. Tertia actio est pœnitentiæ, quæ pro illis peccatis subeunda est, quæ legis Decalogus continet ; et de quibus Apostolus ait : (*Galat.* V. 21.) *quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* In hac ergo pœnitentia, majorem quisque in se severitatem debet exercere ; ut à seipso judicatus, non judicetur à Domino.... (I. *Cor.* XI. 31.) Ascendat itaque homo adversùs se tribunal mentis suæ :.... constituat se ante faciem suam ;.... atque ita constituto in corde judicio, adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor. Inde quidam sanguis animi confitentis per lacrymas profluat. Postremò ab ipsa mente talis sententia proferatur, ut se indignum homo judicet participatione corporis et sanguinis Domini : ut qui separari à regno cœlorum timet per ultimam sententiam summi Judicis, per Ecclesiasticam disciplinam à sacramento cœlestis panis interim separetur. Versetur ante oculos imago futuri judicii ; ut cùm alii accedunt ad altare Dei, quò ipse non accedit, cogitet quàm sit contremiscenda illa pœna, quâ percipientibus aliis vitam æternam, alii in mortem præcipiantur æternam.... Quomodo ergo in interiora veli, et in illa invisibilia Sancta Sanctorum intrare audebit aut poterit, qui medicinam cœlestis disciplinæ contemnens, noluit paulisper à visibilibus separari ? Qui enim noluit humiliari, ut exaltaretur ; cùm exaltari voluerit, dejicietur : et in æternum sejungetur ab æternis sanctis, quisquis hoc tempore per merita obedientiæ et per satisfactionem pœnitentiæ non sibi providit locum in corpore Sacerdotis.

N. 10. Nemo arbitretur, fratres, propterea se consilium salutiferæ hujus pœnitentiæ debere contemnere, quia multos fortè advertit et novit ad sacramenta altaris accedere, quorum talia crimina non ignorat. Multi enim corriguntur, ut Petrus ; multi tolerantur, ut Judas ; multi nesciuntur, *donec veniat Dominus*, (1. *Cor.* IV. 5.) *qui illuminet abscondita tenebrarum, et manifestet cogitationes cordis.*

Epist. 54. *aliàs* 118. *ad Januar. n.* 4. Si tanta est plaga peccati atque impetus morbi, ut medicamenta talia differenda sint ; auctoritate Antistitis debet quisque ab altario removeri ad agendam pœnitentiam, et eâdem auctoritate reconciliari. Hoc est enim indignè accipere, si eo tempore accipiat, quo debet agere pœnitentiam, non ut arbitrio suo, cùm libet, vel auferat se communioni, vel reddat.

CONCIL. TRID. *Sess.* 13. *cap.* 7. Communicare volenti revocandum est in memoriam ejus præceptum : (1. *Cor.* XI. 28.) *probet seipsum homo*, Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat.

(C) S. AUG. *Serm.* 351. *de pœnit. aliàs* 50. *ex homil.* 50. *n.* 9. Judicet ergo

scipsum homo in istis voluntate, dum potest, et mores convertat in melius : ne cùm jam non poterit, etiam præter voluntatem à Domino judicetur. Et cùm ipse in se protulit severissimæ medicinæ, sed tamen medicinæ sententiam, veniat ad Antistites, per quos illi in Ecclesia claves ministrantur : et tanquam bonus jam incipiens esse filius, maternorum membrorum ordine custodito, à Præpositis sacramentorum accipiat satisfactionis suæ modum ; ut in offerendo sacrificio cordis contribulati devotus et supplex, id tamen agat quod non solùm ipsi prosit ad recipiendam salutem, sed etiam cæteris ad exemplum. Ut si peccatum ejus, non solùm in gravi ejus malo, sed etiam in tanto scandalo aliorum est, atque hoc expedire utilitati Ecclesiæ videtur Antistiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere pœnitentiam non recuset, non resistat, non lethali et mortiferæ plagæ per pudorem addat tumorem. Meminerit semper, quod *superbis Deus resistit*, (*Jacob.* IV. 6.) *humilibus autem dat gratiam.*

S. CYPRIAN. *De Lapsis.* Emersit novum genus cladis ; et quasi parùm persecutionis procella sævierit, accessit ad cumulum sub misericordiæ titulo malum fallens, et blanda pernicies. Contra Evangelii vigorem, contra Domini ac Dei legem temeritate quorumdam laxatur incautis communicatio : irrita et falsa pax, periculosa dantibus, et nihil accipientibus profutura. Non quærunt sanitatis patientiam, nec veram de satisfactione medicinam. Pœnitentia de peccatoribus excussa est, gravissimi extremique delicti memoria sublata est. Operiuntur morientium vulnera, et plaga lethalis altis et profundis visceribus infixa, dissimulato dolore contegitur.... Ante expiata delicta, ante exomologesin factam criminis, ante purgatam conscientiam sacrificio et manu Sacerdotis, ante offensam placatam indignantis Domini et minantis : pacem putant esse, quam quidam verbis fallacibus venditant. Non est pax illa, sed bellum : nec Ecclesiæ jungitur, qui ab Evangelio separatur. Quid injuriam beneficium vocant ? quid impietatem vocabulo pietatis appellant ? quid eis qui flere jugiter et rogare Dominum suum debent, interceptâ pœnitentiæ lamentatione communicare se simulant ? Hoc sunt ejusmodi lapsis ; quod grando frugibus ; quod turbidum sidus arboribus ; quod armentis pestilens vastitas ; quod navigiis sæva tempestas. Solatium æternæ spei adimunt, arborem à radice subvertunt ; sermone morbido ad lethale contagium serpunt ; navem scopulis, ne in portum perveniat, illidunt. Non concedit pacem facilitas ista, sed tollit ; nec communicationem tribuit, sed impedit ad salutem. Persecutio est hæc alia, et alia tentatio, per quam subtilis inimicus impugnandis adhuc lapsis occultà populatione grassatur ; ut lamentatio conquiescat, ut dolor sileat, ut delicti memoria evanescat, ut comprimatur pectorum gemitus, statuatur fletus oculorum ; nec Dominum graviter offensum longâ et plenâ pœnitentiâ deprecetur ; cùm scriptum sit : (*Apoc.* II. 5. *Memento undè cecideris, et age pœnitentiam.* Nemo se fallat, nemo se decipiat. Solus Dominus misereri potest : veniam peccatis, quæ in ipsum commissa sunt, solus potest ille largiri, qui peccata nostra portavit, (*Isai.* LIII. 4. *et seq.*) qui pro nobis doluit, quem Deus tradidit pro peccatis nostris. (*Rom.* IV. 25.) Homo Deo esse non potest major : nec remittere aut donare indulgentiâ suâ servus potest, quod in dominum delicto graviore commissum est ; ne adhuc lapso et hoc accedat ad crimen, si nesciat esse prædictum : (*Jer.* XVII. 5.) *Maledictus homo qui spem habet in homine.* Dominus orandus est, Dominus nostrâ satisfactione placandus est ; qui negantem negare se dixit, (*Matth.* X. 33. *Luc.* XII. 9. *Joan.* V. 22.) qui omne judicium de Patre solus accepit.... Alta et erecta cervix, nec quia cecidit, inflexa est. Tumens animus et superbus, nec quia victus est, fractus est. Jacens stantibus, et integris vulneratus minatur : et quòd non statim Domini corpus iniquitatis manibus accipiat, auctore polluto Domini sanguinem bibat, Sacerdotibus sacrilegus irascetur. Atque ò tuam nimiam furiosè dementiam ! irasceris ei, qui abs te avertere iram Dei nititur ; ei minaris, qui pro te Domini misericordiam deprecatur ; qui vulnus tuum sentit, quod ipse non sentis ; qui pro te lacrymas fundit, quas forsitan ipse non fundis. Oneras adhuc crimen et cumulas : et cùm sis ipse implacabilis, irasceris ad Antistites et Sacerdotes Dei, putas

Huic incommodo ut occurratur, 1° Summâ diligentiâ quærendus et deligendus est Confessarius peritus, et in animarum regimine versatissimus ; cujus consiliis et monitis summâ fide parendum : nec priùs accedendum ad sacram Communionem quàm ipse consuluerit. 2. Sedulò addiscendum et faciendum quidquid pertinet ad sacramenti Pœnitentiæ ritè suscipiendi rationem : quod quidem infrà fusè docebimus, Capite sequenti.

I. Quâ mente affectos interiùs esse decet eos qui ad sacram Communionem actu accedunt ?

R. Ad sacram mensam accessuris debet inesse fides viva, spes firma, charitas ardens, intimus humilitatis sensus, animus erga Christum tanti beneficii intuitu gratissimus; maxima tandem hujus spiritualis cibi appetentia. (D)

circa te Dominum posse placari ? Accipe potiùs et admitte quæ loquimur : quid surdæ aures salutaria præcepta non audiunt, quæ monemus ? Quid cæci oculi pœnitentiæ iter non vident, quod ostendimus ? Quid perculsa et alienata mens remedia vitalia non percipit, quæ de Scripturis cœlestibus, et discimus, et docemus ?

S. PACIANUS Barcin. Episc. *Paræn. ad Pœnit. paulò post med. Tom. 4. Biblioth. PP. pag.* 245. Quid facies tu : propter quem omnis massa corrumpitur : (1. *Cor.* v. 6.) propter quem laboratura est tota fraternitas ? Vives tot animarum reus ? Excusaberis cùm tibi communionem suam imputaverint innocentes, cùm te Ecclesia dixerit suæ cladis auctorem ? Ecce ilerùm Apostolus ad Sacerdotem : (1. *Tim.* v. 22.) *manus citò nulli imposnas, nec communices peccatis alienis.* Quid facies tu qui decipis Sacerdotem ? Qui autem ignorantem fallis, aut non ad plenum scientem probandi difficultate confundis ? Rogo ergo vos, fratres : et jam pro periculo meo, per illum Dominum quem occulta non fallunt, desinite vulneratam legere conscientiam.... Nunc ad eos sermo sit, qui benè ac sapienter vulnera sua, pœnitentiæ nomine, confitentes : nec quid sit pœnitentia, nec quæ vulnerum medicina, noverunt : similemque sunt illis qui plagas quidem aperiunt ac tumores, medicisque etiam adsidentibus confitentur : sed admoniti, quæ imponenda sunt, negligunt ; et quæ bibenda, fastidiunt. Quod tale est ac si dicat aliquis : Ecce ego vulneratus sum : sed nolo curari stomachum. In hoc errat, sed videte quid stultius. Additur etiam morbus ad causam, et vulnus adjungitur, et contraria quæque imponuntur, perniciosa potantur. Quo maximè malo fraternitas hæc laborat, delictis veteribus nova insuper adjungendo peccata. Ergo gravius erupit in vitium, et perniciosissimâ jam tabe cruciatur. Quid ergo faciam nunc Sacerdos, qui curare compellor ? Serum est in ejusmodi ; verumtamen si quis est vestrûm qui secari et exuri sustineat, adhuc possum. Ecce scalpellum propheticum : *Convertimini*, inquit, (*Joël.* II. 12.) *ad Dominum Deum vestrum, simulque jejunio, et fletu, et planctu ; et scindite corda vestra.*

(D) S. AUG. *Enarr.* 2. *in Psal.* 33. *n.* 5. Esto mansuetus, et porta Dominum tuum : noli in te velle laudari, sed laudetur ille qui super te sedet, et dices : (*Ps.* XXXIII. 3.) *In Domino laudabitur anima mea ; audiant mansueti, et lætentur.*

V. 9. Noli aliquid à Domino extra quærere, sed ipsum Dominum quære, et exaudiet te, et adhuc te loquente dicet (*Isai.* LVIII. 9.) : *Ecce adsum.* Quid est, *ecce adsum ?* Ecce præsens sum, quid vis ? quid à me quæris ? quidquid tibi dedero, vilius est quàm ego : me ipsum habe, fruere, me amplectere : nondum potes totus ; ex fide contingе me, et inhærebis mihi.

V. 10. Accedamus ad eum, et illuminemur : (*Ps.* XXXIII. 6.) non quomodo ad eum accesserunt Judæi, ut tenebrarentur. Accesserunt enim ad illum, ut crucifigerent : nos ad eum accedamus, ut corpus et sanguinem ejus accipiamus. Illi de crucifixo tenebrati sunt : nos manducando crucifixum et bibendo illuminamur. *Accedite ad eum, et illumi-*

I. Quænam est præparatio corporalis necessaria ad sacramentum hoc ritè suscipiendum?

R. Jejunium, in eo positum ut ad Communionem accessurus, hàc ipsà die nihil cibi potùsve à mediâ nocte sumpserit, ne minimam quidem aquæ guttulam. Excipe tamen infirmos, qui sacro viatico reficiuntur: ii enim, ubi necessitas urget, possunt sacram communionem quàlibet horà pro viatico sumere, etiam non jejuni. (E)

I. Christus Eucharistiam instituit post cœnam: cur ergo hoc exemplo non sumitur sacra communio post cœnam?

R. Olim Feriâ quintâ majoris Hebdomadæ, quâ die celebratur Sacrosanctæ Eucharistiæ institutio, in memoriam hujus institutionis, offerebatur Sacrificium, et sumebatur sacra Communio post cœnam, à non jejunis: sed jam pridem usus ille abrogatus est. Hàc unà die ferè exceptà, non

namini (*Ibid.*), ecce gentibus dicitur.... Unde accedunt Gentes? Fide sectando, corde inhiando, charitate currendo. Pedes tui, charitas tua est. Duos pedes habeto, noli esse claudus. Qui sunt duo pedes? Duo præcepta dilectionis, Dei et proximi. Istis pedibus curre ad Deum, accede ad illum, quia et ut curreres ipse hortatus est.

N. 11. Sed dicit aliquis: Quomodo ad eum accedo? tantis malis, tantis peccatis oneratus sum, tanta scelera clamant de conscientia mea, quomodo audeo accedere ad Deum? Quomodo? Si humiliaveris te per pœnitentiam. Sed erubesco, ais, pœnitentiam agere. Accede ergo ad eum, et illuminaberis, et vulnus tuus non erubescet;.... inops clama, et exaudit Dominus. Et quomodo clamabo inops? Ut et si habes aliquid, non indè præsumas de viribus tuis: ut intelligas te indigentem, ut intelligas te tandiù esse pauperem, quandiù non habes illum qui facit te divitem.

Tract. 25. *in Joann. n.* 12. Ut quid paras dentes et ventrem? Crede, et manducasti.... Christus.... noluit discernere ab opere fidem, sed ipsam fidem dixit esse opus. Ipsa est enim fides quæ per dilectionem operatur. Nec dixit, (*Joan.* VI. 25.) Hoc est opus vestrum, sed, *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille:* ut *qui gloriatur*, (1. *Cor.* I. 31.) *in Domino glorietur.*

N. 16. Caput omnium morborum superbia est, quia caput omnium peccatorum superbia.... Ut ergo causa omnium morborum curaretur, id est superbia, descendit et humilis factus est Filius Dei. Quid superbis homo? Deus propter te humilis factus est. Puderet te fortasse imitari humilem hominem, saltem imitare humilem Deum.... Ille Deus factus est homo, tu homo cognosce quia es homo: tota humilitas tua, ut cognoscas te.... Humilis veni, humilitatem docere veni, magister humilitatis veni: qui ad me venit, incorporatur mihi; qui ad me venit, humilis fit: qui mihi adhæret, humilis erit; quia non facit voluntatem suam, sed Dei.

N. 17. Quoniam apud te est fons vitæ, non apud nos; ideò intrare debemus ut vivamus, non quasi nobis sufficere ut pereamus, non quasi de nostro velle satiari ut arescamus: sed os ipsum fontem ponere, ubi aqua non deficit.

(E) Ritual, Paris. *Em. Card.* Lud. Ant. de Noailles *jussu editum, in-quarto* 1697. *Tit. de Communione infirmorum, pag.* 73. Hortetur Parochus infirmum ut sacram communionem sumat, etiamsi graviter non ægrotet, aut mortis periculum non immineat, maximè si festi alicujus celebritas id suaserit: eam verò non percipiat tunc nisi jejunus, *id est*, nisi post mediam noctem ab omni cibo et potu abstinuerit, etiam solâ aquâ vel quocunque alio per modum medicinæ. Pro viatico autem etiam non jejuno ministrabit, cùm ægrotus erit in gravi mortis periculo. *Idem docent omnes Rituales libri, quos consulere potes.*

licuit unquam sacram communionem sumere post fractum jejunium. Et ritus ille perpetuo Ecclesiæ usû firmatus, ab Apostolica traditione manavit. Est ergo ritus ille etiamnum religiosè servandus. (F)

(F) *Christiani, teste* TERTULLIANO, *secundo Ecclesiæ seculo* sæpiùs jejuni, rarò pransi ad sacram mensam accedebant : jejuni, si manè ; pransi si vesperè sacra fierent. *Primum adstruit tum Lib.* 2. *ad uxorem cap.* 5. Non sciet maritus quid secretò ante omnem cibum gustes : *tum lib. de corona Mil. cap.* 3. Eucharistiæ Sacramentum, et in tempore victûs, et omnibus mandatum à Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu quàm Præsidentium sumimus.

Ultimum erui potest ex Apolog. cap. 39. Cœna nostra de nomine rationem sui ostendit. Id vocatur quod dilectio penes Græcos. Quantiscunque sumptibus constet, lucrum est pietatis nomine facere sumptum. Siquidem inopes quosque refrigerio isto juvamus, non quâ penes vos parasiti affectant ad gloriam famulandæ libertatis sub auctoramento ventris inter contumelias saginandi ; sed quâ penes Deum major est contemplatio mediocrium. Si honesta causa est convivii, reliquum ordinem disciplinæ æstimate qui sit de religionis officio. Nihil vilitatis, nihil immodestiæ admittit. Non priùs discumbitur, quàm oratio ad Deum prægustetur. Editur quantùm esurientes cupiunt : bibitur quantùm pudicis est utile. Ita saturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum sibi esse ; ita fabulantur, ut qui sciant Dominum audire. Post aquam manualem et lumina, ut quisque de Scripturis sanctis vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium Deo canere. Hinc probatur quomodo biberit. Æquè oratio convivium dirimit. Indè discceditur non in catervas cæsionum, neque in classes discursationum, nec in eruptiones lasciviarum, sed ad eamdem curam modestiæ et pudicitiæ ; ut qui non tam cœnam cœnaverint, quàm disciplinam.

Is mos non ampliùs vigebat in Africa tertio Ecclesiæ seculo : quod probari potes ex S. CYPRIANI *Epist.* 63. *ad Cæcil. versùs finem, in qua de Aquariis loquens, hæc habet :* Nisi in sacrificiis matutinis hoc quis veretur, ne per saporem vini redoleat sanguinem Christi... An illâ sibi aliquis contemplatione blanditur, quòd etsi manè aqua sola offerri videtur, tamen cùm ad cœnandum venimus, mixtum calicem offerimus ; sed cùm cœnamus, ad convivium nostrum plebem convocare non possumus, ut sacramenti veritatem fraternitate omni præsente celebremus. At enim non manè, sed post cœnam mixtum calicem obtulit Dominus. (1. *Cor.* XI. 25.) Nunquid ergo Dominicum post cœnam celebrare debemus, ut sic mixtum calicem frequentandis Dominicis offeramus ? Christum offerre oportebat circa vesperam diei, ut horâ ipsâ sacrificii ostenderet occasum et vesperam mundi... Nos autem resurrectionem Domini manè celebramus. Et quia passionis ejus mentionem in sacrificiis omnibus facimus, (passio est enim Domini, sacrificium quod offerimus) nihil aliud quàm quod ille fecit, facere debemus.

At in tota ferè Africa tempore S. Augustini, quarto scilicet Ecclesiæ seculo, solâ feriâ 5. *majoris hebdomadæ post cœnam sacram Eucharistiam sumebant fideles : verba illius referre operæ pretium est ex Epistol. ad Januar.* 54, *aliàs* 318. *n.* 6. *Cùm quæsisset Januarius*, quid per quintam feriam ultimæ hebdomadis Quadragesimæ fieri debeat, an offerendum sit manè, rursùs post cœnam, propter illud quod dictum est, (1. *Cor.* XI. 25.) *similiter postquam cœnatum est :* an jejunandum, et post cœnam tantummodò offerendum : an etiam jejunandum, et post oblationem, sicut facere solemus, cœnandum.

Huic quæstioni respondet AUG. *cap.* 6. *n.* 7. Liquidò apparet, quando primùm acceperunt discipuli corpus et sanguinem Domini, non eos accepisse jejunos.

N. 8. Nunquid tamen propterea calumniandum est universæ Ecclesiæ, quòd à jejunis semper accipitur ? Ex hoc enim placuit Spiritui sancto, ut in honorem tanti sacramenti in os Christiani priùs Domini cum corpus intraret, quàm cæteri cibi : nam ideò per universum orbem mos iste servatur. Neque enim quia post cibos dedit Dominus, propterea pransi

aut cœnati fratres ad illud sacramentum accipiendum convenire debent, aut sicut faciebant quos Apostolus arguit et emendat, (1. *Cor.* XI. 21. *et seq.*) mensis suis ista miscere. Namque Salvator quò vehementiùs commendaret mysterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit altiùs infigere cordibus et memoriæ discipulorum, à quibus ad passionem digressurus erat. Et ideò non præcepit quo deinceps ordine sumeretur, ut Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, servaret hunc locum. Nam si hoc ille monuisset, ut post cibos alios semper acciperetur, credo quòd eum morem nemo variasset. Cùm verò ait Apostolus de hoc sacramento loquens: (*Ibid.* 33. 34.) « propter quod, fratres, cùm convenitis » ad manducandum, invicem exspectate: si quis esurit, domi manducet, » ut non ad judicium conveniatis: » statim subtexuit; (*Ibid.* 34.) *cætera autem cùm venero, ordinabo.* Undè intelligi datur, (quia multum erat, ut in Epistola totum illum agendi ordinem insinuaret, quem universa per orbem servat Ecclesia) ab ipso ordinatum esse quod nullà morum diversitate variatur.

Cap. 7. *n.* 9. Sed nonnullos probabilis quædam ratio delectavit, ut uno certo die per annum, quo ipsam cœnam Dominus dedit, tanquam ad insigniorem commemorationem, post cibos offerri et accipi liceat corpus et sanguinem Domini. Honestius autem arbitror eà horâ fieri, ut qui etiam jejunaverit, post refectionem, quæ horà nonà fit, ad oblationem possit occurrere. Quapropter neminem cogimus ante Dominicam illam cœnam prandere, sed nulli etiam contradicere audemus. Hoc tamen non arbitror institutum, nisi quia plures et propè omnes in plerisque locis eo die lavare consuerunt. Et quia nonnulli etiam jejunium custodiunt, manè offertur propter prandentes, quia jejunia simul et lavacra tolerare non possunt; ad vesperam verò propter jejunantes.

Hoc præcepto suo firmavit CONCIL. CARTHAG. II. *ann.* 397. *can.* 29. Ut sacramenta altaris non nisi à jejunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniversario, quo cœna Domini celebratur.

SOCRATES *tamen* Alexandrinos *ait* post cœnam Domini corpus accipere solitos, *lib.* 5. *Hist. Eccles. cap.* 22. Sed Ægyptii qui Alexandrinis vicini sunt, et ii qui Thebaïdem incolunt, sabbato quidem collectas celebrant, non tamen sicut mos est Christianorum, sacra mysteria percipiunt. Postquam enim epulati sunt, et omni ciborum genere saturati, sub vesperam oblatione factâ communicant.

Idem refert SOZOMENUS *Hist. Eccles. lib.* 7. *cap.* 19. In multis autem urbibus ac vicis Ægypti, contra receptam omnium consuetudinem, die sabbati sub vesperam convenientes, jam pransi, sacra mysteria percipiunt.

Id improbat S. PRIMASIUS *in comment. in Epist.* 1. *ad Corinth.* Apud Corinthios... prava invaluerat consuetudo, Ecclesias passim dehonestare conviviis... Mos verò iste... de gentili superstitione veniebat: undè etiam quibusdam locis per Ægypti loca, vel Syriæ, die sabbati nocte post cœnam dicitur ad Ecclesiam conveniri.

Tempore S. Joannis Chrysost. quarto Ecclesiæ seculo non nisi à jejunis corpori et sanguini Domini communicabatur. *Id probari potest ex verbis* S. JOAN. CHRYSOST. *Homil.* 27. *in Epist.* 1. *ad Corinth.* Tu autem priùs quàm accipias, jejunas, ut aliquo modo dignus communicatione videaris: cùm autem acceperis, et oporteret in continentia perseverare, omnia perdis. Quanquam æquum est ante et post communicationem jejunare, oportet enim utroque tempore continentem esse, sed maximè post acceptum Spiritum: antè, ut dignus fias accipiendi: postmodum, ut non indignus videaris qui acceperis. Quid igitur? jejunare oportet post ejus acceptionem? Non dico hoc, neque cogo: licèt bonum sit, tamen non compello: sed admoneo, ne in deliciis vivas ad saturitatem.

S. ISID. HISPAL. *de offic. Eccles. lib.* 1. *cap.* 18. Ab universa autem Ecclesia nunc à jejunis semper accipitur. Sic enim placuit Spiritu sancto per Apostolos, ut in honore tanti Sacramenti jejunium in os Christiani priùs Dominicum corpus intraret, quàm cæteri cibi; et ideò per universum orbem mos iste servatur.

Id tandem multis Conciliorum decretis sancitum est.

CONCIL. BRACAR. II. *ann.* 563. *can.* 16. Si quis quintâ feriâ Paschali,

I. Nunquid præter jejunium sunt et aliæ corporales dispositiones præviæ ad sacram communionem ?

R. Qui ad sacram communionem accedunt, magnam præ se ferre debent in vultu, in oculis, in toto corporis habitu, modestiam reverentiamque. Et maximè expedit præcessisse pridiè jejunium vel abstinentiam ; et in conjugibus continentiam, modò id factum sit ex mutuo consensu. (G)

quæ est cœna Domini, horâ legitimâ, post nonam jejunus in Ecclesia Missas non tenet, sed secundùm sectam Priscilliani, festivitatem ipsius diei, ab hora tertia, per Missas defunctorum, soluto jejunio, colit, anathema sit.

Concil. Matiscon. II. *ann.* 585. *can.* 6. Item decernimus, ut nullus Presbyter confertus cibo, aut crapulatus vino, sacrificia contrectare, aut missas privatis festisque diebus concelebrare præsumat. Injustum est enim, ut spiritali alimento corporale præponatur : sed si quis hoc attentare curaverit, dignitatem amittat honoris.

Concil. Tolet. VII. *ann.* 646. *can.* 2. Cùm à Sacerdotibus missarum tempore sancta mysteria consecrantur, si ægritudinis accidat cujuslibet eventus, quo cœptum nequeat consecrationis expleri ministerium.... præcedentibus libenter alii pro complemento succedant. Ne tamen quod naturæ languoris causâ consulitur, in præsumptionis perniciem convertatur, nullus post cibi potusve quamlibet minimum sumptum missas facere, nullus absque patenti proventu molestiæ Minister, vel Sacerdos, cùm cœperit, imperfecta officia præsumat omninò relinquere. Si quis hæc tentare præsumpserit, excommunicationis sententiam sustinebit.

Plura hîc testimonia congerere superfluum ; cùm id jubeant Concilia ferè omnia, quæ adeat qui plura cupit.

(G) 1. Corinth. VII. *n.* 5. Nolite fraudare invicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi.

S. Hieron. *Lib.* 1. *advers. Jovin. paulò post initium, pag.* 150. *part.* 2. *Tom.* 4. *Nolite fraudare invicem :* (1. *Cor.* VII. 5.) *nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi.* Oro te quale illud bonum est, quod orare prohibet ? quod corpus Christi accipi non permittit ? quandiù impleo mariti officium, non impleo continentis.

Et multò post, pag. 162. Iste nempè Moyses est, qui (*Exod.* III. *et seq.*) cùm vidisset visionem magnam, et Angelum sive Dominum loquentem in rubo, nequaquam valuit ad eum accedere, nisi solvisset corrigiam calceamenti sui, et abjecisset vincula nuptiarum. Nec mirum hoc de amico et Propheta et legifero Dei, cùm omnis populus accessurus ad montem Sina, (*Exod.* XIX. 15.) et Dei auditurus eloquium, tribus diebus sanctificari jussus sit, et se ab uxoribus abstinere. Quod quidem scimus (licèt præposterè faciam historiæ ordinem confundere) etiam ad David fugientem, ab Achimelech Sacerdote dictum ; (1. *Reg.* XXI. 4.) *si mundi sunt pueri ab uxoribus*, et ille respondit : *ab heri et nudiustertius.* Panes enim propositionis quasi corpus Christi de uxorum cubilibus consurgentes edere non poterant : et nobis in transitu est contemplandum quod dixit : *si mundi sunt pueri ab uxoribus*, videlicet quòd ad munditias corporis Christi omnis coïtus immundus sit.

Epist. 30. *aliàs* 50. *ad Pammach. pag.* 238. *part.* 2. *Tom.* 4. An idcircò arguor, quòd de meo ausus sum adjicere : quale illud bonum est, quod corpus Christi accipere non permittit ? Ad hoc breviter respondebo. Quid est majus, orare, an corpus Christi accipere ? Utique accipere corpus Christi. Si per coïtum quod minus est impeditur, multò magis quod majus est... Amori conjugis, amorem Christi præferam. Durum est, non ferendum est. Quis hoc secularium sustinere potest ? Qui potest sustinere, sustineat : qui non potest, ipse viderit. Nobis curæ est, non quid unusquisque possit, aut velit ; sed quid Scripturæ præcipiant, dicere.

S. Isidor. Hispal. *Lib.* 1. *de offic. Eccles. cap.* 18. *in fine.* Conjugatis autem abstinendum est à coïtu, plurimisque diebus orationi vacare, et sic deindè ad Christi corpus accedere. Invenimus sacerdotem Achi-

melech de panibus propositionis noluisse priùs dare David et pueri ejus, (1. *Reg.* XXI. 4.) nisi ante eos interrogaret, utrum mundi essent pueri à mulieribus, non utique ab alienis, sed à propriis conjugibus; et nisi eos audisset ab heri et nudiustertius vacasse ab opere conjugali, nunquam panes quos priùs negaverat, concessisset: Tantùm inter propositionis panes et corpus Christi, quantùm differt inter corpus et umbram, inter imaginem et veritatem, inter exemplaria futurorum, et ea ipsa quæ per exemplaria figurabantur. Quapropter eligendi sunt aliqui dies, quibus priùs homo continentiùs vivat, quò ad tantum Sacramentum dignus accedere possit.

S. GREG. MAGN. *Lib.* 12. *Epist.* 31. *ad Aug. Quæst.* 10. Romanorum... semper ab antiquioribus usus fuit, post adunixtionem propriæ conjugis, et lavacri purificationem quærere, et ab ingressu Ecclesiæ paululùm reverenter abstinere. Nec hæc dicentes deputamus culpam esse conjugium: sed quia ipsa licita commixtio conjugum sine voluptate carnis fieri non potest, à sacri loci ingressu abstinendum est: quia voluptas ipsa esse sine culpa nullatenùs potest... Si quis ergo suâ conjuge non cupidine voluptatis raptus, sed solummodò liberorum creandorum gratiâ utitur, iste profectò de ingressu Ecclesiæ, seu de sumendo corporis Dominici sanguinisque mysterio, suo est relinquendus judicio; quia à nobis prohiberi non debet accipere qui in igne positus nescit ardere. Cùm verò non amor procreandæ sobolis, sed voluptas dominatur in opere commixtionis, habent conjuges etiam de sua commixtione quod defleant... Vigilanti ergo mente pensandum est quòd in Sina monte Dominus ad populum locuturus, (*Exod.* XIX. 15.) priùs eumdem populum abstinere à mulieribus præcepit. Et si illic, ubi Dominus per creaturam subditam hominibus loquebatur, tantâ provisione est munditia corporis requisita, ut qui verba Dei perciperent, mulieribus mixti non essent; quantò magis qui corpus Domini omnipotentis accipiunt, custodire in se mundiliam carnis debent, ne ipsi inæstimabilis mysterii magnitudine prægravenlur?

CASSIAN. *Collat.* 22. *cap.* 4. *Germano interroganti*: Si igitur eo tempore accedi oportet ad sacro-sancta mysteria, senserimus nos somnii illusione pollutos, præsumenda est, an vitanda illa salutaris escæ sacro-sancta perceptio?

Respondet THENAS *cap.* 5. Omni quidem industriâ, quantùm in nobis est, studere debemus, ut immaculatam castimoniæ puritatem illo vel maximè tempore teneamus, quo venerandis assistere optamus altaribus; et vigilantissimâ circumspectione præcavendum est, ne carnis integritas præcedente tempore custodita, in ea præcipuè in qua nos ad communionem salutaris convivii præparamus nocte, fraudetur. Verùm si hostis ille nequissimus ut nobis cœlestis remedii subtrahat medicinam, custodiam sopitæ mentis illuserit, ita duntaxat ut nullo reprehensibili interveniente pruritu, nullo contaminetur oblectationis assensu, sed egestionem aut naturali necessitate propulsam, aut certè impugnatione diaboli absque sensu voluptatis elicitam, ad impedimentum nostræ sanctificationis obtenderit, possumus et debemus ad gratiam salutaris cibi confidenter accedere. Sin verò nostro vitio hæc fuerit egesta concretio, convenientes conscientiam nostram illud Apostolicum formidemus: (1. *Cor.* XI. 27. *et seq.*) *Qui manducaverit panem et biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem* primùm *semetipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indignè, judicium sibi manducat et bibit, non discernens corpus Domini:* id est, nequaquam illum cœlestem cibum à communium escarum vilitate secernens, nec talem esse dijudicans, quem nonnisi purâ liceat mente vel carne præsumere. Denique infert: (*Ibid.* 30.) *Idcò inter vos multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi*; spiritales scilicet infirmitates ac mortes ex hac specialiter dicens præsumptione generari. Multi enim qui cum illicita usurpatione præsumunt, infirmantur fide, et imbecilli sunt mente, passionum scilicet languoribus involuti, et dormiunt somno peccati, ab hoc sopore lethali nequaquam salutari sollicitudine resurgentes. Deindè sequitur: (*Ibid.* 31.) *Quòd si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur:* hoc est, si nosmetipsos perceptione sacramentorum, quotiescunque peccati vulnere prævenimur,

judicaremus indignos, impenderemus utique studium, ut per pœnitudinis emendationem ad ea dignè possemus accedere, et non tanquam indigni severissimis infirmitatum flagris castigaremur à Domino, ut vel sic compuncti ad remedia nostrorum vulnerum recurramus, ne digni præsentis seculi brevissimâ correptione non habiti, in futuro simul cum hujus mundi peccatoribus condemnemur. Quod etiam in Levitico (VII. 19. 20.) evidenti denuntiatione præcipitur : *omnis mundus manducabit carnes ; et anima quæcunque comederit de carnibus sacrificii salutaris quod est Domini, in qua est immunditia, peribit coram Domino.* In Deuteronomio quoque à spiritalibus castris immundus similiter mysticè segregatur : *Si fuerit*, inquit, (*Deut.* XXIII. 10. *et* 11.) *inter vos homo qui nocturno pollutus sit somnio, egredietur extra castra, et non revertetur priusquam ad vesperam ablutus aquâ sit, et post solis occasum regredietur in castra.*

Cap. 6. Verùm ut manifestiùs approbetur, quòd etiam inimici factione nonnunquam hæc eliciatur impuritas : novimus fratrem, qui cùm castimoniam cordis et corporis summâ circumspectione atque humilitate promeritam, jugiter possideret, ac nequaquam nocturnis ludificationibus tentaretur, quotiestamen se ad percipiendam communionem Dominicam præparasset, immundo fluxu dormiens fœdabatur. Qui cùm multò se tempore à sacro-sanctis mysteriis trepidus abstineret, tandem hanc ad seniores detulit quæstionem, remedium impugnationis ac doloris sui medicabili eorum consilio consecuturum se esse confidens. Sed cùm primam causam morbi ejus spiritualium medicorum doctrina discuteret, quæ solet ex abundanti ciborum præsumptione descendere, eamque memorato fratri deprehenderent non inesse, atque hanc illusionem nequaquam vitio saturitatis constaret emergere; eò quòd nec fratris notâ districtione solemnium dierum, quibus illa pollutio contingebat, specialis exceptio, hoc illos pateretur opinari : ad secundam hujus valetudinis causam illicò transtulerunt inquisitionis indaginem, discutientes ne animæ forsitan culpâ, caro exhausta jejunio impuris illusionibus urgeretur, quibus etiam districtissimi viri, cùm paululùm elati de sui corporis fuerint puritate, per superbiæ vitium polluuntur, quòd scilicet donum præcipuum Dei, id est, corporis castitatem, humanis se viribus obtinuisse crediderint. Interrogatus igitur utrum industriam suam ita capacem hujus crederet esse virtutis, ut ope divini non egeret auxilii, summâ hunc impium sensum exsecratione detestans, cùm se humiliter adstruxisset, ne cæteris quidem diebus corporis puritatem retinere potuisse, nisi divinâ in omnibus gratiâ fuisset adjutus : Illi confestim ad causam tertiam recurrentes, occultas diabolicæ factionis insidias perviderunt, probantesque nec animæ culpam esse, nec carnis, sacro-sanctis eum epulis debere misceri confidentissimè censuerunt ; ne scilicet si in hac obstinatione durasset, versutis maligni hostis laqueis obligatus, sanctificationis et corporis Christi particeps esse non posset, et per hanc fraudem medicinâ remedii salutaris in perpetuum fraudaretur. Quo facto ita omnis diabolicæ factionis scena detecta est, ut mox virtute Dominici corporis protegente, illa præteritæ illusionis consuetudo cessaret : in quo inimici dolus evidenter apparuit, et exposita est pariter ac probata sententia seniorum, quæ plerumque hunc impurissimum fluxum nec carnis, nec animæ vitio, sed adversarii factiosâ docuit ludificatione propelli. Ut ergo fallax imaginatio somniorum, illectrix egestionis impuræ vel in perpetuum, vel certè ut secundùm humiliorem, sive communem dixerim statum, certis mensibus ignoretur, post illam fidem, quâ de Dei specialiter gratia puritatis donum jugiter sperare nos convenit, escæ potûsque est nimietas castiganda. Horum namque redundantiâ istiusmodi humores propensiùs gigni necesse est, qui quoniam concreti non possunt non egeri, atque ab ipsius naturæ lege propelli, sub occasione cujuscunque pruritûs atque illusionis emergunt. Escarum verò satietate subtractâ, consequens est illas quoque immundas egestiones tardiùs generari : et ita fit ut quemadmodum fluxus earum, ita etiam illusio dormientes vel rariùs, vel subtiliùs inquietet, quia non solùm egestio ex imaginatione, sed imaginatio ex egestionis nimietate descendit. Quapropter si volumus ab illusionum istarum illecebris liberari, omni virtute nobis

est enitendum : Primùm, ut fornicationis passione devictà juxta beatum Apostolum, (*Rom.* VI. 12.) *non regnet peccatum in nostro mortali corpore, ad obediendum concupiscentiis ejus.* Secundò, ut ipso quoque illecebroso corporis motu sedato penitùs ac sopito, *nequaquam exhibeamus membra nostra arma iniquitatis peccato.* Tertiò, ut interiore quoque homine nostro, ab illa libidinis titillatione omnimodis ac medullitùs mortificato, exhibeamus nos Deo tanquam ex mortuis viventes, et ita per hunc profectum pervenientes ad perpetuam quietem corporis nostri, *exhibeamus* etiam (*Ibid.* 13.) *membra nostra non* jam *arma libidini, sed justitiæ Deo.* In qua nobis castimoniæ puritate fundatis, (*Ibid.* 14.) *peccatum in nobis jam non dominabitur.* Non enim sumus sub lege, quæ dum licita nuptiarum jura commendat, etiam illum cujus ministerio opus illicitæ fornicationis expletur, in nostris medullis nutrit ac reservat ardorem : sed sub gratia, quæ dum incorruptionem virginitatis insinuat, etiam istum innoxium ac simplicem corporis motum, et ipsius quoque liciti coïtûs interimit voluptatem ; atque ita cunctis impurissimæ colluvionis humoribus arefactis, egregii ac laudabiles eunuchi, qui per Isaïam prædicantur effecti, merebimur illam quæ promittitur eis beatitudinem possidere. *Hæc enim,* ait Dominus, (*Isaï* LVI. 4. *et* 5.) *Eunuchis : Qui custodierint sabbata mea, et elegerint quæ volui, et tenuerint fœdus meum ; dabo eis in domo mea, et in muris meis locum, et nomen melius à filiis et filiabus : nomen sempiternum dabo eis quod non peribit.*

Cap. 7. Tantà autem cor nostrum humilitatis debemus vallare custodiâ, ut hanc definitionem perpetuà sensuum stabilitate teneamus, nequaquam nos posse ad tantum purificationis meritum pervenire, ut si hæc quæ suprà dixi per Dei gratiam omnia fecerimus, indignos tamen nos communione sacri corporis esse credamus. Primùm quia cœlestis illius mannæ tanta majestas est, ut nemo hac luteà carne circumdatus per suum meritum ejus edulium, et non ex gratuita Domini largitate percipiat. Deinde quia nullus ita circumspectus in hujus mundi potest esse conflictu, ut eum saltem rara, vel levia peccatorum tela non feriant ; quia impossibile est, ut non aut ignorantiâ, aut negligentiâ, aut vanitate, aut obreptione, aut cogitatione, aut necessitate, aut oblivione peccetur. Nam etsi ad tam præcelsum quis virtutum culmen ascenderit, ut Apostolicum illud non jactanter exclamet : (I. *Cor.* IV. 3. *et* 4.) *Mihi autem pro minimo est ut à vobis judicer, aut ab humano die, sed neque meipsum judico, nihil enim mihi conscius sum ;* sciat se tamen absque peccato esse non posse. Neque enim frustrà idem Doctor adjunxit ; (*Ibid.* 4.) *sed non in hoc justificatus sum :* id est, non si ego justum me esse credidero, veram confestim gloriam possidebo ; vel quia me conscientia mea nullius peccati reprehensione compungit, idcircò nullius sordis contagione fuscatus sum : multa enim etiam meam conscientiam latent, quæ cùm sint mihi incognita atque obscura, Deo nota atque manifesta sunt. Ideò subjiciens : *Qui autem me*, inquit, (*Ibid.*) *judicat, Dominus est,* id est, ab illo solo quem secreta cordium non latent, verum judicii in me proferetur examen.

S. CAROL. BORROM. *Act. Eccles. Mediol. part.* 4. *Instruct. Eucharist. Tom.* 1. *pag.* 425. Præstantissimi hujus sacramenti dignitas hoc postulat, ut pridiè illius diei quo illud sument, jejunium celebrent, aut saltem parciùs cœnent : et quod fideles aliquando facere consueverunt, in orationibus, piisque meditationibus partem noctis vigilent, aut saltem prolixiùs orent, quàm aliàs soliti sunt. Postulat etiam, ut qui matrimonio juncti sunt, aliquot dies à concubitu uxorum abstineant, Davidis exemplo admoniti, (1. *Reg.* XXI. 4.) qui propositionis panes cùm à Sacerdote susceptarus esset, se suosque pueros ab uxorum consuetudine puros jam tres ipsos dies esse professus est : et ex Canone etiam veteri, qui tres, vel quatuor, aut etiam octo dies abstinentiæ in hoc genere proponit.

Act. part. 5. *Inst. Doct. Christ. Tom.* 2. *pag.* 744. Non nisi pluribus omnia quæ, præter confessionem, ad Eucharistiæ præparationem desiderantur, possent ex integro explicari. Paucis tamen noverint, die communionem præcedenti, abstinentiæ aut alicui corporali pœnitentiæ esse dandum operam : ut ex carnis maceratione majus robur et vires spiritus obtineat, quò liberior tantum mysterium valeat contemplari. Debent quoque spirituales libri de hoc sacramento agentes legi attentius.

§. 8. De frequenti Communione.

1. **Communio frequens estne bona et utilis?**

R. Nihil melius, utilius nihil, quàm frequenter communicare corpori et sanguini Domini, modò dignè id fiat. (A)

Juvat et piam aliquam habere meditationem, imprimisque de Christi Domini passione, cujus illud sacramentum memoriale instituitur, occupari. Quod qui non valuerit, eleemosynam aliquam pro facultatibus eroget, aliaque id genus agat, quibus ad tanti sacramenti fructuosiorem usum ejus anima disponatur.

Vide quæ dicuntur infrà de sacræ Eucharistiæ perceptione 3. *Part. hujus Operis Sect.* 2. *Cap.* 7. §. 22. *n.* 30.

(A) S. Cyprian. *de Orat. Dom. Vide suprà hujusce Cap.* 2. 4. *litt.* (F)

S. Basil. *Ep.* 289. *ad Cæsariam Patriciam.* Singulis certè diebus communicare et participare sancto corpori et sanguini Christi bonum et fructuosum est, cùm dixerit ipse perspicuis verbis (*Joan.* VI. 55.) *Qui comederit carnem meam et biberit sanguinem meum vitam habet æternam.* Jam verò quis dubitat, quin vitæ frequentiùs participare, non sit aliud omninò quàm frequenter vivere? Quater igitur non singulis septimanis communicamus, Dominico die, feriâ quartâ, in Parasceve et sabbato, sed et per dies etiam alias, si Martyris alicujus memoria celebretur.

S. Aug. *Epist.* 54. *aliàs* 118. *ad Januar. cap.* 3. *n.* 4. Dixerit aliquis non quotidie accipiendam Eucharistiam. Quæsieris, quare? Quoniam, inquit, eligendi sunt dies quibus puriùs homo continentiùsque vivit, quò ad tantum Sacramentum dignus accedat. *Qui enim manducaverit indignè* (1. *Cor.* XI. 29.) *judicium sibi manducat et bibit.* Alius contra: Immò, inquit, si tanta est plaga peccati, atque impetus morbi, ut medicamenta talia differenda sint, auctoritate Antistitis debet quisque ab altario removeri ad agendam pœnitentiam, et eadem auctoritate reconciliari. Hoc est enim indignè accipere, si eo tempore accipiat, quo debet agere pœnitentiam; non ut arbitrio suo, cùm libet, vel auferat se communio, vel reddat. Cæteràm peccata si tanta non sunt, ur excommunicandus quisquam homo judicetur, non debet se à quotidiana medicina Dominici corporis separare.

S. Joan. Chrysost. *Homil.* 83. *in Matth.* Consideremus autem, inquies, licèt apertè ad omnes pertineat. Nam si ad naturam nostram descendit *Christus*), patet quoniam ad omnes: quòd si ad omnes, et ad unumquemque profectò. Sed quomodo non omnes indè lucrum consecuti sunt, inquies? Id certè non illius causâ, qui maximè hoc optat, accidit, sed eorum culpâ, qui eum suscipere nolunt. Singulis enim fidelibus per hoc mysterium se conjungit: et quos peperit, non alii nutriendos tradit, sed ipse studiosissimè alit, hac etiam re tibi persuadens carnem illam tuam assumpsisse: tantâ igitur charitate atque honore affecti non torpeamus. Non videtis quantâ infantes animi alacritate mamillas arripiunt? Qua pressione papillis infigunt labia? Non minore cupiditate nos quoque ad hanc mensam, et ad hujus calicis spiritualem accedamus papillam: imò verò majore desiderio quasi lactentes pueri gratiam Spiritûs sugamus: unus sit nobis dolor, una mœstitia, si hoc alimento spirituali privamur.

Homil. 5. *in* 1. *ad Timoth. in moral. Idcò inter vos*, inquit, (1. *Cor.* XI. 30.) *multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi.* Et quomodo, inquies, ista perpetimur, cùm semel tantùm per annum ea sacramenta sumamus? Hoc nempè est quod universa perturbat: quia non mundiliâ animi, verùm intervallo temporis longiore constare meritum putas, summamque arbitraris reverentiam, ac religionem esse, si non sæpiùs cœlestem adeas mensam: ignoras quoniam indignè accedere, etiamsi semel tantùm fiat, te supplicio tradit: dignè verò etiam si sæpè accedas, salutem indè conquiris? Non est audaciæ sæpiùs accedere ad Dominicam mensam, sed indignè accedere, etiamsi semel tantùm quispiam in toto vitæ tempore accedat.... Quid igitur hanc rem temporis lege metimur? Tempestivum accedendi tempus mundilia conscientiæ faciat, nihil habet ampliùs quod in Pascha consummatur mysterium, eo quod continuò celebratur. Unum quippè atque idem est, eadem est sancti Spiritûs gra-

I. Ergo consilium hoc dandum est singulis fidelibus ut frequenter communicent?

R. Si singulorum vita talis esset qualem decet esse Christi discipulorum vitam, dandum esset sanè hoc consilium singulis. Cùm autem Christianæ professionis sanctitati plerorumque vita minùs respondeat, non omnibus consulenda est frequens communio, sed iis solùm, qui sanctitate vitæ probant esse se dignos tanto beneficio. Hæc mens est Ecclesiæ. Cæteris consilium hoc dandum, ut verè pœnitentiam agant: frequenter deindè communicaturi, cùm egerint dignos fructus pœnitentiæ. (B)

tia; semper Pascha est. Nostis profectò qui initiati estis, id quod dicimus, sive sextâ feriâ, sive sabbato, sive Dominicâ die, sive in celebritate Martyrum, eadem litatur hostia, idem sacrificium consummatur. « Quoties- » cunque enim, *inquit*, (1. *Cor.* XI. 26.) manducabitis panem hunc, et » calicem biberitis, mortem Domini annuntiabitis. »

S. ISIDOR. HISPAL. *offic. Eccles. lib.* 1. *cap.* 18. Dicunt aliqui, nisi aliquo interveniente peccato, Eucharistiam quotidiè accipiendam: hunc enim panem dari, jubente Domino, quotidiè nobis postulamus, dicentes (*Luc.* XI. 3.): *Panem nostrum quotidianum da nobis hodiè.* Quod quidem benè dicunt, si hoc cum religione et devotione et humilitate suscipiunt, ne fidendo de justitia, superbâ præsumptione id faciant. Cæterùm si talia sunt peccata, quæ quasi mortuum removeant ab altari, priùs agenda pœnitentia est, ac sic deindè hoc salutiferum medicamentum suscipiendum. *Qui enim manducat et bibit indignè* (1. *Cor.* XI. 29.), *judicium sibi manducat et bibit.* Hoc est enim indignè accipere, si eo tempore quis accipiat, quo debet agere pœnitentiam. Cæterùm si tanta non sunt peccata, ut non excommunicandus quisque judicetur, non se debet à medicina Dominici corporis separare, ne dum fortè diù abstinens prohibetur, à Christi corpore separetur. Manifestum est enim, vivere eos qui corpus ejus attingunt; undè timendum est, ne dum diù quisque separatur à Christi corpore, alienus permaneat à salute, ipso dicente (*Joan.* VI. 54.): « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus » sanguinem, non habebitis vitam in vobis. » Qui enim peccare jam quievit, communicare non desinat.

(B) S. CYRIL. ALEX. *lib.* 3. *in Joann. cap.* 6. *v.* 35. *pag.* 324. Intelligant demùm, quicunque baptizati sunt, divinamque gratiam gustarunt, si cunctanter et vix Ecclesias adeant, et longo temporum spatio Eulogiam, quæ per Christum, frequentare desinant, et ex eo quòd nolunt ei mysticè communicare, damnosum metum ac reverentiam prætexant, æternâ vitâ seipsos excludere, dum vivificari renuunt; et recusationem illam, tamelsi à metu ac religione profecta videtur, in laqueum cadere et scandalum. Eniti quippè magis eos omni studio ac viribus deceret, ut se cum fervore peccatorum mundationi operam dare demonstrent, honestumque ac probum vitæ institutum amplexi, ad vitæ participationem demùm magna cum fiducia properent. Sed cùm satanæ variæ ad decipiendum sint artes, ad saniorem mentem eos revocare non sinit: verùm postquam eos malis inquinavit, ipsam quoque gratiam cogit exhorrescere.

S. AMBROS. *seu Auctor libri de Sacram. lib.* 5. *cap.* 4. *n.* 25. Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis, quemadmodum Græci in Oriente facere consuerunt? Accipe quotidiè, quod quotidiè tibi prosit. Sic vive, ut quotidiè mercaris accipere. Qui non meretur quotidiè accipere, non meretur post annum accipere.... Tu audis quòd quotiescunque offertur sacrificium, mors Domini, resurrectio Domini, elevatio Domini significetur, et remissio peccatorum: et panem istum vitæ non quotidianum adsumis? Qui vulnus habet, medicinam requirit. Vulnus est, quia sub peccato sumus: medicina est cœleste et venerabile Sacramentum.

S. CAROL. *Act. Eccles. Mediol. tom.* 1. *pag.* 4. *in Instruct. Euchar. tit. de frequenti sacræ Communionis usu.* Ad saluberrimum igitur hujus Sacra-

I. Quem sanctitatis gradum requiri putas, ut quis accedere frequenter valeat ad sacram communionem ?

R. Ut communio frequens homini Christiano ritè concedatur, necesse est, 1° Hunc conscientiam habere puram, non solùm ab omni peccati mortalis reatu, sed etiam ab omni peccati venialis affectu. 2. Hunc non modicam habere spiritalis hujus cibi appetentiam, magnum studium quærendi et possidendi Christum. (C)

I. Quid intelligis per affectum peccati venialis ?

R. Eam intelligo affectionem animi, quâ qui veniale peccatum nec dolet commissum, nec veretur committendum, nec vult fugere.

I. Cur ea affectio animi arcere debet à frequenti Communione ?

R. Quia isthæc affectio animi non potest esse sine tepiditate mentis quæ fructum sacræ Communionis impediat. Atque ita timendum est, ne ex frequentiori sacræ Communionis usu gratia sensim minuatur, nedum augeatur in iis qui peccati venialis nimio affectu tenentur. (D)

menti frequenter sumendi usum Parochus fideles cohortabitur, atque excitabit, nascentis Ecclesiæ institutis, ac exemplis, et sanctorum Patrum omnium consentiente doctrinâ, ut ex Catechismo Romano discere poterit, et sententiâ œcumenicæ Synodi Tridentinæ : quæ optaret quidem, fideles in singulis Missis non solùm spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicare ; curabit certè, ut præter Paschalis communionem, quæ Ecclesiæ præcepto necessaria est, saltem in præcipuis solemnitatibus veluti die natali Domini, Epiphaniâ, Pentecoste, in diebus item festis majoribus Beatæ Mariæ Virginis communicent, etc.

In Instruct. Confessar. ibid. pag. 658. Ad frequentes etiam confessiones, et communiones eos hortentur, ita ut pro S. Augustini consilio (*Gennad. infrà litt.* (D)) omni Dominicâ ad communionem accedant : quòd si quis id agere, ex negligentia renuerit ; cum eo sic Sacerdos agat, ut eum ad communicandum inducat festis saltem anni præcipuis, Paschate scilicet, Pentecoste, B. M. Assumptione, omnium Sanctorum die, Christi natalibus, et Dominicâ in capite Quadragesimæ, quâ plerique plenariam indulgentiam consequuntur, et in ea sese ad jejunium disponunt : deindè dies frequentiores assignando efficiet, ut quovis mense, et denique quâlibet hebdomadâ ad communionem accedat.

(C) *Vide Auctoritates litt.* (D) *laudatas.*

(D) S. Basil. *lib.* 1. *de Bapt. cap.* 3. Qui namque edit ac bibit, videlicet in memoriam indelebilem ejus, qui pro nobis est mortuus ac resurrexit, Jesu Christi Domini nostri, rationem verò memoriæ obedientiæque Dominicæ ad mortem usque, juxta doctrinam Apostoli non adimplet, qui, ut prædictum est, dicit : (2. *Cor.* v. 14.) « Constringit enim nos » charitas Dei, judicantes hoc, quòd si unus pro omnibus est mortuus, » itaque omnes esse mortuos, (quod in baptismate professi sumus :) et » pro omnibus est mortuus, (*Ibid.* 15.) ut qui vivunt jam non ampliùs » sibi ipsis vivant, sed ei, qui pro ipsis est mortuus ac resurrexit, » nihil habet utilitatis, juxta sententiam Domini dicentis : (*Joan.* vi. 64.) *caro non prodest quidquam.* Accersit autem sibi ipsi qui talis est judicium quoque, dicente Apostolo : (1. *Cor.* ii. 29.) « Qui edit ac bibit indignè, » judicium sibi ipsi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini. » Non enim terribile tantùm judicium habet, qui in carnis ac spiritûs inquinamento ad sancta accedit indignè ; accedens verò, reus fit corporis ac sanguinis Domini : sed et otiosè et inutiliter edens ac bibens, in eo, quòd non per memoriam ejus qui pro nobis est mortuus et excitatus,

videlicet Jesu Christi Domini nostri, custodit illud Apostoli quod dictum est suprà : (2. *Cor.* v. 14.) « constringit enim charitas Dei judicantes » hoc, quòd si unus pro omnibus mortuus est, igitur mortuos esse » omnes, » et quæ sequuntur. Quemadmodum enim sine conscientia et inutiliter tantum ac tale bonum irritum facit, et sicut absque ulla gratiarum actione accedit ad tale mysterium, judicium habet segnitiei, cùm Dominus nec eos innoxios esse sinat, qui verbum aliquod otiosum proferunt.... (*Matth.* XII. 36.) Debemus itaque attendere quod sit judicium ejus qui indignè edit ac bibit.

Cætera vide suprà hujusce Cap. §. 4. *litt.* (F)

S. JOAN. CHRYSOST. *Homil.* 83. *in Matth. Vide suprà hocce* §. *litt.* (A)

GENNAD. *lib. de Eccles. dogmat. cap.* 23. *aliàs* 53. Quotidie Eucharistiæ communionem percipere nec laudo nec vitupero. Omnibus tamen Dominicis diebus communicandum suadeo et hortor, si tamen mens in affectu peccandi non sit. Nam habentem adhuc voluntatem peccandi, gravari magis dico Eucharistiæ perceptione quàm purificari. Et ideò quamvis quis peccato mordeatur, peccandi non habeat de cætero voluntatem, et communicaturus satisfaciat lacrymis et orationibus, et confidens de Domini miseratione, qui peccata piæ confessioni donare consuevit, accedat ad Eucharistiam intrepidus et securus. Sed hoc de illo dico quem capitalia et mortalia peccata non gravant : nam quem mortalia crimina post baptismum commissa premunt, hortor prius publicâ pœnitentia satisfacere, et ita Sacerdotis judicio reconciliatum communioni sociari, si vult non ad judicium et condemnationem sui Eucharistiam percipere. Sed et secretâ satisfactione solvi mortalia crimina non negamus ; sed mutato seculari habitu, et confesso religionis studio per vitæ correctionem, et jugi, immò perpetuo luctu miserante Deo, ita duntaxat, ut contraria pro iis quæ pœnitet agat, et Eucharistiam omnibus Dominicis diebus supplex et submissus usque ad mortem percipiat.

S. ISID. HISP. *Lib.* 1. *sent. cap.* 22. Qui sceleratè vivunt in Ecclesia, et communicare non desinunt, putantes se tali communione mundari : discant nihil ad emundationem proficere, sibi dicente Prophetà : (*Jerem.* XI. 15.) « Quid est quod dilectus meus in domo mea facit scelera multa ? » Nunquid carnes sanctæ auferent à te malitias tuas ? *et Apostolus* : (1. *Cor.* XI. 28.) « Probet, *inquit*, se homo et sic de pane illo edat et de » calice bibat. »

S. FRANÇOIS DE SALES. *Introduct. à la Vie dévote, part.* 2. *cap.* 20. De recevoir là communion de l'Eucharistie tous les jours, ni je ne loue, ni je ne le vitupère : mais de communier tous les jours de Dimanche, je le suade, et en exhorte un chacun, pourvu que l'esprit soit sans aucune affection de pécher : Ce sont les paroles propres de S. Augustin (*Gennade*), avec lequel je ne vitupère, ni loue absolument que l'on communie tous les jours, mais laisse cela à la discretion du Père spirituel de celui qui se voudra résoudre sur ce point. Car la disposition requise pour une si fréquente communion devant être fort exquise, il n'est pas bon de le conseiller généralement ; et parce que cette disposition-là, quoiqu'exquise, se peut trouver en plusieurs bonnes ames, il n'est pas bon non plus d'en divertir et dissuader généralement un chacun : ains cela se doit traiter par la considération de l'état interieur d'un chacun en particulier. Ce serait imprudence de conseiller indistinctement à tous cet usage si fréquent : mais ce serait aussi imprudence de blâmer aucun pour icelui, et surtout quand il suivrait l avis de quelque digne Directeur.... Mais Philothée, vous voyez que S. Augustin exhorte et conseille bien fort que l'on communie tous les Dimanches : faites-le donc tant qu'il vous sera possible. Puisque, comme je présuppose, vous n'avez nulle sorte d'affection au péché mortel, ni aucune affection au péché véniel, vous êtes en la vraie disposition que S. Augustin requiert, et encore plus excellente, parce que non-seulement vous n'avez pas l'affection de pécher, mais vous n'avez pas même l'affection du péché : si que quand votre Père spirituel le trouverait bon, vous pourriez utilement communier encore plus souvent que tous les Dimanches.

Liv. 2. *Epître* 46. Je ne voudrais pas que vous portassiez Madame votre fille à une si fréquente communion, qu'elle ne sache bien peser, ce

I. Qui vitam agunt in deliciis, in ludis, in otio, qui spectaculis scenicis intersunt identidem, qui cœtibus profanis delectantur, uno verbo qui diligunt mundum, ejusque opiniones ne dicam errores sectantur, debentne ii frequenter communicare ?

R. Agunt illi vitam Deo judice pessimam, et maximè alienam à præceptis Evangelicis. Adeoque nunquam debent ad sacram communionem accedere, nisi priùs vitæ rationem instituerint, et dignos egerint pro antè acta vita pœnitentiæ fructus. (E)

I. Qui nullo tenentur lethalis peccati reatu, imò qui de venialibus dolent, sed in ea tamen per fragilitatem sæpè relabuntur, quantumvis sibi videantur habere firmum propositum de cætero non peccandi ; debentne illi frequenter communicare ?

R. Debent : est enim illis sacra Communio et adversus

que c'est que cette fréquente communion. Il y a différence entre discerner la communion d'entre les autres participations, et discerner la fréquente communion d'avec la rare communion : si cette petite ame discerne bien, que pour fréquenter la sainte communion il faut avoir beaucoup de pureté et de ferveur, et qu'elle y aspire, et soit soigneuse à s'en parer ; alors je suis bien d'avis qu'on l'en fasse approcher souvent, c'est-à-dire de quinze en quinze jours : mais si elle n'a point d'autre chaleur qu'à la communion, et non point à la mortification des petites imperfections de la jeunesse ; je pense qu'il suffirait de la faire confesser tous les huit jours, et communier tous les mois. Ma chère fille, je pense que la communion soit le grand moyen d'atteindre à la perfection : mais il faut la recevoir avec le désir et le soin d'ôter du cœur tout ce qui déplaît à celui que nous y voulons loger.

(E) S. Joan. Chrysost. *Homil.* 7. *in Matth.* Et tu itaque Judaïcum populum, urbem turbatam, insidiantem vitæ tyrannum, et fallacem istis seculi umbram relinquens, in Bethlehem festinus accurre, ubi domus spiritualis panis... Sed cave ne Herodi efficiaris similis, et dicas, (*Matth.* II. 8.) Ut et ego veniens adorem eum : cumque veneris, interimere conaris. Hujus etenim similes sunt, qui indignè mysteriorum consortes sunt : *Reus est* enim, inquam, iste (I. *Cor.* XI. 27.) *corporis et sanguinis Domini.* Qui enim ejusmodi sunt, habent in se tyrannum, et regno Christi jugiter invidentem, longè sanè Herode illo nequiorem, mammonam scilicet. Hic enim tenere imperium gestit, suosque cultores qui adorantis quidem speciem præbent, jugulant autem inter adorandum. Timeamus igitur, ne quando speciem supplicum atque adorantium geramus, opere verò contraria exhibeamus. Igitur adoraturi Christum cuncta projiciamus è manibus. Si habuerimus aurum, offeramus ipsi, non terræ defodiamus... At verò ex hac mensa spiritualium fons emanat bonorum, et hanc tu statim relinquens curris ad theatrum, ut natantes feminas, et naturam traductam ut videas, relinquens interim sedentem juxta fontem Christum... (*Joan.* IV. 6.) Nihilominùs ipse non accedit, sed manet, et à nobis postulat potum (*Ibid.* 7.), non aquam sed sanctimoniam. Sanctis enim Christus sancta distribuit. Non enim aquam de hoc nobis fonte largitur, sed sanguinem vivum, qui quanquam mortis Dominicæ symbolum sit, nobis tamen causa fit vitæ. Tu verò relinquens hujus sanguinis fontem, calicemque reverendum, ad diabolicum illum fontem festinus accurris, ut scilicet spectes meretricem natantem, et naufragium animæ patiaris. Aqua quippe illa pelagus quoddam est luxuriæ, quo non corpora submerguntur, sed naufragium infertur animabus. Nam illa quidem nuda ludit natatu, tu verò spectans, in libidinis profunda demergeris.

peccata præterita remedium, et adversùs impendentia mala præsidium. (F)

I. Nunquid et illis expedit interdùm abstinere à sacra Communione præ humilitate et præ majori reverentia ?

R. Expedit illis quidem interdùm præ majori reverentia abstinere à sacra Communione, sed modò non nimiùm illa abstinentia protrahatur, et abstinentiam hanc pœnitentia comitetur, per quam puriores effecti, citò redeant ad sacrum convivium alacriores et sanctiores : ne fortè sub specie humilitatis et reverentiæ negligentia subrepat, fiatque in illis quod dictum est per Prophetam (*Ps.* CI. 5.) : *Percussus sum ut fenum, et aruit cor meum : quia oblitus sum comedere panem meum.* (G)

(F) S. AMBROS. *Lib.* 4. *de Sacram. cap.* 6. *n.* 28. Si quotiescunque effunditur sanguis, in remissionem peccatorum funditur (*Matth.* XXVI. 28.), debeo illum semper accipere, ut semper mihi peccata dimittantur. Qui semper pecco, semper debeo habere medicinam.

S. CYRIL. ALEXAND. *lib.* 4. *cap.* 2. *in Joan. cap.* VI. Si vitæ æternæ amore flagramus, si largitorem immortalitatis in nobis habere cupimus, ne quod quidem negligentiores faciunt, Eulogiam suscipere recusemus, cavcamusque neve laqueum nobis in tendiculam diabolus insigniter fraudulentus struat, damnosam nempe religionem ac metum... Quare piè apud te statuas rectè, honestèque degere. Atque ita Eulogiæ particeps fias, credens eam non mortis solùm, verùm etiam morborum nostrorum depellendorum vi pollere. Christus enim existens in nobis sopit sævientem in nostris membris carnis legem (*Rom.* VII. 23.), et pietatem in Deum exsuscitat, perturbationes mortificat, delicta in quibus sumus nobis non imputans, sed potiùs ut ægrotos sanans. Confractum enim alligat, (*Ezech.* XXXIV. 16.) seu pastor bonus, et qui *animam suam ponit pro ovibus suis.* (*Joan.* X. 15.)

S. AUG. *Epist.* 54. *aliàs* 118. *ad Januar. Vide suprà hocce* 2. *litt.* (A)

AUCTOR *Lib. de Imit. Christi lib.* 4. *cap.* 10. *n.* 1. Frequenter recurrendum est ad fontem gratiæ, et divinæ misericordiæ, ad fontem bonitatis, et totius puritatis : quatenùs à passionibus tuis et vitiis curari valeas, et contra universas tentationes, et fallacias diaboli, fortior, atque vigilantior effici merearis.

(G) S. AUG. *Epist.* 54. *aliàs* 118. *ad Januar. cap.* 3. *n.* 4. *Initium habes suprà hocce* §. *litt.* (A) Rectiùs inter eos fortasse quispiam dirimit litem, qui monèt ut præcipuè in Christi pace permaneant. Faciat autem unusquisque quòd secundùm fidem suam piè credit esse faciendum. Neuter enim eorum exhonorat corpus et sanguinem Domini, sed saluberrimum sacramentum certatim honorare contendunt. Neque enim litigaverunt inter se, aut quisquam eorum se alteri præposuit, Zachæus et ille Centurio, cùm alter eorum gaudens in domum suam susceperit Dominum, alter dixerit : (*Matth.* VIII. 8.) *non sum dignus ut intres sub tectum meum :* ambo Salvatorem honorificantes diverso et quasi contrario modo : ambo peccatis miseri, ambo misericordiam consecuti.... Nam et ille honorando non audet quotidie sumere, et ille honorando non audet ullo die prætermittere. Contemptum solùm non vult cibus iste, sicut nec manna fastidium.

S. CYRIL. ALEXAND. *lib.* 3. *in Joan. cap.* 6. *Vide hocce* c. *litt.* (B)

AUCTOR *Lib. de Imit. Christi lib.* 4. *cap.* 10. *n.* 3. Propter aliquam parvam turbationem, vel gravitatem sacram ne dimittas communionem.

N. 4. Quid prodest diù tardare confessionem, aut sacram differre communionem ? Expurga te cumprimis, expue velociter venenum, festina accipere remedium, et senties meliùs, quàm si diù distuleris. Si hodie propter istud dimittis, cras forsan aliud majus eveniet : et sic diù posses à communione impediri, et magis ineptus fieri. Quantò citiùs vales, à præsenti gravitate et inertia te excutias : quia nihil importat

I. Quæ cuique regula tenenda est pro usu frequentiori vel rariori sacrosanctæ Communionis?

R. Tenenda est unicuique ea regula quam Moderator animarum peritus præscripserit, habitâ ratione dispositionis et statûs singulorum. (H)

I. Quid facto opus iis qui sacrâ Communione privantur?

R. Agenda ipsis est ex toto corde pœnitentia : vigilantia major habenda est : ut sic possint disponere se ad sacram Communionem dignè et citiùs resumendum. (I)

§. 9. De Communione sub unica specie.

I. Tenemurne communicare sub utraque specie?

R. Sacerdotes tenentur sub utraque specie communicare, quoties sacrosanctum offerunt Missæ sacrificium. Cæteri omnes ex hodierno Ecclesiæ ritu, sub sola panis specie communicare debent. (A)

Sunt tamen etiamnum Ecclesiæ nonnullæ, in quibus viget aliquatenùs communionis sub utraque specie ritus antiquus. Romæ Diaconus et Subdiaconus summo Pontifici solemniter celebranti ministrantes, communicant sub utraque specie. Idem ritus observatur singulis diebus Dominicis et festivis à Diaconis et Subdiaconis Missæ majori ministran-

diù anxiari, diù cum turbatione transire, et ob quotidiana obstacula, se à divinis sequestrare : imò plurimùm nocet, diù communionem protelare, nam et gravem torporem consuevit inducere.

N. 5. Si quis interdum abstinet humilitatis gratiâ, aut legitimâ impediente causâ, laudandus est de reverentia. Si autem torpor obrepserit, seipsum excitare debet, et facere quod in se est, et Dominus aderit desiderio suo pro bona voluntate, quam specialiter respicit.

(H) *Vide* S. Aug. *suprà litt.* (A) *hocce* 2. *Epist.* 54. *cap.* 3. *n.* 4.

S. François de Sales, *Lettre* 40. *du* 2. *livre.* Vous avez bien fait d'obéir à votre Confesseur, soit qu'il vous ait retranché la consolation de communier souvent pour vous éprouver, soit qu'il l'ait fait parce que vous n'aviez pas assez de soin de vous corriger de votre impatience ; et moi je crois qu'il l'a fait pour l'un et l'autre, et que vous devez persévérer en cette pénitence, tant qu'il vous l'ordonnera ; puisque vous avez tout sujet de croire qu'il ne fera rien qu'avec une juste consideration : et si vous obéissez humblement, une communion vous sera plus utile en effet, que deux ou trois faites autrement : car il n'y a rien qui nous rende la viande plus profitable, que de la prendre avec appétit et après l'exercice. Or la retardation vous donnera l'appetit plus grand, et l'exercice que vous ferez à mortifier votre impatience revigorera votre estomac spirituel.... Demeurez pour un peu en la posture de la Cananée. *Oui*, Seigneur, *je ne suis pas digne de manger le pain des enfans....* Je vous demande sinon votre corps, au moins les bénédictions qu'il répand sur ceux qui en approchent avec amour. C'est le sentiment que vous pourrez faire, ma très-chère fille, ès jours que vous souliez communier, et vous ne communierez pas.

(I) *Id probant multa Testimonia Patrum hocce Cap. imprimis verò hocce parag. allata.*

(A) Concil. Trid. *Sess.* 21. *cap.* 2. Ecclesia.... licèt ab initio Christianæ Religionis non infrequens utriusque speciei usus fuisset, tamen progressu temporis, latissimè jam mutatâ illâ consuetudine gravibus et justis causis adducta, hanc consuetudinem sub altera specie communicandi approbavit, et pro lege habendam decrevit (*Decret. Conc. Constantiens. Sess.* 13.) *infrà litt.* (Q), quam reprobare, aut sine ipsius Ecclesiæ auctoritate pro libito mutare non licet.

tibus in Cluniacensi et Sandionysiano Monasteriis Gallicanis. Item ab omnibus Monachis Cluniacensibus qui adsunt Missæ solemni Spiritûs sancti, quæ celebratur pro inchoatione Capituli generalis. Item à Regibus Francorum, quâ die solemniter unctione sacrâ inaugurantur : fortè et alibi à nonnullis.

I. Quis ergo fuit antiquus ea de re ritus ?

R. Antiquitùs fas erat unicuique non celebranti missam, sub una solum panis specie vel sub utraque pro arbitrio communicare. (B)

I. Nunquamne præceptum fuit omnibus sub utraque specie communicare ?

R. Nunquam lex lata est ut omnes omninò Christiani per totum orbem sparsi sub utraque specie communicarent : (*sed tantùm observatum est aliquando, affectatam abstinentiam à specie vini, esse indicium erroris circa naturam vini et institutionem sacramenti Eucharistiæ.*) Alioqui multæ exstabant occasiones, in quibus usu recepta erat ubique communio sub specie unica.

1. Infantibus nondùm adultis dabatur olim sacra communio (C), sed sub vini specie solùm. (D)

(B) S. Leo. *Serm. 41. in Quadrag. 4. c. 5. de Manichæis loquens, hæc habet :* Cùmque ad tegendum infidelitatem suam nostris audeant interesse mysteriis, ita in Sacramentorum communione se temperant, ut interdum, ne penitùs latere non possint, ore indigno Christi corpus accipiant, sanguine autem redemptionis nostræ haurire omninò declinent.

Certè si omnes Christiani Sanguinem suscepissent, se prodidissent Manichæi, non occultassent.

Sozomen. *Hist. Eccl. lib. 8. cap. 5.* Vir quidam ex secta Macedonianorum, uxorem habebat ejusdem sectæ. Hic cùm Joannem aliquando docentem audisset, quomodo de divinitate sentiendum sit, fidem ejus amplexus est : uxoremque hortari cœpit, ut idem secum sentire vellet... Tandem ille : Nisi, inquit, in Divinis Mysteriis mecum communicaveris, nec vitæ consors mihi eris in posterum.... Allapso igitur tempore Mysteriorum, intelligunt fideles quid velim dicere, mulier id quod acceperat, retinens, quasi Deum oratura, caput submisit. Ancilla verò quæ ei adstabat, id quod domo attulerat, clanculùm ei tradidit. Quod cùm mulier dentibus admovisset, instar lapidis obduruit.

(C) S. Dionys. Areop. *seu* Auctor *lib. de Eccl. Hierarch. cap. 7. n. 11.* Quòd autem infantes quoque, qui per ætatem nequeunt intelligere, divinæ regenerationis, sanctissimorumque divinæ communionis mysteriorum participes fiant, videtur, ut inquis, hominibus profanis non immeritò risu dignum, quòd Pontifices eos erudiant qui nequeunt audire, sanctasque traditiones non intelligentibus frustrà tradant.... Nihil ergo, ut opinor, absurdum est, si ad divinum institutum puer adducitur, cùm ducem ac sponsorem habeat qui cum et divinarum rerum scientiâ imbuat, et ab adversariis tutum custodiat. Porrò Pontifex puerum consortem facit sacrorum mysteriorum, ut in eis educetur, neque agat vitam aliam, quàm eam quæ divina semper spectet, et hujusmodi sanctâ communione proficiat, atque in his sacrum habitum possideat, et à susceptore deiformi studiosè promoveatur.

S. Cyprian. *De Lapsis, pag.* 90. Infantes quoque parentum manibus vel impositi, vel attracti ; amiserunt parvuli, quod in primo statim nativitatis exordio fuerant consecuti. Nonne illi cùm judicii dies venerit, dicent : Nos nihil fecimus, nec derelicto cibo et poculo Domini ad profana contagia sponte properavimus.

Epist. 63. Vide litt. (D) *seq.*

2. Quibusdam in Ecclesiis dabatur sub sola specie panis sacra communio infantibus ad ætatem adultam propè accedentibus. (E)

S. CYRIL. HIEROSOL. *Catech. Mystag.* 3. *de Baptismo et Confirmat. verba facit, et Catech.* 4. *de Eucharistia, quod satis innuit* Catechumenos tria hæc Sacramenta simul percepisse, *et Cateches. Mystag.* 5. *sic orditur.* Satis jam Deo favente, et de Baptismo, et de Chrismate, et de sumptione Corporis et Sanguinis Christi..... audistis.

S. AMBROS. *lib. de Mysteriis, cap.* 8. *n.* 43. His abluta plebs dives insignibus (*scilicet baptismi undis et sacro chrismate*) ad Christi contendit altaria, dicens : (*Ps.* XLII. 4.) *Et introïbo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam;* depositis enim inveterati erroris exuviis renovatâ in aquilæ juventute, cœleste illud festinat adire convivium. Venit igitur, et videns sacrosanctum altare compositum, exclamans ait : (*Psal.* XXII. 5.) *Parasti in conspectu meo mensam.*

S. AUG. *Epist.* 217. *aliàs* 107. *ad Vit. cap.* 5. *n.* 16. *art.* 8. Si in illa parva ætate moriuntur, utique secundùm ea quæ per corpus gesserunt, id est, tempore quo in corpore fuerunt; quando per corda et ora gestantium crediderunt vel non crediderunt, quando baptizati vel non baptizati sunt, quando carnem Christi manducaverunt vel non manducaverunt, quando et sanguinem biberunt vel non biberunt, secundùm hæc ergo, quæ per corpus gesserunt, non secundùm ea quæ si diù hic viverent gesturi fuerant, judicantur.

S. PAULINUS *Epist.* 32. *aliàs* 12. *ad Sever. n.* 5.

Indè parens sacro ducit de fonte Sacerdos
Infantes niveos corpore, corde, habitu;
Circumdansque rudes festis altaribus agnos,
Cruda salutiferis imbuit ora cibis.

GENNAD. *lib. de Eccles. dogmat. cap.* 22. *aliàs* 52. Si verò parvuli sunt vel hebetes qui doctrinam non capiant; respondeant pro illis qui eos offerunt juxta morem baptizandi : et sic manûs impositione chrismate communiti, Eucharistiæ mysteriis admittantur.

S. GREGOR. *in lib. Sacrament. in Sabbato sancto.* Pontifex cùm vestiti fuerint infantes, confirmet eos. Qui etiam non prohibentur lactari ante sacram communionem, si necesse fuerit.

(D) S. CYPRIAN. *Epist.* 63. *ad Cæcil. pag.* 278. Per baptisma enim Spiritus sanctus accipitur, et sic à baptizatis, et Spiritum sanctum consecutis ab bibendum calicem Domini pervenitur.

De Lapsis. Vide suprà hujusce Cap. 2. 6. *litt.* (G)

PHOTII *Bibliotheca cap.* 222. JOBIUS. *lib.* 3. *cap.* 18.... Primò etenim nunc baptizamur, deindè unguento ungimur, inde pretioso sanguine dignamur. Sic prorsùs et Moses (*Levit.* VIII. 6. *et seq.*) hæc adumbrans abluit primò aquâ eos qui consecrabantur, mox induit et cingit, deindè confert olei unctionem, et tum sanguine aspergit, atque ad panis sumptionem adducit.

(E) EVAGR. *Hist. Eccl. lib.* 4. *cap.* 36. Vetus est consuetudo Constantinopoli, ut quoties ex sacris partibus immaculati corporis Christi Dei nostri magnus numerus superfuerit, pueri impuberes ex iis qui Grammaticorum scholas frequentant evocentur, qui eas maducent. Id igitur eo tempore cùm accidisset, unà cum aliis pueris convocatus est filius Vitrarii cujusdam, qui sectâ erat Judæus. Hic puer parentibus causam moræ ex ipso sciscitantibus, id quod factum fuerat exposuit, et quid ipse unà cum reliquis pueris degustasset. Pater irâ atque indignatione succensus, illicò filium correptum in fornacem ardentem conjicit, in qua vitrum formare consueverat. Mater verò filium quæritans, cùm reperire non posset, per totam urbem circuibat plorans atque ejulans. Tertio demùm die ad ostium officinæ mariti sui stans, filium nominatim inclamare cœpit, flens, ac seipsam lacerans. Tum puer agnitâ matris voce ei respondit ex fornace : statimque mater perfractis foribus introgressa, puerum inter carbones stantem videt, quem ignis nullatenùs ambusserat. Qui postèà interrogatus quomodo illæsus permansisset, mulierem quamdam purpureâ indutam veste crebrò ad ipsum ventilasse dixit, et aquam

3. Prioribus seculis Christiani deferebant apud se sacrum Christi corpus, habebant illud secum in itineribus, urgente persecutione, seu aliâ quâvis necessitate communicaturi (F) : at speciem vini nunquam legimus ad hunc usum fuisse translatam, vel in domos asportatam.

4. Sacrosanctam Eucharistiam ad ægrotos deferre mos est per universam Ecclesiam ex Apostolica traditione receptus. At nunquam in ægrotorum usum servata est Eucharistia sub specie vini (G), licèt delata sit ad eos quandoque et

ipsi porrexisse, et carbones qui juxta ipsum erant restinxisse. Quæ cùm nuntiata essent Justiniano, Imperator puerum simul ac matrem regenerationis lavacro initiatos, clero adscripsit. Patrem verò Christianæ religionis sacramenta percipere penitùs recusantem, tanquam proprii filii interfectorem, in Sycensi suburbio cruci affigi præcepit.

CONCIL. MATISCON. I. *ann.* 585. *can.* 6. Quæcunque reliquiæ sacrificiorum post peractam missam in sacrario superfuerint, quartâ vel sextâ feriâ innocentes ab illo cujus interest, ad Ecclesiam adducantur, et indicto eis jejunio, easdem reliquias conspersas vino percipiant.

(F) TERTUL. *lib.* 2. *ad Uxor. loco sup. allato* §. 5. *litt.* (E) *hocce Cap.* *Lib. de Orat. cap.* 14. Nonne solemnior erit statio tua, si et ad aram Dei steteris? Acceplo corpore Domini, et reservato, utrumque salvum est et participatio sacrificii et exsecutio officii?

S. CYPR. *de lapsis. Vide suprà* §. 5. *litt.* (E) *hocce Cap.* et S. AMBROS. *de excessu fratris sui Satyri lib.* 1. *n.* 43. *Ibid.*

S. BASILIUS. *Epist.* 289. *ad Cæsar. Patric.* Quoniam verò per tempora illa persecutionum cogebantur homines necessariò, Sacerdote vel Ministro non præsente, propriis manibus percipere communionem, non est nisi supervacuum ut demonstrem illam ipsam rem non esse graviter et iniquè ferendam, eò quòd inveterata consuetudo, hoc ipsum reipsà confirmatum dederat. Nam et illi omnes, qui per eremos vitam monasticam instituunt, ubi copia non suppetit Sacerdotis, cùm habeant domi communionem de suis manibus illam percipiunt. Alexandriæ autem per Ægyptum unusquisque etiam de plebe, ut plurimùm habet domi suæ communionem. Nam cùm semel Sacerdos sacrificium peragat, et distribuat, qui susceperit illud integrum simul, et quotidie de illa sumpserit, quàm à dante acceperat Sacerdote, credere debet et tenetur, nec injuriâ se eamdem suscipere et percipere. Nam et in Ecclesia ipsa Sacerdos partem aliquam in manus tradit et illam apprehendit, qui percipit cum omni libera potestate, atque ita suis propriis manibus eamdem suo ori admotam ingerit. Idem igitur quod potestatem est sive quis de manu Sacerdotis partem unam aliquam percipiat, sive partes simul quamplurimas.

(G) EUSEB. *lib.* 6. *Hist. Eccl. cap.* 44. *ex Epist.* S. DIONYS. Alexand. *ad Fabium Pontif. hæc narrat.* Erat in hac urbe Serapion quidam senex è numero fidelium, qui reliquo antè quidem actæ vitæ tempore nulli culpæ obnoxius fuerat. Sed in persecutione lapsus, sæpenumerò veniam petierat; nec quisquam ei attendebat, eò quòd sacrificasset. Idem posteà morbo correptus, vocis usu sensuque omni carens triduo permansit. Quarto demùm die paululùm recreatus, nepotem ex filia ad se vocat: Et quousque tandem, inquit, me detinetis fili? properate, quæso, et me quantociùs absolvite. Accerse mihi unum ex Presbyteris. Hæc cùm dixisset rursùs illum vox destituit. Puer ad Presbyterum cucurrit. Jam nox erat: Presbyter autem ægrotabat: sed quoniam in mandatis dederam, ut morituris si peterent, et maximè si anteà suppliciter postulassent, venia indulgeretur, quò bonæ spei pleni ex hac vita migrarent; exiguam Eucharistiæ partem puero tradidit, jubens ut in aqua intinctam seni in os instillaret. Redit igitur puer buccellam afferens: ei cùm appropinquaret, priusquam ingrederetur, recreatus iterum senex: Venisti, inquit, fili: ac Presbyter quidem ipse venire non potuit: tu verò fac

vini species, si quandò statim post oblatum Sacrificium esset ipsis deferenda.

citiùs quod imperatum est : et dimitte me. Mox puer buccellam intinxit, et in os senis infudit. Qui eâ paulatim absorptâ ; continuò animam exhalavit.

PAULINUS *in vita S. Ambros. n.* 47. Honoratus etiam Sacerdos Ecclesiæ Vercellis cùm in superioribus domùs se ad quiescendum composuisset, tertiò vocem vocantis se audivit, dicentisque sibi : Surge, festina, quia modò est recessurus. Qui descendens, obtulit sancto Domini corpus : quo accepto ubi glutivit, emisit spiritum, bonum viaticum secum ferens.

Gesta SYNOD. AURELIAN. *ann.* 1017. *in* 2. *tom. Spicil.* D. LUC. DACHERII *pag.* 673. Infans (*apud illius ævi hæreticos*) copioso igne accenso probabatur per ignem more antiquorum paganorum, et sic in igne cremabatur. Cujus cinis tantâ veneratione colligebatur, atque custodiebatur, ut Christiana religiositas corpus Christi custodire solet ægris dandum de hoc seculo exituris ad viaticum.

D. EDM. MARTENNE Monach. Benedict. *de antiquis Eccles. Ritib. lib.* 1. *cap.* 5. *art.* 2. *n.* 4. De specie verò sub qua communicandi erant infirmi facilis videtur responsio ; nam cùm ex reservata communiter Eucharistia solerent communicari, nec nisi sola panis species reservaretur, sub ea sola communicatos fuisse asserendum est. Probat id exemplum Serapionis senis ex Dionysio Alexandrino suprà relatum, qui cùm presbyterum accivisset, is puero qui eum convenerat, *exiguam Eucharistiæ partem tradidit, jubens ut in aqua intinctam seni in os instillaret.* Ad quem ritum alludere videtur Concilium Carthaginense IV. can. 76. decernens ut *infundatur ori ejus Eucharistia.* Cùm verò infirmi statim post Missam Eucharistiam accipiebant, eis utramque speciem traditam fuisse minimè dubitandum est, maximè cùm satis eis superesset virium ut sub utraque specie refici possent : constat ex MS. codice S. Remigii apud Menardum in notis ad Sacramentarium S. Gregorii pag. 380. in quo ad communionem infirmi, quem vis morbi non ad tantam virium imbecillitatem adduxit, utraque formula separatim ponitur, *Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat te in vitam æternam. Sanguis Domini nostri Jesu Christi redimat te in vitam æternam.* Utramque etiam speciem traditam fuisse non obscurè indicat Concilium Toletanum II. can. 11. Non rarò autem infirmi post Missam communicabant, quæ aliquando eorum in cubiculis celebrabatur, ut aliàs vidimus. Immò quacunque horâ in eorum gratiam dicebatur, maximè cùm per modum viatici communicabant : Hinc S. Odo Abbas Cluniacensis in vita S. Geraldi Comitis Auriliacensis refert celebratam fuisse Missam à Sacerdote post Completorium, qui ei viaticum exhibuit. Fatendum tamen est infirmos, qui post Missam statim percipiebant Eucharistiam, non semper utraque specie refectos fuisse, sed aliquando alterutra. Hùc facit id quod refert Beda venerabilis in Historiæ Anglicanæ lib. 4. cap. 14. de quodam puero nuper ad fidem vocato, qui in monasterio infirmitate correptus, accersivit Presbyterum, *qui statim vocatis fratribus parari prandium, missas fieri, atque omnes communicare more solito præcepit, simul et infirmanti puero de eodem sacrificio Dominicæ oblationis particulam deferri mandavit.* Exstat tamen apud Reginonem lib. 1. de Ecclesiasticis Disciplinis cap. 119. ex dictis Bedæ Presbyteri Canon ex cujus præscripto *postquam infirmus sacrâ unctione fuerit delibutus, statim Corpore et Sanguine Domini recreandus est.* Et de Lietberto Cameracensi Episcopo sic lego in ejus vita Spicilegii tomo 9. *Percipiens et ipse viaticum Corporis et Sanguinis Christi, inter manus plangentium Deo cui omnia vivunt.... suum tradidit spiritum.* Communis autem usus obtinuit, ut Eucharistia infirmis sanguine intincta præberetur, ut probant Ritualia antiqua perplurima : unde etiam Concilium Turonense apud eumdem Reginonem libro citato cap. 70. præscribit, *ut Presbyter habeat pyxidem aut vas tanto sacramento dignum, ubi Corpus Dominicum diligenter recondatur ad viaticum recedentibus à seculo : quæ sacra oblatio intincta debet esse in sanguine Christi, ut veraciter Presbyter possit dicere infirmo ;* Corpus et Sanguis Domini proficiat tibi, etc. Atque hic ritus hactenùs viget apud Græcos.

5. Sumebatur olim communio certis aliquot diebus sine oblatione sacrificii. Fiebatque tunc sub sola panis specie ex præcedenti Sacrificio reservata : nunquam enim in crastinum reservata est vini species, ne quid accideret incommodi, ut in specie vini faciliùs usuvenit. (H)

(H) LEO ALLAT. *Dissert.* 1. *de libr. Eccles. Græc. pag.* 20. In tertia missa, quam Græci *ton proegiasmenon* * vocant, tu *præsanctificatorum* diceres, Corpus Christi non conficitur, sed confectum anteà divinis laudibus decantatis absumitur.... Ea apud Græcos in maxima est consideratione, et non nunc primùm, sed à multo tempore, et ante Concilium ipsum Trullanum in quo illius mentio habetur Can. 52... *In omnibus sanctæ Quadragesimæ jejunii diebus, præterquam sabbato et Dominicâ, et sancto Annuntiationis die fiat sacrum præsanctificatorum.* Et si non displicet absque nomine in Concilii Laodiceni canon. 49... *non oportere in Quadragesima panem offerre, nisi sabbato, et die Dominico tantùm.* Namque præter hos dies Græci in aliis, dummodò Annuntiationis solemnitas non aliam quàm hanc *ton proegiasmenon* celebrant, in qua Corpus Christi die Dominico in Missa confectum absumitur. Tum siquidem quilibet Sacerdos venturæ hebdomadis dies, quibus celebraturus est, digitis ipse suis numerat. Indè tot particulas panis in oblatione abscindit, quot missas dicturus est, eas cum particula eo die absumenda consecratas sanguineque Dominico intinctas, uti moris est, conservat in pyxide, ex qua postmodum celebraturus tempore opportuno, cochleari, aliis ibi ad alium usum relictis, haurit, et in disco reponit, et in altare majus advectam consumit... Non desunt hujusce Missæ vestigia apud antiquos, et potissimùm Socratem lib. 5. Hist. cap. 22... *Rursùs in Alexandria quartâ feriâ, et eâ quæ dicitur, Parasceve, et leguntur Scripturæ, et Doctores eas interpretantur, et omnia, quæ ad synaxim spectant, administrantur, præter mysteriorum consecrationem...* Præsanctificatorum quoque meminerunt Joannes Episcopus Citri in Responsis, Manuel Patriarcha in Sanctis, et Nicephorus Patriarcha in Canonibus.

Epist. ad Bertoldum Nihusium Episc. in calce Libri de Conformit. Eccl. Occid. et Orient. Apud Græcos Missa præsanctificatorum diebus tantùm magni Jejunii ante Pascha, exceptis sabbatis et diebus Dominicis et die Annuntiationis celebratur. In ea neque panis neque vinum consecratur, sed ex pane præsanctificato in alia Missa assumentes, Missam peragunt, ideoque præsanctificata nuncupantur.

JOAN. BONA S. R. E. Cardinalis *Rerum Liturg. Lib.* 1. *cap.* 15. *n.* 5. Est denique Missa præsanctificatorum, quæ tamen æquivocè dicitur Missa, cùm careat consecratione corporis et sanguinis Jesu Christi. De ea scripsit Leo Allatius eruditissimam et omnibus numeris absolutam Dissertationem ad Bertoldum Nihusium, editam in fine operis de Ecclesiæ Occidentalis atque Orientalis perpetua consensione, in qua curiosus lector quidquid ad eam pertinet, reperiet. Basilio et Chrysostomo antiquior est, ejusque origo ad Synodum saltem Laodicenam referri debet, quam Baronius anno 314. Nicænam antecessisse ostendit. Sanctum enim in ea fuit can. 49. *non oportere in Quadragesima panem offerre, nisi sabbato et Dominicis tantùm.* Quibus diebus fiat, ostendit can. 52. Concilii Trullani. *In omnibus*, inquit, *sanctæ Quadragesimæ jejunii diebus, præterquam sabbato et Dominicâ, et sancto Annuntiationis die, fiat sacrum Præsanctificatorum ministerium.* Hunc morem adhuc servat Orientalis Ecclesia, Occidentalis autem eo nunquam utitur, aut usa est, nisi feriâ sextâ majoris hebdomadæ. Ritus ejus apud Græcos hic est. Die Dominicâ præter illius diei oblationem quinque alios panes consecrant pro totidem sequentibus feriis usque ad sabbatum. Tum singulis diebus sub vesperam conveniunt in Ecclesia, et in ipso vespertinarum precum officio sacramentum anteà consecratum, proponunt et sumunt, præmissis Psalmis gradualibus, et recitatis quibusdam Canticis, Lectionibus, et Orationibus quæ legi possunt in Euchologio cum notis Goar. pag. 187. et

* τῶν προηγιασμένων.

Exstat etiamnunc apud nos vestigium antiqui illius ritûs : nam feriâ sextâ in Parasceve Sacerdos ex præsanctificatis sub sola specie panis sine oblatione sacrificii communicat. Olim et populus ea die non secùs ac Sacerdos ex præsanctificatis communicabat : idque fit etiamnum in nonnullis Ecclesiis Galliarum. Idem observatur ex ritu antiquissimo apud Græcos singulis diebus jejunii Quadragesimalis, in quibus sine Sacrificii oblatione communicant sub specie panis Dominicâ superiore præsanctificati. (1)

sequentibus. Et quia panem anteà consecratum, et sanctificatum sumunt, vocant hoc Officium præsanctificatorum, sive antè consecratorum : quo in sola Quadragesima, non in aliis jejuniis utuntur, quia ut ait Theodorus Balsamon in notis ad prædictum canonem Trullanum, hoc jejunium præcipuum est, magisque solemne, et à Domino institutum.

Cap. 18. *n.* 2. Apud Græcos dies aliturgici erant, et hodie item sunt omnes dies Quadragesimæ, quibus Missâ præsanctificatorum utuntur, exceptis sabbato, Dominicâ, et die Annuntiationis. Diem sabbati Alexandriæ et Romæ Liturgiâ olim caruisse testatur Socrates lib. 6. hist. Eccl. cap. 21. *De synaxi*, inquit, *variæ consuetudines sunt : nam quanquam omnes ubique in orbe terrarum Ecclesiæ singulis septimanis vertentibus die sabbati mysteria celebrant, Alexandrini tamen et Romani ex antiqua traditione istud facere renuunt.* Addebant sabbato Alexandrini feriam quartam et sextam, ut idem asserit eodem loco. *Rursùs*, ait, *Alexandriæ quartâ feriâ et eâ quæ dicitur Parasceve, et leguntur Scripturæ, et Doctores eas interpretantur, omniaque quæ ad synaxim pertinent administrantur, præter mysteriorum celebrationem.* Socrati adstipulatur eisdem ferè verbis Nicephorus Callistus lib. 12. cap. 34. Ecclesia Mediolanensis sextas quasque ferias Quadragesimæ sine sacrificio transigit, ut suprà dictum est cap. 10. In eadem Quadragesima officio Missæ caruit feria quinta, usque ad Gregorium II.

(1) Concil. in Trullo *can.* 51. *ann.* 692. In omnibus sanctæ Quadragesimæ jejunii diebus, præterquam sabbato, et Dominicâ, et sancto Annuntiationis die fiat sacrum præsanctificatorum ministerium.

Vetus Ordo Romanus. I. *n.* 8. *in Museo Italico* D. Joan. Mabillon. *tom.* 2. Feriâ 6. majoris hebdomadæ... Presbyteri duo priores mox ut salutaverint (crucem) intrant in Sacrarium, vel ubi positum fuerat corpus Domini, quod pridie remansit, ponentes eum in patenam, et Subdiaconus teneat ante ipsos calicem cum vino non consecrato, et alter Subdiaconus patenam cum corpore Domini, quibus tenentibus, accipit unus Presbyter prior patenam, et alter calicem, et deferunt super altare nudatum... Salutatâ (cruce) et repositâ in loco suo, descendit Pontifex ante altare, et dicit : *Oremus, Præceptis salutaribus, Pater noster.* Sequitur, *Libera nos quæsumus Domine.* Cùm dixerint, *Amen*, sumet de sancta, et ponet in calice nihil dicens, et communicant omnes cum silentio.

Vet. Ord. Rom. x. *n.* 13. *Ibid.* Tunc junior Presbyterorum Cardinalium ferat adornatum capsidem, cum Dominico corpore hesternâ die reservato : et sic Subdiaconus cum Papali cruce Processionem præcedente, omnes discalceati sine cantu psallendo ad Ecclesiam sanctæ crucis.... procedant... Cùm autem illuc pervenerint, ingrediantur Ecclesiam sine cantu, et prostrati in medio Ecclesiæ diutiùs orent. Presbyter qui portat Corpus Christi, in Secretario ponat illud, dum Dominus Papa præparat se. Illo præparato, reportet illud ante Dominum Papam in processione ad altare... Præeunte eum (Papam) Cruce et Evangelio, sine luminaribus et incenso, cum silentio ordinatè ad altare procedant : et tunc omnes prostrati diutiùs orent.

N. 14. Interim autem Ministri unam tantùm tualeam extendant super altare nudatum.... Adoratâ cruce Diaconus expandat Corporale super altare : super quo posito corpore Domini, et calice cum vino et aquâ, dicat Pontifex plenâ voce, ut mos est, sine *per omnia secula seculorum. Amen. Oremus. Præceptis salutaribus moniti*, etc. *Pater noster.* Similiter in eadem voce, *Libera nos. Oremus. Quæsumus Domine.* Finitâ verò ora

I. Quam nobis observationem superiùs narrasti factam ad detegendos hæreticos ex communione sub unica specie ?

R. Rem explico. (De Manichæorum secta jam satis diximus in prima Parte hujus Operis.) Illi abhorrebant à vino præ religione : existimabant enim vinum per se malum esse, utpote creatum, inquiebant, à malo principio. Illis hæreticis magna aliundè semper cura fuit occultare suam hæresim, simulare se Catholicos, et ideò mendaciis et perjuriis favebant impensiùs. Accedebant ergo illi cum fidelium vulgo ad sacram Synaxim, communicabant cum Orthodoxis ; et quia fas erat unicuique ex ritu illorum temporum sacram communionem accipere pro beneplacito, vel sub una, vel sub utraque specie, summâ religione abstinebant illi à specie vini ; nec ea res movit quemquam, donec innotuit tandem summo Pontifici Manichæos non paucos Romæ latere, hæresimque suam occultè spargere. Hinc factum ut in suspicionem Manichæismi venerint, qui consultò abstinebant à sumptione

tione, *Pax Domini*, non dicatur. *Agnus Dei*, non cantatur, nec pacis osculum datur, nec Postcommunio cantatur.

N. 15. Communicat autem solus Pontifex sine ministris, non ad sedem solemniter, sed ibi tantùm eo die ante altare, ob humilitatem reverentiæ Dei et Passionem Christi.

VET. ORD. ROM. XI. *n.* 42. *Ibid.* In Parasceve Episcopus hebdomadarius facit officium in Basilica Salvatoris... Quidam Cardinalis honorificè portat corpus Domini præteriti diei, conservatum in capsula corporalium : Subdiaconus regionarius ferens ad pectus crucem stationalem coopertam. Cùm venit ad Ecclesiam prædictæ Basilicæ Pontifex, lotis pedibus, calceatus ascendit ad altare : priùs orat, et posteà residet... Peracto, *Pater noster qui est in cœlis*, accipit corpus Domini, quod Cardinalis adduxerat, et confirmat de vino misso in calice.

VET. ORDO ROM. XII. *n.* 28. *Ibid.* Deindè juniori Presbytero Cardinali accepto corpore Christi in capsella ante pectus suum, hesternâ die reservato, et alio prædictam Crucem accipiente, et Subdiacono regionario cum populo suo præcedente, omnes discalceati cum Domino Papa et Primicerio, sine cantu psallendo Psalterium, pergunt ad sanctam crucem.

N. 29. Osculatâ verò cruce à clero et populo, Dominus Papa revertitur ad altare : et factâ confessione „.... sine incenso „.... communicat de corpore Christi, quod Cardinales adducunt.... Pontifex verò non communicat ad sedem, sed ante altare ob humilitatem reverentiæ Dei et Passionis Christi.

AMALAR. FORTUNAT. Episc. Trevirens. *lib.* 1. *de offic. Eccles. cap.* 15.... Duo Presbyteri afferant post salutationem crucis corpus Domini, quòd pridie reservatum fuit, et calicem cum vino non consecrato, quod nunc consecratur, et indè communicet populus. De qua observatione interrogavi Romanum Archidiaconum, et ille respondit : In ea statione ubi Apostolicus salutat crucem, nemo ibi communicat. Qui juxta ordinem libelli per commixtionem panis et vini consecrat vinum, non observat traditionem Ecclesiæ, de quâ dicit Innocentius, *Isto biduo sacramenta penitùs non celebrari.*

HUGO à S. VICTORE *lib.* 3. *de specialib. Missæ observat. cap.* 20.... Quæritur quare hac die (Paraseves) Missa non cantetur, sed Corpus Christi reservatum die præcedenti sumatur. Ad quod dicitur ex decreto Innocentii Papæ, Missam hoc biduo non celebrari, ut in Pastoribus Ecclesiæ status temporis illius apud Apostolos ostendatur, qui sicut Prophetæ prædixerat, (*Zach.* XIII. 7.) percusso pastore dispersi erant.... Quæritur iterum quare hac die non sumatur sanguis Christi sicut et caro Christi.

Eucharistiæ sub specie vini. Ut ergo res faciliùs innotesceret, summus Pontifex præcepit : *suspectos qui sub utraque specie communicare et quasi ex lege et tanquam rem illicitam vini speciem sumere semper detractarent, notari, et ad se deferri et pro Manichæis haberi, donec apud Pontificem et ex illius judicio de eorum fide Orthodoxa constaret.* (K) Certè illud præceptum non ubique vulgatum est, sed iis solùm in locis, ubi suspicio Manichæismi pervaserat, nec obtinuit præceptum illud nisi quandiù hæc suspicio duravit. Undè tantùm abest ut faveat Lutheranis et Calvinistis, ut potiùs ex illo eruatur argumentum efficacissimum ad probandam Communionem sub una specie. Si enim Ecclesia existimasset Communionem sub utraque specie necessariam prorsùs esse, quì fieri potuisset ut tandiù Manichæi sine sumptione calicis communicarent? Cur ea lex non ubique, non semper obtinuit? cur tam citò obsolevit?

I. Ergo non existimavit Ecclesia à Christo præceptam fuisse Communionem sub utraque specie?

R. Existimavit semper Ecclesia præceptam fuisse Communionem sub utraque specie Sacerdotibus, dum actu sacrum offerunt sacrificium : cæteris autem omnibus ex Christi institutione liberum esse vel sub una, vel sub utraque specie communicare. Illudque ad substantiam Communionis non pertinere ullatenùs, sed posse Ecclesiam ea de re variè statuere pro rerum exigentia quod voluerit. (L)

Ad quod dico, quòd utrumque sub utraque specie sumitur. Sed quia species vini labilis non potest tutò reservari, sine ea Corpus Christi reservari constitutum est.

(K) S. Leo *Serm. 4. in Quadrag. cap. 5. post hæc verba*, cùmque ad tegendum, etc. *suprà hocce §. litt.* (B) Quod ideò vestram volumus scire sanctitatem, ut vobis hujuscemodi homines, et his manifestentur indiciis, et quorum deprehensa fuerit sacrilega simulatio, notati et prohibiti à sanctorum societate sacerdotali auctoritate pellantur.

Decreti *Part. 3. de Consecrat. dist. 2. can. 12.* Comperimus autem, quòd quidam sumptâ tantummodo corporis sacri portione, à calice sacri cruoris abstineant : qui proculdubio (quoniam nescio quâ superstitione docentur obstringi) aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur : quia divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire.

(L) Concil. Trident. *Sess. 21. cap. 1.* Itaque sancta ipsa Synodus, à Spiritu sancto.... edocta, atque ipsius Ecclesiæ judicium et consuetudinem secuta, declarat ac docet, nullo divino præcepto laïcos, et clericos non conficientes, obligari ad Eucharistiæ Sacramentum sub utraque specie sumendum : neque ullo pacto, salvâ fide, dubitari posse, quin illis alterius speciei communio ad salutem sufficiat : nam, etsi Christus Dominus in ultima cœna venerabile hoc Sacramentum in panis et vini speciebus instituit, et Apostolis tradidit; (*Matth.* xxvi. 26. *etc.*) non tamen illa institutio et traditio eò tendunt, ut omnes Christi fideles statuto Domini ad utramque speciem accipiendam adstringantur. Sed neque ex sermone illo, apud Joannem sexto, rectè colligitur, utriusque speciei communionem à Domino præceptam esse, uteumque juxta varias sanctorum Patrum et Doctorum interpretationes intelligatur. Namque qui dixit (*Joan.* vi. 54.), « nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis » ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis; *dixit quoque* (*Ibid.* 52.), » si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum : *et qui dixit* » (*Ibid.* 55.), qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem,

Et certè ipsi Calviniani coguntur vel inviti idem nobiscum ea de re sentire : nam in Libro qui Disciplinam eorum exhibet, habetur expressè abstemios, qui naturâ à vino abhorrent, posse communicare sine sumptione calicis. (M) Et Lutherus in libro de captivitate Babylonica fatetur nullum exstare præceptum de Communione sub utraque specie.

I. Christus tamen dando calicem Apostolis dixit : (*Matth.* XXVI. 27.) *Bibite ex hoc omnes ?*

R. Hæc verba dicta sunt solis Apostolis tunc cum Christo recumbentibus, qui ut dicitur in Evangelio : (*Marc.* XIV. 23.) *biberunt ex eo* (calice) *omnes.* (N) Id patet ex supradictis.

I. Cur Ecclesia Communionem sub una vel sub utraque specie putat non ad substantiam Communionis, sed ad disciplinam mutabilem pertinere ?

R. Quia novit Ecclesia Christum sub alterutra specie totum contineri, et totum Christum manducari ab eo qui sub alterutra specie communicat, non secùs ac ab eo qui sub utraque. Id jam suprà probavimus. (*Hujusce Cap.* §. IV.)

Adde quòd Ecclesiæ fides et disciplina ea de re fundamentum habet in Scripturis. Paulus enim Apostolus ait reum esse corporis et sanguinis Domini, qui vel Corpus vel Sanguinem Domini indignè sumpserit. *Quicunque manducaverit panem hunc* VEL *biberit*, nota verbum hoc (VEL) *vel biberit calicem Domini indignè*, (1. *Cor.* XI. 27.) *reus erit corporis et sanguinis Domini.*

I. Nunquid et ait Apostolus : (*Ibid.* 28.) *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat ?* vult ergo sub utraque specie communicari.

R. Ait certè : quia mox erat eo tempore sub utraque specie communicare, sed non propterea necessariam censet utriusque speciei sumptionem ; contrarium patet ex verbis Apostoli mox laudatis.

I. Nonne Christus ait : (*Joan.* VI. 54.) *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ergo vult Christus Communionem sub utraque specie necessariam esse ad salutem ?

R. 1. Fateantur ergo Calviniani, qui testimonium hoc nobis objiciunt, in eo agi de sacrosancta Eucharistia : nos verò facilè probabimus non agi propterea in eo de Communione

» habet vitam æternam : *dixit etiam* (*Ibid.* 52.) : panis, quem ego dabo, » caro mea est pro mundi vita. *Is denique, qui dixit* (*Ibid.* 57.) : qui man» ducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego » in illo, *dixit nihilominùs* (*Ibid.* 59.) qui manducat hunc panem, vivet » in æternum. »

Cap. 2. *Vide suprà litt.* (A) *hocce* 2.

(M) LA DISCIPLINE DES EGLISES RÉFORMÉES de France *en* 1658. *in-quarto*, *chap.* 12. *art.* 7. On doit administrer le pain de la Cène à ceux qui ne peuvent boire du vin, en faisant protestation que ce n'est par mépris, et faisant tel effort qu'ils pourront, même prenant la coupe pour obvier à tout scandale.

(N) MARC. XIV. 23. Et acceplo calice, gratias agens, dedit eis ; et biberunt ex illo omnes.

sub utraque specie. Hæc Calviniani dicta censent de necessaria fide in Christum incarnatum ; non possunt ergo testimonium nobis opponere.

Sed quoniam opponitur illud nobis et à Lutheranis, qui illud de Eucharistia intelligunt, Respondeo 2° Hæc quidem verba à Christo fuisse dicta : sed et ibidem (*v.* 59.) dixisse Christum : *Qui manducat hunc panem vivet in æternum*, ubi nulla mentio calicis. Sed sive sub una, sive sub utraque specie communicetur, non corpus Christi solum, non solus Christi sanguis sumitur, sed totus Christus constans corpore et sanguine et animâ et divinitate, ut jam diximus. (*Hujusce Cap.* §. 4.) Undè nihil ex testimoniis illis probatur adversùs Ecclesiæ fidem et ritum.

I. Suprà dixisti liberum olim fuisse singulis fidelibus vel sub una, vel sub utraque specie communicare : cur ergo jam illis per Ecclesiam non licet communicare sub utraque specie ?

R. 1. Jam diù ubique obsoleverat ritus communicandi sub utraque specie, cùm tulit Ecclesia Decretum de non communicando sub specie vini.

2. Non sponte tulit Ecclesia hoc Decretum ; sed hæreticorum erroribus factum est, ut ad illos errores comprimendos decretum hoc ferre cogeretur.

3. Facilè concederet etiam nunc calicis usum Ecclesia populo Christiano, nisi habitâ singularum circumstantiarum ratione ; plus incommodi subesse putaret in usu calicis concedendo, quàm in negando.

Totam hanc responsionem fusiùs explico.

Certum est calicis usum sine ulla lege Ecclesiæ sensim fuisse abrogatum. Multa locum dedêre huic mutationi. 1. Communio ægrotorum quæ dabatur ut plurimùm sub sola panis specie. 2. Penuria vini plurimis in regionibus. 3. Numerus eorum qui sic à vino naturaliter abhorrebant, ut ne ejus quidem ferre odorem possent. 4. Incommoda gravia ex sanguinis Christi effusione sæpiùs evenientia. Huic incommodo quibusdam in locis occurrere tentatum est, intinctam in specie vini panis speciem dando, atque ita utramque simul speciem ; sed non probavit hunc ritum Ecclesia Latina, antiquitatis tenacior ; hincque frequentior multò factus est usus sub unica specie communicandi, tandem ferè apud omnes Ecclesias invaluit. (O)

(O) Isaac Habert *in Pontif. Græcor. observat.* 10. *ad partem* 10. *Liturgiæ Ordin. n.* 5. Observatione dignum est, Eucharistiam aliquando sub panis specie seorsim porrectam fuisse, contra quàm fit hodiè apud Græcos, qui laïcis micellam sancti panis calici injectam et intinctam cum cochleari porrigunt.... Nunc communicant laïci porrecto eis corpore simul et sanguine ex cochleari. Excipiendus Imperator cui seorsim particula, deindè calix porrigebatur.... « Patriarchæ sanctum calicem tenente, ipse admovet os calici, ut Sacerdotes. » Sed hoc in coronatione, ut et narrat Nicetas in Alexio filio, Andronicum jurasse, manibus temerè ad calicem prehendendum extentis.

Emin. Card. JOAN. BONA *Rerum Liturg. lib. 2. cap. 18. n. 1.* Præter ea quæ dicta sunt, ad veteres ritus Eucharistiæ pertinet Communio sub utraque specie novissimis hisce temporibus inter Catholicos et Hæreticos acerrimè controversa. Omissis autem disputationibus, in his duntaxat immorabor quæ ad veterem administrandæ Communionis sub una vel duplici specie consuetudinem spectant, ad duo puncta brevissimè redigens quidquid spissis voluminibus de hoc argumento à viris præstantissimis scriptum est : an videlicet communio sub utraque specie semper in usu fuerit : et an permissum olim sit sub una tantùm communicare. Facilè autem utraque lis componi potest, si Communionem publicam intra Missarum solemnia à privata extra Ecclesiam et Synaxim distinguamus. Certùm quippè est omnes, clericos et laïcos, viros et mulieres sub utraque specie sacra mysteria antiquitùs sumpsisse, cùm solemni eorum celebrationi aderant, et offerebant, ac de oblatis participabant. Extra Sacrificium verò, et extra Ecclesiam semper et ubique Communio sub una specie in usu fuit. Primæ parti assertionis consentiunt omnes tam Catholici, quàm Sectarii ; nec eam negare potest qui vel levissimâ rerum Ecclesiasticarum notitiâ imbutus sit. Semper enim et ubique ab Ecclesiæ primordiis usque ad seculum XII. sub specie panis et vini communicarunt fideles, cœpitque paulatim ejus seculi initio usus calicis obsolescere, plerisque Episcopis cum populo interdicentibus ob periculum irreverentiæ et effusionis, quod inevitabile erat auctâ fidelium multitudine, in qua deesse non poterant minùs cauti et attenti ac parùm religiosi. In ordine Cisterciensi statutum olim fuit, ne ulla persona Ordinis, exceptis Ministris altaris sacris vestibus indutis, ad sacrum calicem pro percipiendo sanguine accedere præsumeret, propter periculum et scandalum evitandum. Ob eamdem causam Rodulfus Abbas S. Trudonis, qui vivebat anno 1110. removeri à laïcis calicem suadet his versibus :

Hîc et ibi cautela fiat, ne Presbyter ægris
Aut sanis tribuat laïcis de sanguine Christi,
Nam fundi posset leviter ; simplexque putaret,
Quòd non sub specie sit totus Jesus utraque.

Sic paulatim, ut dixi, introducta est Communio sub sola specie panis, posteaquam intolerandi abusus religiosos Antistites ad abrogandum communem calicis usum induxerunt. Moribus enim immutatis, leges quoque mutandæ sunt, quæ aliquando utiles atque optimæ fuerunt. Hæc autem mutatio facta est primùm à diversis Episcopis in suis Ecclesiis, deindè à Synodo Constantiensi canonicà sanctione pro omnibus stabilità, nullo profectò spiritualis refectionis detrimento, ut fideles experiuntur ; nullâ divinæ legis transgressione : quia communio sub utraque specie nec divinitùs instituta fuit, nec unquam antiqui Patres eam ad salutem necessariam esse docuerunt. Objiciunt aliqui Canonem Gelasii apud Gratianum de consecr. dist. 2. *Comperimus*, adversùs eos qui sumptâ tantummodò corporis sacri portione, à calice abstinebant : sed ex ipsa lege manifestè cognoscitur, sanctum Pontificem assertioni nostræ non adversari. « Comperimus, *ait*, quòd quidam sumptâ tantummodo corporis sacri portione, à calice sacri cruoris abstineant ; qui procul dubio, (quoniam nescio quâ superstitione docentur obstringi) aut integra sacramenta percipiant, aut integris arceantur : quia divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire. » Illos igitur ferit hic Canon, qui calicem respuebant, non quia crederent Communionem sanguinis non esse necessariam, cùm integer Christus sub specie panis sumatur ; sed quia moti quadam superstitione à calice abstinebant. Erat autem hæc superstitio Manichæorum, qui cùm dicerent vinum esse fel principis tenebrarum, et à diabolo creatum, Communionem sub specie vini sumere recusabant, ut testatur Leo Magnus Serm. 4. de Quadrag. in quo de illis disserens inter cætera ait : « Cumque ad tegendam infidelitatem suam nostris audeant interesse mysteriis, ita in sacramentorum communione se temperant, ut interdùm tutiùs lateant : ore indigno corpus Christi accipiunt, sanguinem autem redemptionis nostræ haurire omninò declinant. Quod ideò vestram volumus scire sanctitatem, ut vobis hujuscemodi homines, et his

» manifestentur indiciis, et quorum deprehensa fuerit sacrilega simu-» latio, notati et prohibiti à sanctorum societate sacerdotali auctoritate » pellantur. » Ex his apparet adversùs Manichæos promulgatam hanc legem; qui, ut ait Anastasius, temporibus Gelasii inventi sunt in urbe Roma, et in exilium deportati, eorumque Codices ante fores Basilicæ S. Mariæ incendio concremati. Ut igitur latitantes sub catholico nomine proderentur, idem remedium adhibuit Gelasius, quo pridem Leo usus fuerat, præcipiens ut sub utraque specie omnes communicarent: ne si Catholici à calice abstinerent, se de hæresi Manichæorum suspectos redderent: aut ipsi Manichæi eo signo detegi non possent, si idem facerent quod Catholici, sub specie sola panis communicantes. Cùm verò rationem reddens sanciti Decreti, ait divisionem mysterii sine grandi sacrilegio provenire non posse, eosdem Manichæos perstringit, qui haustum vini respuentes tanquam fel diaboli, divina mysteria proculdubiò mutilabant, seque grandi sacrilegio obstringebant. Notabile est quod Princeps Theologorum docet 3. part. quæst. 80. art. 12. ad 2. « Per-» fectionem videlicet hujus Sacramenti non in usu fidelium, sed in con-» secratione materiæ sitam esse, et ideò nihil derogat perfectione hujus » Sacramenti, si populus sumat corpus sine sanguine, dummodò Sacer-» dos consecrans sumat utrumque. » Nec Manichæos à sanctis Patribus reprehensos, et ab Ecclesia damnatos legimus, quòd sub unica specie communicarent, sed quia, ut diximus, à consecratione et communione calicis tanquam à re mala diabolica abstinendum esse sacrilego errore dicebant.

N. 2. Sic primâ assertionis parte luculenter comprobatâ, ad alteram transeundum est, quæ veterum Patrum doctrinâ et praxi, totiusque Christiani orbis consensu, atque inconcusso catholicæ fidei firmamento stabilita, à nemine, cui scintilla rationis adsit, negari poterit. Quid enim clarius et frequentius in veteri historia quàm Communio sub una specie? Hanc evincunt exempla superiùs allata de Eucharistia domi asservata, ad absentes transmissâ, atque in longis itineribus ac navigationibus à fidelibus delatâ, utique in sola specie panis, cùm ferret occasio, sumendâ. Nec aliter communicabant Anachoretæ in vastis solitudinibus, quàm particulis quas secum ferebant, cùm in solemnioribus festis ad Ecclesiam conveniebant; vel ad eos mittebant aut portabant Sacerdotes. Vinum siquidem diu conservatum acescit, et corrumpitur, nec potest sine periculo effusionis longè portari. Sancta virgo Theoctiste Lesbia, cùm 35. annis in insula Paro solitaria vixisset, inventa à viro seculari et venatore, rogavit eum ut anno sequenti unum ex intemeratis donis corporis Christi ad illam afferret, quod ille attulit, eoque accepto migravit ad cœlum, ut narrat Metaphrastes apud Surium die 10. Novembris. Lucas junior Monachus, cujus vitæ excerpta edidit Franc. Combefis tom. 2. Auct. Biblioth. Patrum, cùm à Corinthi Archiepiscopo quæsivisset, quomodo Solitarii horrenda mysteria percipere possent, apud quos nec Synaxis erat, nec Sacerdos: Respondit ille, decere Sacerdotem adesse, quòd si non adsit, conservandas sacras particulas, sumptoque Christi corpore, loco sacri laticis vini poculum bibendum, vini scilicet non consecrati, qui sanguinis locum suppleret: idque ex more qui tunc apud Solitarios vigebat. Semper etiam fuerunt homines vel ex nativitate, vel ob infirmitatem abstemii, qui nec quidem odorem vini ferre possunt. Accessit et conversio gentium Aquilonarium, apud quas nec vinum nascebatur, nec facilè ferri poterat. Hoc autem vel privare debemus divinæ mensæ participatione, vel dicendum solà panis specie communicasse. Legimus enim in quibusdam regionibus vix repertum à fidelibus per eas iter agentibus vinum pro Sacerdote celebrante. Græci sub una specie communicant toto tempore Quadragesimæ, quo Præsanctificatis utuntur, exceptis Sabbatis et Dominicis. Aliis diebus quamvis doceant faciendam Communionem sub utraque specie, factam tamen sub una non damnant. Nec unquam legimus aut Græcos à Latinis ob duplicem speciem, aut Latinos à Græcis ob unicam reprehensos fuisse: nec ipsi Græci, qui post Schisma nullam occasionem prætermiserunt vexandi Latinos, hoc dissimulassent, si utramque speciem ex præcepto Christi necessariò sumendam credidissent. Imò ipsi ægrotis et moribundis sub una tantùm præ-

bent : nam singulis annis Feriâ 5. majoris hebdomadæ panem recentem solito majorem præparant, et consecrant, cujus quartam partem Sacerdos absumit, tres reliquas in minutulas particulas comminuit, quas *Meridas*, et communiori vocabulo *Margaritas*, vocant. Sed anteà consecratum panem Christi sanguine leviter humectant, tum sacro disco ignem subjicientes cunctum humorem exprimunt, et sic adeò indurescit, ut per totum annum à corruptione immunis servari possit. A pane verò eà ratione exsiccato modicum illud vinum quo imbutus fuerat omninò evanescit, et consequenter remanet sub sola specie panis corpus Christi, quod ad ægrotum, cùm opus est, deferentes, priùs extrahunt è pyxide margaritam unam, et in cochleari vino communi perfundunt, ut emollescat; eaque sic perfusà illum communicant. Agit de hoc ritu Græcorum doctè et diffusè Leo Allatius Epist. 2. ad *Nihusium in suis symmictis lib.* 1. Infantibus verò dant Græci more antiquo Eucharistiam sub sola specie vini, cochlear sanguine intinctum ori ipsorum inferentes ut lambant, quibus posteà matres vel nutrices à sanctuario recedentes ubera præbent, ut sanguinem simul cum lacte deglutiant, ut idem Allatius asserit in Annotationibus de Communione Orientalium additis ad Tract. de Consensione utriusque Ecclesiæ. Exstat ibidem testimonium Abrahami Ecchellensis Maronitæ, asserentis non solùm Maronitas, sed et reliquas nationes Orientales sub unica specie Communionem præbere ægrotis, pastoribus, rusticis, et aliis qui Ecclesiam adire non possunt, ad quos calicem deferre nec solent, nec tutum esset propter infideles, quorum dominio subsunt, et propter locorum distantiam, cùm quatuor vel sex vici Christianorum longo itinere inter se dissiti sæpè unicam habeant Ecclesiam, ad quam omnes confluere nequeunt, et unicum Sacerdotem, qui ad absentes solum panem Eucharisticum defert. Addit Gabriel Sionita Epist. ad Nihusium in Symmictis Allatii, eosdem Maronitas et reliquos Orientales infantibus sacro fonte nuper ablutis cochlear solo sanguine delibutum sugendum exhibere: iter quoque longum ingressuris et profecturis ad bellum sacrum, donum sub una specie panis secum ferendum concedi, ut ipsum sumant vitæ discrimine imminente. Quod verò subjungit, duobus hisce casibus exceptis, cæteros omnes cujusvis ætatis et conditionis sub utraque specie communicare, id sacerdotes Maronitæ in urbe degentes à me consulti de his intelligendum testantur, qui intra Ecclesiam communicant. Liber enim Constitutionum Ecclesiæ Orientalis, quem citat Abraham Ecchellen. Epist. ad Nihusium, postquam decrevit cap. 3. sect. 3. non licere Sacerdoti præbere corpus sine sanguine, statim subdit; *exceptis ægrotis, et qui longè distant ab Ecclesia, et qui impedientibus sunt distracti negotiis, ut sunt pastores et agricolæ, qui incolunt villas, nec habent Ecclesias, nec Ecclesiam remotam adire possunt : similiter quoque mulieres, præsertim cùm timetur ne hinc accidat eis ignominia aliqua propter itineris distantiam : deferre autem ad hos calicem, periculosum est valdè, ideoque corpus sine sanguine detur illis.* Simili modo apud Abassinos viaticum moribundis præberi sub unica specie panis, Lucas Holstenius ad Nihusium scribit ex certa et fida Sacerdotis Abassini relatione : idque mihi sciscitanti duo ejus nationis Monachi viri graves et senio venerabiles, quos per interpretem allocutus sum, confirmarunt. Ipse Christus duobus Discipulis euntibus in Emmaûs sub sola specie panis corpus suum præbuit, ut asserit Augustinus lib. 3. de Consensu Evangelistarum cap. 25. ubi explicans verba illa : *Oculi eorum tenebantur, ne eum agnoscerent*, ait : *Non incongruenter accipimus, hoc impedimentum in oculis eorum à Satana factum fuisse, ne agnosceretur Jesus : sed tamen à Christo facta est permissio usque ad sacramentum panis, ut unitate corporis ejus participatâ, removeri intelligatur impedimentum inimici, ut Christus possit agnosci.* Patet autem calicem à Domino consecratum non fuisse, quia cùm illis porrexisset panem, illicò evanuit. Non nego aliquando simul cum corpore Christi sanguinem quoque extra Ecclesiam delatum : in vita enim S. Mariæ Ægyptiacæ à Sophronio conscripta legimus, quòd cùm in vasta eremo annis 47 vitam rigidissimam egisset, ab Abbate Zosimo Dei nutu reperta, sibique mortem imminere cognoscens, rogavit illum ut reversus in Monasterium divini corporis et vivifici sanguinis portionem in vase sacro

sibi afferret, quia nunquam communicaverat, ex quo desertum ingressa fuerat. Ille verò statuto tempore mittens in modico calice intemerati corporis et pretiosi sanguinis portionem ad eam attulit, quæ susceptis sacris mysteriis in pace quievit. Sed hoc exemplum, et alia similia, si quæ adsunt, utramque speciem necessariò sumendam esse non evincunt, et contrariâ totius Ecclesiæ praxi obruuntur. Ideò Synodus Tridentina à Spiritu sancto edocta, ac ipsius Ecclesiæ judicium ac consuetudinem secuta, declaravit et docuit, Laïcos et Clericos non conficientes nullo divino præcepto obligari ad sumendam Eucharistiam sub utraque specie : deindè perpetuò fuisse in Ecclesia potestatem in administratione sacramentorum, ea mutandi et statuendi, quæ suscipientium utilitati, et illorum venerationi, salvâ manente substantiâ, pro rerum, temporum, et locorum varietate magis expedire judicaret. Quare gravibus ac justis causis adducta veterem consuetudinem sumendi Eucharistiam sub utraque specie, quæ jam ferè desierat, alterà commutavit, sub una duntaxat communicandi, atque hanc pro lege habendam decrevit. Quamvis autem ipsum Concilium summi Pontificis prudentiæ discutiendum reliquerit, an Communio sub utraque specie alicui regno vel nationi permittenda quandoque foret, docuit tamen experientia rerum magistra, id nec utile Reipublicæ Christianæ, nec salutare petentibus esse. Constat ex Actis consistorialibus, Pium IV. ann. 1564. sacro cœtui Cardinalium sæpiùs repetitas Ferdinandi Imperatoris preces retulisse, quibus Germanicæ nationi usum calicis concedi postulabat. Id ni fieret, brevi futurum ut grassantem in illis provinciis hæresim omnes amplecterentur : hunc verò usum unicum tanto malo remedium esse. Quâ spe motus optimus Pontifex Episcopis Germaniæ facultatem dedit deputandi Sacerdotes, qui servatis quibusdam conditionibus, Fidelibus laïcis communionem sub utraque specie præberent. Verùm nec fructus indè provenit qui sperabatur, nec petentium saluti aut deviorum reductioni id profuit : imò statim irrepserunt abusus, adeò ut Pius V. anno vix elapso, coactus fuerit quidquid de hac re Pius IV. permiserat revocare, præcipiens sub pœna excommunicationis, ut Decretum de communione sub una specie ab omnibus inviolabiliter servaretur.

N. 3. Græci hodie traditâ sibi ante aliquot secula à majoribus suis consuetudine, sub utraque specie, non seorsùm sed simul mixtâ, populum communicant. Sacras enim particulas sanguine perfusas Sacerdos distribuit, singulis singulas præbens parvo cochleari, cujus tenue et oblongum manubrium est in parvam crucem desinens, quas singuli ore excipiunt. Suspicatur Arcudius lib. 3. cap. 53. hanc Communionem originem traxisse ex facto mulieris Macedonianæ suprà commemoratæ, quæ celebrante Chrysostomo se Catholicam simulans, de manu ejus Eucharistiam suscepit, quam ancillæ occultè dedit, et alium panem ab eadem acceptum ori imposuit, qui in lapidem versus est. Sed nusquam lego hoc factum occasionem dedisse veterem ritum immutandi, et ex Scriptis Chrysostomi constat Diaconum sanguinem distribuisse : quo munere fungi desiit, cùm panis sacer sanguine tinctus cochleari præberi cœpit. Potiùs crediderim non tam fraudis evitandæ gratiâ, quàm ob periculum effusionis hunc usum introductum, ut sacra mysteria simul mixta populo dispensarentur. Humbertus Sylvæ candidæ Episcopus, in libro adversùs calumnias Græcorum, hunc ritum insectatur, sed acriùs fortassis quàm oportuit; totius enim Orientalis Ecclesiæ, et sanctorum Patrum, qui eosdem ritus usu approbarunt, auctoritatem revereri par est. Idem mos intinctum panem porrigendi viguit etiam in Ecclesia Latina : Nam Ivo Carnotens. part. 2. cap. 11. et 85. et Gratianus de consecr. dist. 2. c. *Cùm omne crimen*, afferunt Decretum Julii I. vetantis communionem intinctam, quod iisdem verbis exstat in Concilio Bracarensi III. habito anno 675. cap. 1. ubi cùm inter abusus qui irrepserant, et hunc enumerasset, quòd quidam intinctam Eucharistiam populis pro complemento communionis porrigerent, id vetat deinceps fieri, quia hoc non recipit prolatum ex Evangelio testimonium, ubi seorsùm panis, seorsùm calicis commendatio memoratur. Micrologus item cap. 19. *Non est*, inquit, *authenticum, quòd quidam corpus Domini intingunt, et intinctum pro complemento communionis populo distribuunt; nam Ordo Romanus contradicit.*

Exceptus est casus necessitatis et cautelæ in Canone Concilii Claromontani sub Urbano II. quem refert Baronius Tom. II. ex schedis Antonii Augustini. At verò Paschalis II. etiam casum necessitatis exclusit Epist. 32. ad Pontium Abbatum Cluniacensem, præcipiens ut parvuli et infirmi, qui panem absorbere non possunt, in solo sanguine communicent, hoc decentius existimans, quàm intinctam Communionem permittere. Alicubi tamen invaluit infirmos eo modo communicandi, adeò ut apud Ivonem part. 2. cap. 19. Decretum hac de re sancitum legamus à quodam Concilio Turonensi. *Omnis Presbyter*, inquit, *habeat pyxidem aut vas tanto sacramento dignum, ubi Corpus Domini cum diligentia reconditur ad viaticum recedentibus de seculo. Quæ tantùm sacra oblatio intincta debet esse in sanguinè Christi, ut veraciter Presbyter possit dicere infirmo: Corpus et Sanguis Domini nostri Jesu Christi proficiat tibi in remissionem peccatorum et vitam æternam.* Sic Patres Turonenses decreverunt; sed ratio quam afferunt quanti ponderis sit norunt Theologi: neque enim corpus Christi est sine sanguine. Alibi invaluit idem mos pro omni populo, non alia sanè de causa quàm propter cautelam, nè sanguis effunderetur. Ritus antiquus Missæ à Joanne Episcopo Abrincatensi descriptus apud Menardum in Appendice libri Sacramentorum, vetat Sacerdotem et Ministros intincto pane communicare; excipit autem populum, *quem*, inquit, *intincto pane, non auctoritate, sed summâ necessitate timore effusionis sanguinis Christi permittimus communicare.* In antiquis Consuetudinibus Monasterii Cluniacensis lib. 2. cap. 30. tomo 4. Spicilegii, Statutum exstat de communione intincta. In margine autem ex alio codice ratio addita est, id contra usum aliarum Ecclesiarum esse, permitti tamen propter Novitios et alios rudes, qui si sanguinem separatim acciperent, vix fieri posset quin aliquam negligentiam incurrerent. In Anglia adeò propagatus erat hic usus, ut eum prolixè defendat Ernulfus Roffensis Episcopus Epist. ad Lambertum Tom. 2. Spicilegii. Concilium verò Anglicanum sub Ricardo Archiepiscopo Cantuariensi. ann. 1175. cap. 15. prohibuit, ne quis quasi pro complemento Communionis intinctam alicui Eucharistiam tradat. Erat autem duplex intinctio: una cum sanguine, altera cum vino communi; et hæc etiam aliquando viguit pro pueris et infirmis, qui panem siccum deglutire non poterant. In præcitatis Statutis Cluniacensibus lib. 3. cap. 28. Communio moribundi sic describitur. *Sacerdos corpus Domini incensat, frangit, et partem quam allaturus est super calicem tenet, et tam ipse calix quàm manus Sacerdotis linteolo candidissimo cooperitur. Interea curatur, ut infirmi bucca lavetur recepturi ipsum corpus Domini, quod recipit vino intinctum, quo epotato ebibit quoque ablutionem calicis*, ne videlicet aliquod fragmentum in eo remanserit: nondum enim in usu erat panis ille tenuissimus, quo nunc utimur in sacris mysteriis, ut alibi ostensum est. De hac ipsa intinctione loquitur, ni fallor, S. Prosper cap. 6. *dimidii temporis*, ubi narrat historiam mulieris energumenæ, quæ diebus septuaginta nullum cibum, nullumque potum sumpserat. Huic Sacerdos particulam corporis Domini tinctam præbuit, vino scilicet non consecrato, sive aquâ, ut eam facilius deglutiret. Nunc omnes intinctiones abierunt in desuetudinem, cùm enim ad tollendos abusus decreta et præcepta non sufficerent, cœpit tandem Communio fieri sub una specie, nullusque locus intinctioni in Ecclesia Occidentali relictus est.

D. JOAN. MABILLON *Comment. in Ord. Rom. n. 9. Quando, et quomodo desierit Communio sub utraque specie in Ecclesia Romana.* Cùm laïcorum Communio in Ecclesia Romana haudquaquam ex puro sanguine fieret, non ita difficilis fuit transitus ad recentiorem morem, ut laïci ad unius tantùm speciei participationem admitterentur. Jam mos iste receptus erat seculo tertio decimo, id enim probant illorum temporum Scriptores, ex quibus Alexander Alensis. *Dicendum*, inquit, *quòd Christus integrè sumitur sub utraque specie, benè licet sumere Corpus Christi sub specie panis tantùm, sicut ferè ubique fit à laïcis in Ecclesia.* Atqui Communionem sub utraque specie viguisse ad initia seculi duodecimi constat ex iis qui tunc florebant Auctoribus, et Anselmo Cantuariensi Antistite, Guillelmo de Campellis, Hugone Canonico sancti Victoris, et aliis. Guillelmi testimonium, antèà ineditum, protuli in Præfatione prima ad seculum

tertium Benedictinum, num. 75. ex quo quæ ad rem nostram faciunt, hùc adducere juvat. « Quòd utraque species per se accipitur, eò fit, ut » memoria corporis, quod in cruce visibiliter pependit, et memoria san- » guinis, qui cum aqua de latere fluxit, arctiùs teneatur, et quasi præ- » sentetur. Tamen sciendum, quòd qui alteram speciem accipit, totum » Christum accipit. *Et infrà.* Quod ergo dicitur, utramque speciem opor- » tere accipi, hæresis planè est. Et ideò licèt in alterutra specie totus » sumatur; tamen pro causa prædicta sacramentum utriusque speciei » ab Ecclesia immutabiliter retinetur. » Hæc scripta sunt ante annum 1120. quo proindè tempore communio sub utraque specie ab Ecclesia immutabiliter retinebatur. Idem confirmat in Speculo Ecclesiæ cap. 7. Hugo Victorinus, qui vitam produxit ad annum 1142. Hujus rei argumentum habemus in veteri Chartario Abbatiæ Absiensis apud Pictones, ubi legimus, quemdam Willelmum de Barges de prædiis nonnullis investiisse Rainerium Abbatem Absiensem *cum calice, quo Communionem acceperat*, et quidem circiter annum 1150. Vix annis decem Hugonem Victorinum excessit Robertus Pullus, S. R. E. Presbyter Cardinalis, quo scribente jam contrarius usus prævalere cœperat. Exstat hac de re locus apud eum in Sententiarum parte 8. cap. 3. « Primò corpus, post sanguis » à Presbyteris est sumendus. Institutio Christi mutanda non est.... » Verùm qualiter à laïcis Eucharistia sumi deberet, sponsæ suæ com- » misit judicio: cujus consilio et usu pulchrè fit, ut caro Christi laïcis » distribuatur. Nimirùm periculosè fieret, ut sanguis sub liquida specie » multitudini fidelium in Ecclesia divideretur; longè periculosiùs si » infirmatis per parochiam deferretur. » Jam tunc ergo laïci sub unica specie communicare cœperant, teste Pullo, qui intinctam dari Eucharistiam improbat: probat verò *si cui pervaldè infirmato sanguis infunditur, ut facilius insumatur.* In quibusdam tamen locis diutiùs perseveravit Communio sub utraque specie, quæ nullo peculiari decreto, sed paulatim ac sensim abrogata est.

Non una, sed plures simul causæ huic mutationi occasionem præbuerunt, nullo Ecclesiæ universæ Decreto præeunte: undè tempore sancti Thomæ, immò et Paludani, quædam Ecclesiæ etiam Latinæ, veterem usum servabant. Periculum effusionis, prohibitio intinctionis, exempla Communionis infirmorum et infantium, hæresis eorum, qui alteram sine altera speciem non valere sentiebant, Ecclesiæ Pastores paulatim induxerunt ad unius speciei Communionem laïcis impertiendam. Urbanus VI. post suam in Vaticana basilica coronationem *omnes diaconos Cardinales suâ manu pretioso corpore et sanguine Christi communicavit, sicut de more summorum Pontificum semper fuit*, uti legitur in Epistola de ejusdem Urbani electione, quæ vulgata est in Spicilegii tomo 4. pag. 306. quod quidem contigit anno 1378. Verùm nequidem Presbyteris in eorum Ordinatione altera species à Pontifice Romano conceditur in ordinario Jacobi Gajetani, qui seculo tertio decimo desinente, et quarto decimo ineunte floruit. Solis id tribuitur Episcopis, qui genua non flectebant Communionem sumentes. Hæc patent ex ejusdem Ordinarii capitibus 57. et 58. Attamen sub utraque specie Communio Regi et Imperatori præbebatur à Pontifice ante hæresim Hussitarum, ex ejusdem Cæremonialis cap. 107. non tamen Reginæ ex cap. 109. Clemens VI. referente Odolrico Rainaldo, Joanni Nortmanniæ Duci ejusque conjugi, modò id privatim fieret, utriusque speciei Communionem indulsit, uti et Burgundiæ Duci: quod Regi et Reginæ Francorum illidem concesserat. Verùm cùm Fridericus, Imperator eo nomine tertius, Paulo secundo Pontifice Romam profectus esset, communicavit summus Pontifex » altaris sacramentum cum Imperatore, Diacono, et Subdiacono de » pane tantùm: de calice autem, etsi consuetudo sit communicantes » cum ontifice participare, propter insurgentem tamen Hussitarum ac » Boëmorum damnatam hæresim, quæ calicis potationem ad salutem ne- » cessariam putat, præter Pontificem bibit nemo. » Hæc scribebat testis oculatus Augustinus Patricius libello de adventu Imperatoris in urbem, quem in Musei tomo primo retulimus.

Quo ritu Carolo quinto Imperatori Communio paulò ante ejus coronationem à Clemente septimo data sit, ex Diario Paridis de Crassis, qui

Ita se res habebant sine ulla lege Ecclesiæ seculo duodecimo, ut patet ex S. Thoma (P) et Alexandro de Hales. Nemo tunc Cæremoniarum Magister erat, referre non gravabimur. « In Natali » Domini anno 1529. dicto *Agnus Dei* in Missa, Cardinalis Farnesius acce- » pit pacem à Papa, distribuens aliis, osculato priùs altari, et Papa » ipso in facie et in pectore, tum Cæsare. Quem, cùm vellet osculari » altare ad suasionem Sacristæ, Ego expressè, inquit Paris, prohibui : » quia neque Cæsari, neque Diaconibus Cardinalibus licet osculari in » tali casu altare, sed solùm Episcopis et Presbyteris Cardinalibus. His » sic peractis, Pontifex detecto capite ex altari venit ad solium suum : » ubi stans cum devotione exspectavit Sacramentum. Cardinalis verò » Evangelii in altari genuflexus capiens Sacramentum cum patena, in » altitudinem oculorum suorum gyravit circum altare, et illud dedit » Subdiacono Epistolæ, in cornu Evangelii genuflexu exspectanti. Qui » consurgens ad Papam delulit, fimbrias altero Magistro elevante ; et ad » sinistram Papæ cum Sacramento se firmavit, id est, se stitit. Tum » idem Cardinalis genuflexus, calicem cum sanguine accipiens, pari » modo gyravit, et ipse, me fimbrias elevante, portavit ad dexteram » Papæ, ubi se firmavit. Tum Pontifex lectis Orationibus ut in libro, » sumpsit partem Sacramenti, indè partem sanguinis ex calice cum » calamo aureo. Cæsar et alii Principes voluerunt communicare : Pon- » tifex alteram partem Sacramenti fregit, et unam Cardinali Cibo, » aliam Subdiacono dedit, osculatâ manu et facie Papæ priùs. Qui indè » recesserunt ad altare, ubi partem sanguinis quilibet eorum sumpsit » particulâ intus positâ, ut moris est. »

Quibusdam tamen ex privilegio concessa est communio sub utraque specie, ut Regibus Francorum in sua coronatione : Diacono et Subdiacono Ecclesiæ sancti Dionysii prope Parisios in Dominicis et diebus solemnibus, et ministris altaris apud Cluniacum in singulis Dominicis et Festis, quæ prærogativa à Concilio Tridentino probata est.

(P) S. THOM. 3. *p. quæst.* 80. *art.* 12. *in corp.* Respondeo dicendum, quòd circa usum hujus Sacramenti duo possunt considerari : unum ex parte ipsius Sacramenti : aliud ex parte sumentium. Ex parte quidem ipsius Sacramenti convenit, quòd utrumque sumatur, scilicet et corpus et sanguis : quia in utroque consistit perfectio Sacramenti. Et ideò quia ad Sacerdotem pertinet hoc Sacramentum consecrare et perficere, nullo modo debet corpus Christi sumere sine sanguine. Ex parte autem sumentium requiritur summa reverentia, et cautela, ne aliquid accidat quod vergat ad injuriam tanti mysterii : Quod præcipuè posset accidere in sanguinis sumptione : qui quidem si incautè sumeretur, de facili posset effundi. Et quia crevit multitudo populi Christiani, in qua continentur senes et juvenes et parvuli, quorum quidam non sunt tantæ discretionis, ut cautelam debitam circa usum hujus sacramenti adhibeant : ideò providè in quibusdam Ecclesiis observatur, ut populo sanguis sumendus non detur, sed solùm è Sacerdote sumatur.

ALEXAND. ALENSIS *de Sacram. Quæst.* 11. *art.* 4. §. 3. Primò quæritur, utrum liceat sumere corpus Christi sub specie panis tantùm, sine sumptione sub specie vini.

Circa primum proceditur sic. Cùm Dominus Jesus in tota integritate sua contineatur sub utraque specie, scilicet panis et vini, videtur quòd sufficiat illud sumere sub una specie : ut enim supradictum est, corpus et sanguis et anima et divinitas in Christo inseparabiliter unita sunt.

Item potest quæri, si hoc sacramentum habeat eamdem efficaciam sumptum sub una specie, et sub duabus.

Respondeo dicendum, quòd quia Christus integrè sumitur sub utraque specie, benè licet sumere corpus Christi sub specie panis tantùm : sicut ferè ubique fit à laïcis in Ecclesia.

Quod autem dicit Canon ibi : *Comperimus*, etc. intelligitur de conficiente. Ecclesia autem istud sacramentum dispensare consuevit sub specie panis tantùm ; tum propter periculum effusionis, quod fortè accideret, si sub specie vini dispensaretur ; tum propter vitii infidelitatis amotionem, quod se non immeritò simplicium mentibus ingereret, si

tunc temporis ignorabat sub alterutra specie sumi totum Christum, non secùs ac sub utraque; itaque per annos ferè ducentos calicis usu fideles ultrò, nemineque reclamante abstinuerunt, donec Petrus Dresdensis et Joannes Hus turbas ea de re excitarunt in Bohemia, contendentes calicis usum esse prorsùs necessarium. Huic errori obstitit Concilium Constantiense œcumenicum, inchoatum anno 1414. et re maturè discussâ, statuit standum esse usui jam recepto sub unica specie communicandi, usumque illum pro lege habendum decrevit (Q) : cui sapienti decreto subscripsit Synodus Tridentina, relinquens tamen arbitrio summi Pontificis calicis usum concedere fidelibus, si habitâ ratione personarum et locorum id expedire utilitati Ecclesiæ judicaverit. (R) Dehinc concessus est à summo Pontifice quibus-

semper sub speciebus panis et vini daretur : quia si ita fieret, possent simpliciores credere, quòd Christus non contineretur integrè sub altera specie, sicut contingit quandoque. *Eâdem ferè habentur apud omnes Theologos scholasticos.*

(Q) CONCIL. CONSTANTIENS. *ann.* 1414. *Sess.* 15. Cùm in nonnullis mundi partibus quidam temerariè asserere præsumant, populum Christianum debere sacrum Eucharistiæ sacramentum sub utraque panis et vini specie suscipere, et non solùm sub specie panis, sed etiam sub specie vini populum laïcum passim communicent, etiam post cœnam; vel aliàs non jejunum, et communicandum esse pertinaciter asserant, contra laudabilem Ecclesiæ consuetudinem rationabiliter approbatam, quam tanquam sacrilegam damnabiliter reprobare conantur : hinc est, quòd hoc præsens Concilium sacrum generale Constantiense.... adversùs hunc errorem saluti fidelium providere satagens.... declarat, decernit et diffinit, quòd licèt Christus post cœnam instituerit, et suis Discipulis administraverit sub utraque specie panis et vini hoc venerabile sacramentum, tamen hoc non obstante, sacrorum Canonum auctoritas laudabilis, et approbata consuetudo Ecclesiæ servavit et servat, quòd hujusmodi sacramentum non debet confici post cœnam, neque à fidelibus recipi non jejunis, nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis, à jure vel Ecclesia concesso, vel admisso. Et similiter, quòd licèt in primitiva Ecclesia hujusmodi sacramentum reciperetur à fidelibus sub utraque specie, tamen hæc consuetudo ad evitandum aliqua pericula et scandala est rationabiliter introducta, quòd à conficientibus sub utraque specie, et à laïcis tantummodo sub specie panis suscipiatur; cùm firmissimè credendum sit, et nullatenùs dubitandum, integrum Christi corpus et sanguinem tam sub specie panis, quàm sub specie vini veraciter contineri. Undè cùm hujusmodi consuetudo ab Ecclesia, et sanctis Patribus rationabiliter introducta, et diutissimè observata sit, habenda est pro lege, quam non licet reprobare, aut sine Ecclesiæ auctoritate pro libito mutare. Quapropter dicere, quòd hanc consuetudinem aut legem observare, sit sacrilegum aut illicitum, censeri debet erroneum : et pertinaciter asserentes oppositum præmissorum, tanquam Hæretici arcendi sunt, et graviter puniendi per Diœcesanos locorum, seu Officiales eorum aut Inquisitores Hæreticæ pravitatis in Regnis seu Provinciis, in quibus contra hoc Decretum aliquid fuerit forsan attentatum aut præsumptum juxta canonicas et legitimas sanctiones, in favorem Catholicæ fidei, contra Hæreticos et eorum fautores salubriter adinventas.

(R) CONCIL. TRIDENT. *Sess.* 22. *in fine. Decretum super petitione concessionis Calicis.* Insuper, cùm eadem sacro-sancta Synodus superiori sessione duos articulos, aliàs propositos, et tum nondum discussos, videlicet, an rationes quibus S. Catholica Ecclesia adducta fuit ut communicaret laïcos, atque etiam non celebrantes Sacerdotes, sub una panis specie, ita sint retinendæ, ut nulla ratione calicis usus cuiquam sit permittendum : et, an, si honestis et Christianæ charitati conseu-

dam in regionibus Germaniæ calicis usus, eà tamen lege ut sub specie vini communicaturi profiterentur priùs credere se sub unica specie non secùs ac sub utraque totum Christum contineri. Lex ea malè servata : undè intra breve tempus experientiâ compertum est, standum omninò Decreto concilii Constantiensis. (S)

§. 10. De necessitate Communionis. Itemque de prima Communione.

I. Estne prorsùs necessaria ad salutem Communio corporis et sanguinis Domini ?

R. Est iis qui ad adultam ætatem pervenerint ; id patet ex his Christi verbis, (*Joan.* VI. 54.) *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

Duplex est horum Christi verborum sensus, alter litteralis, alter spiritualis.

Sensus litteralis in eo positus est, quem verba præ se ferunt ; quo sensu de sumptione sacrosanctæ Eucharistiæ intelligenda sunt. Hoc autem sensu solos adultos illa spectant, non parvulos, in Christo renatos per Baptismum. Nam ex Apostolo, (*Rom.* VIII. 1.) *nihil damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu :* at parvuli per Baptismum renati jam sunt in Christo Jesu, nec gratiam Baptismalem possunt amittere, nisi per peccatum, cujus nondum capaces sunt. Atque hæc quidem fuit semper mens Ecclesiæ, ut certâ traditione constat ; undè verba Christi superiùs allata, si sumantur, intellexit semper de iis solùm, qui possunt accedere ultrò ad Christi corpus, illudque à cibo communi discernere : porrò soli adulti hujus discretionis sunt capaces. (A)

taneis rationibus concedendus alicui vel Nationi vel Regno calicis usus videatur, sub aliquibus conditionibus concedendus sit, et quænam illæ sint, in aliud tempus, oblatâ sibi occasione examinandos atque definiendos reservaverit : nunc eorum pro quibus petitur saluti optimè consultum volens, decrevit integrum negotium ad sanctissimum Dominum nostrum esse referendum, prout præsenti decreto refert ; qui pro sua singulari prudentia id efficiat, quod utile Reipublicæ Christianæ, et salutare petentibus usum calicis, fore judicaverit.

(S) *Decretum vide suprà hocce §. litt.* (Q)

Hæc verò fusiùs pertractata legere est in libris, De communione sub utraque specie *à Doctissimo* BOSSUETO Meldens. Episc. et à R. P. THOMASSINO Cong. Orat. D. J. Presb. *Gallicè scriptis.*

(A) S. FULG. *Resp. ad duas quæst. Ferrandi Epist.* 12. *cap.* 11. *n.* 24. Nullus autem debet moveri fidelium in illis, (qui etsi legitimè sanâ mente baptizantur, præveniente velociùs morte, carnem Domini manducare, et sanguinem bibere non sinuntur :) propter illam videlicet sententiam Salvatoris, quâ dixit : (*Joan.* VI. 34.) *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quod quisquis non solùm secundùm veritatis mysteria, sed secundùm mysterii veritatem considerare poterit, in ipso lavacro sanctæ regenerationis hoc fieri providebit. Quid enim agitur sacramento sancti Baptismatis, nisi ut credentes membra Domini nostri Jesu Christi fiant, et ad compagem corporis ejus Ecclesiasticâ unitate pertineant ? Ipsis enim dicit beatus Apostolus, (1. *Cor.* XII. 27.) *Vos estis corpus Christi, et membra de membro :* quos ostendit non solùm ipsius sacrificii participes, sed ipsum sanctum

Sensus spiritualis horum Christi verborum is est, necessariam esse fidem in Christum; imò necessarium prorsùs esse adhærere Christo, ut membra capiti: quæ quidem adhæsio per manducationem carnis Christi et sanguinis Christi potum spiritualiter intelligitur. Hoc autem beneficium in Baptismo suscipitur. Per hoc Sacramentum communicamus spiritualiter corpori et sanguini Domini. Si ergo de hac spirituali communione intelligantur illa verba, certum est et ad infantes illa pertinere. (B) Si quis enim non

sacrificium esse, dum eos jubet vivam hostiam seipsos Deo humiliter exhibere, dicens: (*Rom.* XII. 1.) *Obsecro itaque vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem.* Quod etiam sanctus Petrus (1. *Epist.* II. 5.) similiter docens, ait: *et vos tanquam lapides vivi ædificati in domos spirituales in sacerdotium sanctum, offerentes spirituales hostias, acceptabiles Deo per* Jesum *Christum.* Undè beatus Paulus cùm quodam loco dixisset, (2. *Cor.* X. 10.) *calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panes quos frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* ut nos esse ipsum verum panem, verumque corpus ostenderet, continuò subjunxit, (*Ibid.* 17.) *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.* Undè alio loco dicit: (*Ephes.* IV. 4.) « Unum corpus, et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe » vocationis vestræ: *et iterùm*, (*Ibid.* 15. 16.) « Veritatem autem facien» tes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Chris» tus: ex quo totum corpus compactum et concretum per omnem » junctaram subministrationis, secundùm operationem in mensuram » uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem » sui in charitate. » *Nam et carnem Domini nos esse confirmans ait:* (*Ephes.* V. 29. *et* 30.) « Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed » nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam, quoniam membra » sumus corporis ejus, et de ossibus ejus. » *Quocirca quoniam* « unus panis et » unum corpus multi sumus (1. *Cor.* X.17.), » tunc incipit unusquisque particeps esse illius unius panis, quando cœperit membrum esse illius unius corporis, quod in singulis membris, quando in baptismo capiti Christo subjungitur, tunc jam Deo viva hostia veraciter immolatur. Illo enim nativitatis munere sic fit sacrificium, sicut fit et templum: quod beatus Apostolus docens, ait: (1. *Cor.* III. 16.) *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis:* qui ergo membrum corporis Christi fit, quomodo non accipit quod ipse fit, quando utique illius fit corporis membrum, cujus corporis est in sacrificio Sacramentum. Hoc ergo fit ille regeneratione sancti Baptismatis, quod est de sacrificio sumpturus altaris.

S. THOM. *part.* 3. *quæst.* 73. *art.* 3. *in corp.* In hoc sacramento duo est considerare, scilicet ipsum sacramentum, et rem sacramenti: dictum est autem, quòd res hujus sacramenti, est unitas corporis mystici, sine qua non potest esse salus.... Per Baptismum ordinatur homo ad Eucharistiam: et ideò ex hoc ipso quòd pueri baptizantur, ordinantur per Ecclesiam ad Eucharistiam; et sic sicut ex fide Ecclesiæ credunt, sic ex intentione Ecclesiæ desiderant Eucharistiam, et per consequens recipiunt rem ipsius... et ideò hoc sacramentum non hoc modo est de necessitate salutis, sicut Baptismus.

CONCIL. TRIDENT. *Sess.* 21. *cap.* 4. Denique eadem sancta Synodus docet parvulos, usu rationis carentes, nullà obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiæ communionem: siquidem, per Baptismi lavacrum regeneratis, et Christo incorporati, adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non possunt. Neque ideò tamen damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit. Ut enim sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt: ità certè, eos nullà salutis necessitate, id fecisse, sine controversia credendum est.

(B) S. AUG. *lib.* 1. *de peccat. merit. et remiss. cap.* 20. *n.* 26. (Pelagiani)

communicaverit corpori et sanguini Domini per Baptismum, non habebit unquam vitam in se. Id certum est de

conantur parvulis non baptizatis innocentiæ merito salutem ac vitam æternam tribuere, sed quia baptizati non sunt, eos à regno cœlorum facere alienos : novâ quadam et mirabili præsumptione, quasi salus ac æterna vita possit esse præter Christi hæreditatem, præter regnum cœlorum. Habent enim videlicet quò confugiant, atque ubi delitescant, quia non ait Dominus, (*Joan.* III. 5.) *si qui non renatus fuerit ex aqua et Spiritu*, non habebit vitam, sed ait, *non intrabit in regnum Dei.* Nam si illud dixisset, nulla hinc dubitatio posset oboriri. Auferatur ergo dubitatio : jam Dominum audiamus, non suspiciones conjecturasque mortalium : Dominum audiamus, inquam, non quidem hoc de sacramento lavacri dicentem, sed de sacramento sanctæ mensæ suæ, quo nemo ritè nisi baptizatus accedit : *Nisi manducaveritis carnem meam, et biberitis sanguinem meam, non habebitis vitam in vobis.* (*Joan.* VI. 54.)

N. 27. Ac per hoc pro etiam parvulorum vita caro data est, quæ data est pro seculi vita ; et si non manducaverint carnem filii hominis, nec ipsi habebunt vitam.

Lib. 3. *cap.* 4. *n.* 8. Nunquid et illud ambiguum est, (*Joan.* III. 5.) *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu non potest intrare in regnum Dei*?... Nunquid etiam illud, (*Joan.* VI. 54.) *quia nisi manducaverint homines carnem ejus*, hoc est participes facti fuerint corporis ejus, *non habebunt vitam*? His atque hujusmodi aliis, quæ nunc prætereo, testimoniis divinâ luce clarissimis, divinâ auctoritate certissimis, nonne veritas sine ulla ambiguitate proclamat, non solùm in Regnum Dei non baptizatos parvulos intrare non posse, sed nec vitam æternam posse habere præter Christi corpus, cui ut incorporentur, sacramento Baptismatis imbuuntur ?

Epist. 186. *aliàs* 106. *ad Paulin. cap.* 8. *n.* 27. Si autem dixerit.... quòd peccatum Adæ ipsum solùm læserit, et non genus humanum,... perfectò quoniam negare non audet in regnum cœlorum adoptari eum, qui fuerit regeneratus in Christo, respondeat quid de illo futurum sit, qui nullâ suâ culpâ non baptizatus, istâ fuerit tempore ali morte præventus. Si non putamus esse dicturum quòd innocentem Deus, nec habentem originale peccatum ante annos quibus habere poterat proprium, æternâ morte damnabit ; cogitur itaque respondere quod Pelagius in Ecclesiastico judicio, ut aliquo modo Catholicus pronuntiaretur, anathematizare compulsus est, infantes etiamsi non baptizentur habere vitam æternam : (hâc enim negatâ, quid nisi mors æterna remanebit ?)

N. 28. Ac per hoc contra sententiam Domini disputabit, dicentis : (*Joan.* VI. 49. 50.) « Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et » mortui sunt : hic est panis, qui de cœlo descendit, ut si quis ex ipso » manducaverit non moriatur. » Non enim de ista morte loquebatur, quam necesse est patiantur etiam qui de ipso pane manducant : et paulò post, (*Ibid.* 54.) « Amen, amen dico vobis ; nisi manducaveritis carnem » Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in » vobis ; » utique illam quæ post hanc mortem futura est : et contra Apostolicæ sedis auctoritatem, ubi de hac ipsa re cùm ageretur, hoc testimonium adhibitum est Evangelicum, ne parvuli non baptizati vitam posse habere credantur.

N. 30. Nullus qui se meminit Catholicæ fidei Christianum, negat aut dubitat parvulos non acceptâ gratiâ regenerationis in Christo, sine cibo carnis ejus et sanguinis potu, non habere in se vitam, ac per hoc pœnæ sempiternæ obnoxios.

INNOCENT. PP. *Epist. ad Concil. Milevit. inter Epist.* AUG. 182. *n.* 5. Illud verò quod eos vestra fraternitas asserit prædicare parvulos æternæ vitæ præmiis etiam sine baptismatis gratia posse donari, perfatuum est. (*Joan.* VI. 54.) *Nisi enim manducaverint carnem filii hominis, et biberint sanguinem ejus, non habebunt vitam in semetipsis.* Qui autem hanc eis sine regeneratione defendunt, videntur mihi ipsum baptismum velle cassare, cùm prædicant hos habere, quod in eos creditur nonnisi baptismate conferendum.

infantibus (C), ut suprà probavimus. (*Hujus Sect. Cap.* 2. §. 3.)

I. Postestne sacra Communio Eucharistica dari infantibus?

R. Olim dabatur et infantibus, ut suprà diximus (§ *sup.*) : sed jam non viget ille ritus in Occidente, ut patet ex omnibus Ritualibus libris. (D)

(C) S. Aug. *lib.* 1. *de peccat. merit. et remiss. cap.* 20. *n.* 28. Porrò si isti qui baptizantur, propter virtutem celebrationemque tanti sacramenti, quamvis suo corde atque ore non agant quod ad credendum confitendumque pertineat, tamen in numero credentium computantur : profectò illi quibus Sacramentum defuerit, in eis habendi sunt qui non credunt Filio; atque ideò si hujus inanes gratiæ de corpore exierint, sequetur eos quod dictum est, (*Joan.* III. 5.) non habebunt vitam, sed ira Dei manet super eos. Undè hoc, quando eos clarum est peccata non habere, si nec originali peccato teneantur obnoxii.

Lib. 3. *cap.* 4. *n.* 7. Quid autem apertius tot tantisque testimoniis divinorum eloquiorum, quibus dilucidissimè apparet, nec præter Christi societatem ad vitam salutemque æternam posse quemquam hominum pervenire, nec divino judicio injustè posse aliquem damnari, hoc est, ab illa vita et salute separari? Undè sit consequens, ut quoniam nihil agitur aliud, cùm parvuli baptizantur, nisi ut incorporentur Ecclesiæ, id est, Christi corpori membrisque socientur; manifestum sit eos ad damnationem, nisi hoc eis collatum fuerit pertinere.

Vide Auctoritates Patrum hocce 2. laudatas.

(D) D. Joan. Mabillon. *Comm. in Ord. Rom. n.* 15. *tom* 2. *Musæi Ital. pag.* 98. De infantium Communione ita præcipit primus libellus Ordinis Romani : *Illud autem de parvulis providendum est, ut postquam baptizati fuerint nullum cibum accipiant, nec lactentur antequam communicent Sacramenta corporis Christi : et omnibus diebus septimanæ Paschæ ad Missas procedant, et parentes eorum offerant pro ipsis; et communicent omnes.* Idem ritus in pervigilio Pentecostes.

Joannes Diaconus in Epistola à nobis edita in Musæi tomo primo ad quæstionem sibi à Senario factam, *cur in sacratissimum calicem lac mittatur et mel, et Paschæ sabbato cum sacrificiis offeratur?* respondet, *baptizatis hoc sacrificii genus offerri, ut intelligant quia non alii, sed ipsi qui participes fiunt corporis et sanguinis Domini, terram repromissionis accipient : cujus iter inchoantes, tanquam parvuli lacte nutriuntur et melle.* At de hoc ritu, immittendi scilicet in Calicem lactis et mellis, nullam mentionem invenimus in vetustis libellis Romanis. Exstat quidem in vulgato Ordine Romano *benedictio lactis et mellis* in Sabbato sancto : sed extra calicem facta, et seorsim parvulis porrecta. Verùm fortassè nonnulli seculo nono utrumque in calice commiscebant, quod huic quæstioni occasionem dedit. Hùc spectat interdictum in Africano Concilio factum, ut præter panem et vinum aquâ mixtum nihil in sacrificio offeratur. Primitiæ verò, seu mel et lac, quod uno die solemnissimo in infantum mysterio solet offerri, quamvis in altari offerantur, suam tamen habeant propriam benedictionem, ut à sacramento Dominici corporis et sanguinis distinguantur.

Et post pauca. Vetus Missale Rivensis Ecclesiæ, relatis Ordinis Romani his verbis, « Illud autem de parvulis providendum est, ut postquam baptizati fuerint, nullum cibum accipiant nec allactentur, antequam communicent Christi sacramentis. Et omnibus diebus septimanæ Paschæ ad Missas procedatur, et offeratur pro ipsis : » *his, inquam, relatis, ibidem subditur :* « Et si tales sint ut scienter possint comedere, auctoritate Canonum communicandos censemus. Alioqui solo haustu Dominici Sanguinis sunt communicandi. Similiter et in morte eorum debet fieri. » Ubi luculentum habes communionis sub unica sanguinis specie exemplum : quæ aliundè etiam probatur, testimoniis scilicet Cypriani, Hugonis Victorini et aliorum.

Doctissimus R. P. Jacobus Goar Ord. FF. Præd. *in Notis ad Euchol. Græcum pag.* 374. *n.* 5. *Ebaptisthes, epotisthes, kai ta exes.* (1. *Cor.* XII. 13.) Hæc verba ex priori ad Corinth. excerpta, tria sacramenta exprimunt

I. Quâ ergo ætate danda Communio est pueris jam adultis?

R. Ubi sufficienter edocti sunt mysteriis fidei, et per ætatem possunt probare semetipsos, et corpus et sanguinem Christi planè discernere à cibo communi et usitato. (E)

I. Si fortè Baptismalem innocentiam perdiderunt, debentne ad sacram Communionem accedere?

R. Non debent ad sacram Communionem accedere priùs quàm amissam innocentiam per veram pœnitentiam recuperaverint. Magnà hîc Pastoribus et Confessariis cautione opus est, ne temerè detur sacra Communio impœnitentibus.

(Quod spectat ad sacram Eucharistiam sub ratione Sacrificii explicabimus infrà in tractatu de Oratione, postquam egerimus de Sacrificio in genere: ibique de sacrosancto Missæ sacrificio fusè disseremus, Deo dante.)

uno temporis spatio Neophytis collata: corporis quidem immersionem, et animæ per fidem illuminationem vocabula *Ebaptisthes et Epotisthes*, chrismatis unctionem vox *Emerosthes* indicat; *to Egiasthes* verò *kat'exochen* refertur ad Eucharistiam, *Agiasma* et *ta Agnia* vocatam, et statim post Baptismum etiam pueris exhibitam. Tertull. de resurrect. carnis cap. 8. *Caro*, ait, *abluitur; ut anima emaculetur. Caro ungitur: ut anima consecretur. Caro signatur: ut anima muniatur. Caro manûs impositione adumbratur: ut et anima spiritu illuminetur. Caro corpore et sanguine Christi vescitur: ut et anima de Deo saginetur. Non possunt ergo separari in mercede, quas opera conjungit.* Verùm quia Latini cum Græcis commorantes non sine scandalo pueros recèns natos salutaribus Eucharistiæ mysteriis, pro sua in tam augustum sacramentum reverentia, et effusionis vel vomitûs timore, vident refectos, Hugonis Victorini verba sunt eis ex charitatis spiritu insinuanda: « Universitatis Ecclesiæ baptizatus ag» gregatur, hoc est, corporis Christi membrum efficitur. Undè si ejus va» letudinis est, sacramenta unitatis, id est; corpus et sanguinem Christi » accipere debet: et pueris recèns natis, in specie sanguinis, idem sacra» mentum est exhibendum: quia tales naturaliter sugere possunt. *Au*» *gustinus* ad Bonifacium, contra hæresim Pelagianam. » In Ecclesia Salvatoris per alios pueri credunt, sicut ex aliis, quæ in baptismo dimittuntur, peccata contraxerunt. Nec illud cogitetis, eos vitam habere posse, qui sunt exortes corporis et sanguinis Christi: dicente ipso Domino: *Nisi manducaveritis carnem, etc.* (*Joan.* VI. 54.) *Ergo, si sine periculo fieri potest, juxta primariam Ecclesiæ institutionem sacramentum Eucharistiæ in specie sanguinis est tradendum pueris.* Quod et factitant Græci, nam cochleari, quod *Labida* dicunt, sacro sanguine intincto, guttulam è calice eductam, pueri linguâ exsugendam apponunt: et si quidem extra liturgiam aliquem initiant, ægrotis sacramenta reservata depromunt; sin liturgia celebratur, ex ipsis speciebus consecratis, prout Pachymeres et Maximus in cap. 2. Dionysii de Eccles. Hierarch. scribunt.... *Nunc accuratius observatur in divinorum mysteriorum celebratione, in qua recèns illuminatos communicare oportet.*

(E) *Id præcipiunt Rituales omnes, quos consule. Unum hîc instar omnium exscribemus, Rituale Paris. Jussu Emin. Card.* LUD. ANT. DE NOAILLES, Archiep. Paris. *editum, anno* 1697. *pag.* 67. Fideles omnes ad sacram communionem admittendi sunt, exceptis iis qui justâ ratione prohibentur... Administrari etiam non debet undatis, quibus nondum adhibitæ sunt cæremoniæ: neque etiam pueris, qui propter ætatis imbecillitatem hoc divinum sacramentum dijudicare nondum valent, ut fermè accidit ante undecimum annum: quod prudenti Rectorum arbitrio et conscientiæ relinquitur.

CAPUT QUINTUM.

De Sacramento Pœnitentiæ.

§. 1. De Virtute Pœnitentiæ. Quanta sit necessitas agendi Pœnitentiam, idque sine mora.

I. QUID est Pœnitentia ?

R. Pœnitentia considerari potest vel quatenùs est virtus, vel quatenùs est sacramentum.

Virtus Pœnitentiæ est dolor et detestatio de peccatis commissis, cum proposito non peccandi de cætero, et satisfaciendi pro peccatis. (A)

I. Quodnam discrimen est inter Virtutem Pœnitentiæ et Sacramentum Pœnitentiæ ?

R. 1. « Fuit *Virtus* Pœnitentiæ universis hominibus qui se » mortali aliquo peccato inquinassent quovis tempore ad » gratiam et justitiam assequendam necessaria, illis etiam » qui Baptismi sacramento ablui petivissent, ut perversitate » abjectâ et emendatâ, tantam Dei offensionem cum peccati

(A) S. AUG. *Epist.* 153. *aliàs* 54. *ad Maced. cap.* 3. *n.* 6. Nihil aliud agit, quem veraciter pœnitet, nisi ut id quod malè fecerit, impunitum esse non sinat. Eo quippe modo sibi non parcenti Ille parcit, cujus altum justumque judicium nullus contemptor evadit.

Enarr. in Psal. XXXVII. *n.* 24. Ne securus sis, cùm confessus fueris peccatum tuum, tanquam semper præparatus ad confitendum et committendum peccatum. Sic pronuntia iniquitatem tuam, ut curam geras pro peccato tuo ? Quid est, curam gerere pro peccato tuo ? Curam gerere pro vulnere tuo. Si diceres, curam geram pro vulnere meo, quid intelligeretur, nisi, dabo operam ut sanetur ? Hoc est enim curam gerere pro delicto, semper niti, semper intendere, semper studiosè et sedulò agere ut sanes peccatum. Ecce de die in diem plangis peccatum tuum, sed fortè lacrymæ currunt, et manus cessant. Fiant eleemosynæ, redimantur peccata, gaudeat indigens de dato tuo, ut et tu gaudeas de dato Dei.

In Ps. CXLVI. *n.* 20. Placabis autem eum, si speres in misericordia ipsius; atque ita de cætero peccare caveas, ut de præteritis depreceris, ut tibi dimittantur à Domino.

S. ISIDOR. HISPAL. *lib.* 2. *de offic. Eccles. cap.* 15. Duplex autem pœnitentiæ genus est, vel dum plangimus quod male gessimus, vel dum non agimus quod agere non debebamus. Ille autem verè pœnitentiam agit, qui nec pœnitentiam præteritorum negligit, nec adhuc pœnitenda committit.

S. GREGOR. MAGN. *Homil.* 34. *in Evang. paulò ante finem.* Pœnitentiam quippe agere, est et perpetrata mala plangere, et plangenda non perpetrare. Nam qui sic alia deplorat, ut tamen alia committat, adhuc pœnitentiam agere aut dissimulat, aut ignorat. Quid enim prodest si peccata quis luxuriæ defleat, et tamen adhuc avaritiæ æstibus anhelet ? Aut quid prodest, si iræ culpas jam lugeat, et tamen adhuc invidiæ facibus tabescat ? Sed minus est valdè quod dicimus, ut qui peccata deplorat, plorauda minimè committat : et qui plangit vitia, perpetrare vitia timeat. Non cogitandum summopere est, ut qui se illicita meminit commisisse, à quibusdam etiam licitis studeat abstinere : quatenùs per hoc Conditori suo satisfaciat, ut qui commisit prohibita, sibimetipsi abscindere debeat etiam concessa : et se reprehendat in minimis, qui se meminit in maximis deliquisse.

» odio et pio animi dolore detestarentur. Unde Propheta ait, » *Convertimini et agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus* » *vestris : et non erit vobis in ruinam iniquitas.* (*Ezech.* XVIII. » 30.) Dominus etiam dixit, *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes* » *similiter peribitis.* (*Luc.* XIII. 3.) Et princeps Apostolorum » Petrus baptismo initiandis pœnitentiam commendans di- » cebat : *Pœnitentiam agite et baptizetur unusquisque vestrûm.* » (*Act.* II. 38.) Porrò nec ante adventum Christi pœnitentia » erat sacramentum, nec est post adventum illius cuiquam » ante baptismum. (*Concil. Trid. sess.* 14. *c.* 1.) »

2. Sacramentum Pœnitentiæ solis peccatis post baptismum commissis institutum est (B); Virtus Pœnitentiæ omnibus omninò necessaria est. Sacramentum Pœnitentiæ non solâ cordis contritione, sed etiam confessione, et satisfactione, et Sacerdotis absolutione continetur; Virtus Pœnitentiæ non item.

I. Cur ais virtutem Pœnitentiæ fuisse quolibet tempore necessariam peccatoribus?

R. Quia nunquam adulti potuerunt remissionem peccatorum accipere, et gratiam et justitiam assequi, nisi esset in iis et peccatorum dolor et odium, et non peccandi propositum, et satisfaciendi votum : et illud est quidem quod agere pœnitentiam dicimus. (C)

(B) CONCIL. TRIDENT. *Sess.* 14. *c.* 1. Quoniam autem Deus, dives in misericordia, cognovit figmentum nostrum (*Psal.* CII. 14.); illis etiam vitæ remedium contulit, qui sese postea in peccati servitutem et dæmonis potestatem tradidissent, sacramentum videlicet Pœnitentiæ; quo lapsis post baptismum beneficium mortis Christi applicatur.

(C) S. AUG. *Serm.* 351. *aliàs* 50. *inter Homil.* 50. *cap.* 3. *n.* 3. Altera verò pœnitentia est, cujus actio per totam istam vitam, quâ in carne mortali degimus, perpetuâ supplicationis humilitate subeunda est. Primò, quia nemo vitam æternam, incorruptibilem, immortalemque desiderat, nisi cum vitæ hujus temporalis, corruptibilis, mortalisque pœniteat. Non enim sic quisque in vitam novam per sanctificationem Baptismi nascitur, ut, quemadmodum deponit ibi omnia peccata præterita, ita etiam statim mortalitatem ipsam carnis corruptionemque deponat. Quòd si non ita est, restat, ut illud quod scriptum est, quod etiam quisque in se sentit adhuc, dum in hac vita est, *corpus quod corrumpitur aggravet animam, et deprimat terrena inhabitatio sensum multa cogitantem....* (*Sap.* IX. 15.) Quid ergo cupimus, nisi ita non esse ut nunc sumus? et quid ingemiscimus, nisi pœnitendo quia ita sumus?

N. 4. Quæ universa ad hoc dicta sunt, ne quis per baptismum quamvis justificatus sit à prioribus peccatis, tamen superbire audeat, si nihil committat, unde ab altaris communione separetur, quasi jam de plena securitate se jactans; sed potiùs servet humilitatem, quæ penè una disciplina Christiana est : nec superbiat terra et cinis donec ista nox tota transeat.... * (*Eccli.* X. 9.) Propter ipsum pulverem mundi hujus, qui per itinera consulendi consulentium pedibus adhærescit, et damna quæ in ipsa negotiosissima dispensationis actione contingunt, quæ Dominus præstet ut cum lucris majoribus compensentur, quotidianam debemus habere pœnitentiam.

N. 5. Quanto ergo magis Ecclesiæ provinciales secularibus negotiis obligati, quotidianam debent agere pœnitentiam?

Serm. 352. *aliàs* 27. *inter Homil.* 50. *cap.* 2. *n.* 7. Est alia quippe quotidiana: et ubi illam ostendimus pœnitentiam quotidianam? Non habeo ubi melius ostendam, quàm in oratione quotidiana, ubi Dominus orare nos

I. Quandonam agenda pœnitentia est ?

R. Statim atque peccati conscientia remordet : nec procrastinanda conversio est (D) ; nec moræ innectendæ. Qui pœnitentiam in tempus senectutis vel infirmitatis differunt, interea autem vitam agunt in deliciis et peccatis ; illi certè insaniunt, cæcutiunt tenebris, obscuratum habent intellectum.

Primò enim quis novit se ad senectutem perventurum ? Quid si subitanea et improvisa mors obrepat ? si vis morbi rationis usum præripiat ? Sicut fur in nocte, ita mors plerosque occupat, id Christus prædixit, id quotidiana docet experientia. (E)

docuit, quid ad Patrem dicamus ostendit, et in his verbis posuit : *dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris?* (*Matth.* VI. 12. *etc.*) Quæ debita, fratres ? Quandoquidem debita hic intelligi non possunt nisi peccata : quæ debita dimisit in baptismo, illerum ut dimittat oramus ? Certè mortuus est omnis Ægyptius qui sequebatur. * (*Exod.* XIV. 28.) Si nihil de sequentibus hostibus residuum factum est, quid oramus ut dimittatur, nisi propter manus deficientes contra Amalech ? * (*Exod.* XVII. 11.) *dimitte nobis, sicut et nos dimittimus.* (*Matth.* VI. 12. *etc.*) Constituit medicinam, firmavit pactum. Hic preces dictat, ibi precanti respondet : novit quo jure res agatur in cœlo, quomodo impetrari possint desiderata. Dimitti vis ? Dimitte.

Epist. 265. *aliàs* 208. *ad Selecian. n.* 8. Est etiam pœnitentia bonorum et humilium fidelium penè quotidiana, in qua pectora tundimus, dicentes (*Ibid.*), *dimitte nobis debita nostro, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Neque enim ea nobis dimitti volumus, quæ dimissa non dubitamus in baptismo : sed illa utique quæ humanæ fragilitati, quamvis parva, tamen crebra subrepunt : quæ si collecta contra nos fuerint, ita nos gravabunt et oppriment, sicut unum aliquod grande peccatum.... Propter hæc jejunia et eleemosynæ et orationes invigilant, in quibus cùm dicimus (*Ibid.*), *dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus* ; manifestamus habere nos quod nobis dimittatur, atque in iis verbis humiliantes animas nostras, quotidianam quodammodo agere pœnitentiam non cessamus.

(D) ECCLI. V. 8. Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem. 9. Subitò enim veniet ira illius, et in tempore vindictæ disperdet te.

(E) MATTH. XXIV. 36. De die autem illa et hora nemo scit, neque Angeli cœlorum, nisi solus Pater. 37. Sicut autem in diebus Noë, ita erit et adventus Filii hominis. 38. Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes et bibentes, nubentes et nuptui tradentes, usque ad eum diem quo intravit Noë in arcam, 39. et non cognoverunt donec venit diluvium, et tulit omnes : ita erit et adventus Filii hominis. 40. Tunc duo erunt in agro : unus assumetur, et unus relinquetur. 41. Duæ molent in mola : una assumetur, et una relinquetur. 42. Vigilate ergo, quia nescitis quâ horâ Dominus vester venturus sit.

MARC. XIII. 32. De die autem illo vel hora nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater. 33. Videte, vigilate, et orate : nescitis enim quando tempus sit.... 35. Vigilate ergo, (nescitis enim quando dominus domûs veniat : serò an mediâ nocte, an galli cantu, an manè,) 36. ne cùm venerit repentè, inveniat vos dormientes. 37. Quod autem vobis dico, omnibus dico : Vigilate.

LUC. XII. 40. Et vos estote parati : quia quâ horâ non putatis, Filius hominis veniet.

XXI. 34. Attendite autem vobis, ne forlè graventur corda vestra in crapula et ebrietate, et curis hujus vitæ : et superveniat in vos repentina dies illa. 35. Tanquam laqueus enim superveniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ. 36. Vigilate itaque, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt, et stare ante Filium hominis.

2. Si quis non nisi urgente vi morbi pœnitentiam agere incipiat, hujus pœnitentiam non ex cordis contritione, sed ex solo metu ut plurimùm provenire, adeoque non sufficere, et sæpissimè falsam omninò esse certissimum est. (F)

S. AMBROS. *in Lucam lib.* 7. *n.* 221. Scio quosdam dicere quòd ad mortem sibi lavacri gratiam, vel pœnitentiam reservent. Primùm quî scis an nocte proximâ tua à te anima reposcatur? Deinde cur putas otioso tibi omnia posse deferri? * (*Luc.* XII. 20.) Pone unam gratiam, unam esse mercedem; diversum tamen bravium victoriæ est, ad quod se non frustrà Paulus extendit, qui potest mercedem gratiæ, bravium tamen ut non comprehenderet sequebatur * (*Philipp.* III. 13. *et* 14.); quia sciebat etsi par esset merces gratiæ, palmam tamen esse paucorum. * (1. *Cor.* IX. 24.)

S. ISIDOR. HISPAL. *Sentent. lib.* 2. *cap.* 13. *n.* 12. Festinare debet ad Deum pœnitendo unusquisque dum potest; ne si dum potest, noluerit; cùm tardè voluerit, omninò non possit. Proinde Propheta ait (*Isai.* LV. 6.): *Quærite Dominum dum inveniri potest, invocate eum dum propè est.* Et ubi inveniri potest, nisi in hac vita, in qua etiam et propè est omnibus invocantibus se? * (*Ps.* CXLIV. 18.) Nam tunc jam longè erit quando dixerit: *ite in ignem æternum.* (*Matth.* XXV. 41.) Modò autem non videtur, et propè tunc autem videbitur et propè non erit; quia videri poterit, et non poterit inveniri.

(F) S. AUG. *Serm.* 351. *aliàs* 50. *inter Homil.* 50. *cap.* 4. *n.* 9. *Vide* 3. *sequent. litt.* (M)

Serm. 393. *aliàs* 41. *ex Homil.* 50. Qui autem violavit sacramentum malè et perditè vivendo, et ideò remotus est ab altari, ne judicium sibi manducet et bibat * (1. *Cor.* XI. 29.), mutet vitam, corrigat se, et reconciletur, cùm vivit, dum sanus est. Exspectat etiam ipse tunc reconciliari, quando incipit mori? Experti sumus multos exspirasse, exspectantes reconciliari. Deinde etiam dico in conspectu Dei, timori vestro timorem meum. Qui autem non timet, timentem me contemnit, sed malo suo... Si quis autem positus in ultima necessitate ægritudinis suæ, voluerit accipere pœnitentiam, et accipit, et mox reconciliatur, et hinc vadit: fateor vobis, non illi negamus quod petit, sed non præsumimus quia benè hinc exit. Non præsumo: non vos fallo, non præsumo. Fidelis benè vivens, securus hinc exit. Baptizatus ad horam, securus hinc exit. Agens pœnitentiam, et reconciliatus cùm sanus est, et postea benè vivens, securus hinc exit. Agens pœnitentiam ad ultimum et reconciliatus, si securus hinc exit, ego non sum securus. Unde securus sum, securus sum, et do securitatem: unde non sum securus, pœnitentiam dare possum, securitatem dare non possum.... Quod dico attendite: debeo illud planiùs exponere, ne me aliquis malè intelligat. Nunquid dico, Damnabitur? Non dico. Sed nec dico etiam, Liberabitur. Et quid dicis mihi? Nescio: non præsumo, non promitto, nescio. Vis te de dubio liberare? Vis quod incertum est evadere? Age pœnitentiam, dum sanus es. Si enim agis veram pœnitentiam, dum sanus es, et invenerit te novissimus dies, curre ut reconcilieris: si sic agis, securus es. Quare securus es? Quia egisti pœnitentiam eo tempore, quo et peccare potuisti. Si autem tunc vis agere pœnitentiam ipsam, quando jam peccare non potes; peccata te dimiserunt, non tu illa. Sed unde scis, inquis, ne fortè Deus dimittat mihi? Verum dicis. Unde, nescio. Illud scio, hoc nescio. Nam ideò tibi do pœnitentiam, quia nescio. Nam si scirem tibi nihil prodesse, non tibi darem. Item si scirem tibi prodesse, non te admonerem, non te terrerem. Duæ res sunt: aut ignoscitur tibi, aut non ignoscitur: quid horum tibi futurum sit, nescio. Ergo dimitte incertum, tene certum.

S. ISIDOR. HISPAL. *Sentent. lib.* 2. *cap.* 13. *n.* 13. Si quando quisque peccare potest, pœnitet, vitamque suam vivens ab omni crimine corrigit, non dubium quòd moriens ad æternam transeat requiem.

N. 14. Qui autem pravè vivendo pœnitentiam in mortis agit periculo: sicut ejus damnatio incerta est, sic remissio dubia. Qui ergo cupit certus esse in morte de indulgentia, sanus pœniteat, sanusque perpetrata facinora defleat.

Lib. 2. *de Eccles. Offic. cap.* 16. Si quis circa finem suum per pœnitentiam desinat esse malus, non ideò debet desperare, quòd in termino est ultimo vitæ; quoniam Deus non respicit quales antea fuimus, sed quales circa finem vitæ existimus. Ex fine enim suo unumquemque aut justificat, aut condemnat, sicut scriptum est: *Ipse judicat extrema terræ;* (*Job.* XXXVIII. 11.) et alibi, (*Job.* XXVIII. 3.) *universorum finem ipse considerat.* Proinde non dubitamus circa finem justificari hominem, per pœnitentiæ compunctionem; sed quia rarò id fieri solet, metuendum est ne dum ad finem differtur conversio incerta, priùs occupet mors quàm veniat pœnitentia: pro qua re et si bona est ad extremum conversio, tamen multò melior est quæ longè ante finem agitur, ut ab hac vita securiùs transeatur.

S. LEO. *Serm.* 35. *in Epiphan. solemn.* 6. *cap.* 4. Cor hominum de operum ostenditur qualitate, et formas mentium species delegit actionum. Nam sunt quidam, sicut ait Apostolus * (*Tit.* I. 16.) *qui Deum profitentur se scire, factis autem negant.* Verè enim realus negationis incurritur, quando bonum, quod in sono vocis auditur, in conscientia non habetur. Fragilitas enim humanæ conditionis facilè in delicta prolabitur: et quia nullum sine delectatione peccatum est, citò acquiescitur deceptoriæ voluptati. Sed à carnalibus desideriis recurratur ad spirituale præsidium; et mens habens notitiam Dei sui, à consiliis se male suadentis hostis avertat. Prosit illi patientia Dei, nec ideò delinquendi pertinacia nutriatur, quia vindicta differtur. Non sit peccator de impunitate securus: quia si tempus pœnitentiæ amiserit, locum indulgentiæ non habebit, dicente Prophetâ; (*Psal.* VI. 6.) *Quia non est in morte qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?*

SALVIAN. *ad Eccles. Cath. lib.* 1. *circa med.* Alioqui peccare non desinit, quem in extremis situm recedere à criminibus sola tantùm fecit impossibilitas, non voluntas: qui enim à malis actibus tantùm morte discedit, non relinquit scelera, sed relinquitur à sceleribus; ac per hoc necessitate exclusus à vitiis: et tum puto peccat quando cessaverit; quia quantùm ad animum necdum desit, qui adhuc velit peccare, si possit. *Et paulò post.* Quòd si aut tanta vis morbi, aut tanta ægrotorum fuerit incuria, ut valetudinis curam et labem usque ad dies ultimos trahant, quid dicam nescio, quid promittam, penitùs ignoro. Revocare ab inquisitione ultimi remedii periclitantes, durum et impium: spondere autem aliquid in tam sera curatione, temerarium. Sed melius tamen est absque dubio, quamvis diuturnâ paralysi aridas manus, aliquo tamen nisu ad cœlum erigi, quàm lethali penitùs desperantiâ dissolvi: melius est enim nihil inexpertum relinquere, quàm morientem non curare: maximè quia nescio an in extremis aliquid tentare medicina sit, certè nihil tentare perditio. *Et in fine. Peccata tua in misericordiis redime* * (*Dan.* IV. 24.), et forsitan propitiabitur Deus delictis tuis. Hoc ipsum quod dicit forsitan, spem indicat, non fiduciam pollicetur. Ex quo intelligi potest quàm difficilè jam in supremis positi peccatores qualibet munificentiâ ad perfectam indulgentiam pervenire possint: quando Propheta ipse, qui suadet propitiationem Dei inquirendam, promittere tamen non ausus est promerendam: dat consilium de actu, et tamen dubitat de effectu. Hortatorem se agendi, non impetrandi auctorem se facit.

MORINUS *lib.* 1. *de Pœnitentia, cap.* 14. *n.* 1. Seria quidem et magna animi compunctio, et peccati detestatio, atque ad Deum conversio iis omnibus, qui capitaliter peccaverant, semper imperabatur. Est enim ista præparatio criminibus omnibus sanandis remedium à Deo institutum, quod licèt à Pœnitentibus nimia cum quantitate suscipi non possit, ab omnibus tamen ex æquo exigi non debet. Peccatorum ratio semper habita fuit. Sicut enim quò graviora fuerunt crimina, cò severiores pœnas, ut par erat iis imposuerunt: ita quoque acriorem et vehementiorem animi ad Deum conversionem à pœnitentibus expoposcerunt.... Quanquam autem ista duo ex Patrum consuetudine, et ratione id efflagitante conjuncta fuerint, semper tamen ab iis observatum est, ut quò vehementior cordis contritio in Pœnitente ab iis deprehenderetur, eò minor pœna vel in principio ei imponeretur, si conversionis principio ardorem maxi-

mum demonstrasset; vel in pœnitentiæ decursu exigeretur, si in ea peragenda animum promptum exhibuisset.

N. 3. Testimonia.... quæ hanc sententiam velut de industria confirmare videntur referemus. S. Cyprian. ad finem libelli *De Lapsis*. « Quàm magna » deliquimus, tam granditer defleamus. Alto vulneri diligens et longa » medicina non desit. Pœnitentia crimine minor non sit. Putasne Domi- » num citò posse placari, quem verbis perfidis abnuisti? cui patrimo- » nium præponere maluisti? cujus templum sacrilegà contagione vio- » lasti? Putas facilè eum misereri tui, quem tuum non esse dixisti? » Orare oportet impensiùs, et rogare, diem luctu transigere, vigiliis ac » fletibus noctes ducere, tempus omne lacrymosis lamentationibus » occupare, stratos solo adhærere cineri, in cilicio et sordibus volu- » tari, etc. » Sic et Clerus Romanus Epist. 31. ad eumdem Cyprianum.... « Non sit minor medicina, quàm vulnus; non sine minora remedia, » quàm funera. »

N. 4. Audi lector quibus verbis ad Virginem lapsam scribat S. Ambros. cap. 8. « Pœnitudo necessaria est, sicut vulneratis sunt necessaria medi- » camenta. Sed quanta putas, et qualis necessaria Pœnitentia, quæ aut » æquet crimina, aut certè excedat?... Et secundùm conscientiæ molem » exhibenda est Pœnitentiæ magnitudo. Pœnitentia ergo non verbis » agenda est, sed et actu. Hæc autem sic agitur.... Quantamvis afflictio- » nem, quantumvis laborem et indecorem subire esto contenta, dum- » modo ab æternalibus pœnis libereris.... Cor verò sit liquescens sicut » cera, jejuniis inquietans seipsum.... Sensus etiam crucietur, quia in » membra corporis cùm haberet dominationem, malo cessit imperio.... » Talis vita, talis actio Pœnitentiæ; si fuerit perseverans, audebit spe- » rare, et si non gloriam, certè pœnæ vacuationem. Dicit enim Deus: » Convertimini ad me et convertar ad vos, convertimini in toto corde ves- » tro, in jejunio et fletu et planctu... (*Joël.* II. 12. *etc.*) Grandi plagæ altà et » prolixà opus est medicinà; grande scelus, grandem habet necessariam » satisfactionem.... » Et lib. 1. cap. 2. de Pœnitentia... « Qui culpam exage- » ravit, exageret etiam Pœnitentiam; majora enim crimina, majoribus » abluuntur fletibus. »

N. 5. S. Gregor. Nazianz. Orat. 39. in Novatianum disputans: « Si qui- » dem pœnitentiâ minimè ducebantur, optimo jure eos repulit. Nam » ne ipse quidem eos recipio qui vel nullomodo, vel non satis deprimun- » tur, nec patrato crimini parem vitæ emendationem afferunt: cum- » que recipio, convenientem ipsis locum assigno; sin autem lacrymis » confectos haud quaquam istud imitabor. » Paucis verbis sed eviden- ter admodum S. Basilius, etc. Homilia in hæc verba, « *Attendite tibi* » *ipsi.* « Itaque attende tibi ipsi ut pro delicti proportione hinc quoque mu- » tueris ex admota tibi medela valetudinis instaurandæ præsidium. Mag- » num est et grave peccatum, multà opus habes confessione, lacrymis » amarulentis, peracri contentione vigiliarum, indivulso et continenti » jejunio. Levis est nec intoleranda offensio; huic quoque exæquetur pœ- » nitentia. Solùm attende tibi ipsi, ut cognoscas animæ tuæ sanitatem et » morbum. »

N. 6. S. Hieronymus, in cap. I. Lamentationum: *Mysticè anima peccatis obnoxia dum pro iniquitatibus suis à Domino corripitur, si introrsùs rediens salubri dolore compungitur, abstinendo se à peccatis omnem luxum pristinum in lacrymas vertit, et tantò fortiùs constringendo seipsam plangit, quantò laxius per varia desideria se diutiùs errasse recolit....* Et Epist. 27. ad Eustochium: *In Paulæ crederes fontes lacrymarum: ita levia peccata plangebat, ut illam gravissimorum criminum crederes ream.*

N. 7. S. Aug. Serm. 58. de tempore præclarè docet causam specialem difficillimæ istius conversionis, graviterque monet auditores suos ut eam studiosè evitent: « Si alicui pes frangatur, aut manus, cum labore solet » ad pristinum officium revocari. Si verò secundò et tertiò, et adhuc fre- » quentiùs in eodem loco membra ipsa frangantur, potest intelligere cha- » ritas vestra, cum quantis doloribus vulnera ipsa curanda sunt; et tamen » post longas et multas tribulationes, vix erit antequam ad pristinum » statum membra ipsa valeant revocari. Similis ratio in animarum frac- » turis, seu vulneribus esse credenda est. Si semel aliquis, vel secundò

» peccaverit, et sine aliqua dissimulatione ad Pœnitentiæ medicamenta » confugerit, pristinam incolumitatem sine aliqua mora et forsitan sine » aliqua fœditate recipiet. Si verò peccatis peccata cœperint addi, et ani- » marum vulnera magis tegendo, vel defendendo putrescere, quàm pœ- » nitendo et confitendo curari, timendum ne in illo impleatur quod ait » Apostolus : * (*Rom.* II. 4. *et* 5) *An ignoras quia benignitas Dei ad pœ- » nitentiam te adducit? Tu autem secundùm duritiem cordis tui et cor im- » pœnitens thesaurizas tibi iram.* Objicit sibi postea posse aliquem dicere, » tam gravia se admisisse peccata, ut jam Dei misericordiam promereri » non possit? » Negat hoc fieri posse, eò quòd Deus sit omnipotens, nec sit de ejus bona voluntate diffidendum, tandemque sic colligit, « nemo ergo » nec post centum peccata, nec post mille crimina de misericordia divina » desperet; sic tamen non desperet, ut sine ulla mora Deum sibi repro- » pitiari festinet: ne fortè si consuetudinem peccandi fecerit, etiam si » velit de diaboli laqueis se liberare non possit. » Et post multa in Ser- monis fine sic fideles omnes exhortatur, « Hæc ergo cogitantes, Fratres » charissimi, cum Dei adjutorio laboremus ne nobis aliqua crimina, vel » capitalia peccata subrepant. Si verò in hoc malo fuerit diabolicâ calli- » ditate prostratus, priusquam crimina ipsa, per consuetudinem convа- » lescant, remedium sibi in die necessitatis acquirat, et cum ingenti » rugitu et gemitu Deum sibi reconciliare contendat. » Difficillima igitur conversio animi in peccatis inveterati, et quò penitùs insedit et inveteravit malum, eò difficiliùs pœnitentia concipitur, quâ solâ malum intimum abstergi, et deleri potest. Nam si malum recens ingenti tantùm rugitu et gemitu evellitur, ut ipse docet, quid de inveterato credere par est? Eadem et iisdem verbis docet S. Cæsarius Arelatensis Homil. 14. quam ex Augustino desumptam sibi vendicavit.

N. 8. Idem planè docet suo exemplo S. Augustinus lib. 8. Confessio- num cap. 5. cùm scribit, « Velle meum tenebat inimicus, et inde mihi » catenam fecerat, et constrinxerat me. Quippe ex voluntate perversa » facta est libido, et dum servitur libidini facta est consuetudo, et dum » consuetudini non resistitur, facta est necessitas. *Et paulò post*, Vo- » luntas autem nova quæ mihi esse cœperat, ut te gratis colerem, frui- » que te vellem Deus sola certa jucunditas, nondum erat idonea ad » superandam priorem vetustate roboratam. » Postquam ista multis de- scripsit, de obnisu suo Dei inspirationibus facto sic disserit : *Non erat quod tibi responderem dicenti mihi:* (*Ephes.* v. 14.) Surge qui dormis et exsurge à mortuis, et illuminabit te Christus: « Et undique ostendenti » vera te dicere, non erat omninò quod responderem veritate convictus, » nisi tantùm verba lenta, et somnolenta: Modò, ecce modò, sine pau- » lulum: sed modò et modò non habebant modum, et sine paululùm ibat » in longum, etc. Lex peccati est violentia consuetudinis, quâ trahitur, » et tenetur etiam invitus animus eo merito quo in eam volens illabitur. » Tandem post pugnæ longum tempus consuetudinem devicit, et subegit conversionis vehementia, et dominante Dei dilectione peccati tyrannis exsulavit. Joannes Climacus in fine Gradûs 5. eamdem doctrinam appo- sitâ similitudine illustrat. « Dum adhuc recens atque in sanguine vulnus » est, facilè curari solet. Nam quæ diuturna et neglecta, atque obducta » vetustate sunt, difficillimè sanantur, ingentique labore et ferro et cau- » terio, et igni visibili, ut curari possint indigent. Plurima sunt quæ » tempore fiunt insanabilia, Deo tamen omnia sunt possibilia. » Cùm inveteravit crimen et invaluit peccandi consuetudo, duplici de causa pœnitere difficillimum, et ratione criminis et ratione peccantis. Prius, quia grande crimen et sæpiùs repetitum vehementissimam requirit con- fritionem quâ vulnus inflictum sanari possit. Posterius, quia habitus peccandi contractus, inspirationi Dei et bonis voluntatis affectibus per- tinaciter obsistit: ideò sancti illi peccatorem ejusmodi, nisi immensa Dei misericordia succurrat, quasi insanabilem deprædicant.

N. 9. S. Aug. aut Auctor Serm. ad Fratres in Eremo, Serm. 11. « Simus » tantùm proni ad lamentum et fletum, quantùm fuimus ad culpam au- » daces. Qualis fuit nobis intentio ad peccandum, talis sit ad pœniten- » dum devotio. Gravia peccata gravissimis lamentis indigent. » Et versùs Sermonis finem, « Ablue culpam per lacrymam; juxta quantitatem

» sordis mensura lacrymarum copiam, assumendo pœnitentiam, quæ » mater est omnium bonorum. »

N. 13. Eucherius Lugdunensis Homil. 5. ad Monachos : « Non putemus » tam facile remitti posse peccata inusta semel crimina et profundo » vulnere in animæ ipsius impressa visceribus. Multo opus et fletu, et » multo gemitu, multo dolore cordis ad sanandos ipsius cordis do- » lores. »

N. 15. Concilium Metense in Commonitorio de ratione imponendæ pœnitentiæ ad Episcopos in comitatu Ludovici Regis cap. 5. « Tantò majora » quærat bonorum operum quisque lucra per pœnitentiam, quantò gra- » viora sibi intulit damna per culpam, etc. Tanta sint bona, quæ tanta » operiant mala. »

N. 16. Concilium Pistense sub Nicolao I. in fine cap. 5. « Reparemus » ergo nos per pœnitentiam et confessionem, et per eleemosynas unus- » quisque secundùm possibilitatem suam, et quantùm quisque recognos- » cit se à Deo aruisse per culpas, tantùm bibat compunctionis suæ la- » crymas, etc. »

N. 17. S. Bernard. lib. de modo benè vivendi cap. 27. ita devotam mulierem instituit ; « Si vis abluere peccatorum tuorum maculas, semper » diligas lacrymas. Dulces tibi sint lacrymæ : deleclet te semper planc- » tus, et luctus : nunquam deseras planctum et luctum. Tantò esto prona » ad lamentum, quantò fuisti prona ad culpam. Quanta fuit tibi intentio » ad peccandum, tanta sit ad pœnitendum devotio. Secundùm infirmi- » tatem adhibenda est medicina : gravia peccata grandia lamenta desi- » derant. »

N. 18. Hugo à S. Victore lib. 2. de Sacramentis pag. 14. cap. 21. « Si in » correctione minor est afflictio, quàm in culpa fuit delectatio, non est » dignus pœnitentiæ tuæ fructus. »

N. 19. Jacobus Vitriacus Cardinalis, Sermone in capite jejunii, post longam ad contritionem exhortationem, tandem colligit : « Sit igitur Pœ- » nitens ita pronus ad lamentationem, quantùm fuit pronus ad culpam. » Et qualis fuit ad peccatum intentio, talis sit ad pœnitendum et lugen- » dum devotio, ut risus dolore misceatur, et extrema gaudii luctus oc- » cupet. »

N. 20. Petrus Blesensis in tractatu de Confessione sacramentali, ista multis exaggerat, et perspicuè docet quàm acri pœnitentiâ deleri debeant crimina quæcunque, et acriori pœnitentiæ dolore, quæ sunt graviora ; « Putant aliqui hæc sibi sufficere, quòd aliquandiu à sua turpitudine de- » fecerunt, atque de primitiis acceptæ continentiæ præsumentes, veteres » excessus non recolunt : et quasi spatio temporis evanuerint culpæ, vel » earum oblitus sit, aut dormiat Deus, putant de omnibus debitis brevi » pœnitentiæ compendio transegisse. Recole quid Job ad Dominum di- » cat, (XIV. 17.) *Signasti quasi in sacculo peccata mea ;* et Dominus in » Deuteronomio (XXXII. 34.) : *Nonne hæc condita sunt apud me et signata » in thesauris meis.* Non sine dolore cordis acerbissimo, et anxiâ cordis » afflictione sanantur, quæ longo usu inolita, et intimis animarum me- » dullis infixa sunt, nec horariâ et levi contritione redimi possunt, qui- » bus mors æterna debetur. *Idem argumentum multis persequitur, et post » multa colligit ;* Nemo itaque de momentanea contritione, vel affluentia » lacrymarum præsumat, etc. Nonne ita compunctio eorum excæcat » oculos, et aures cordis obturat, qui credentes se esse aliquid cùm nihil » sint, abominabiles criminum maculas sine fructibus pœnitentiæ pau- » cis lacrymis æstimant abluisse. Vera siquidem pœnitentia non in la- » crymis momentaneis aut horariâ compunctione consistit. Nulla etiam » affectio pia meritoria est ad salutem, nisi ex Christi dilectione procedat, » etc. *Idem Petrus Epistolâ* 61. Non tam facilè sine fletu ac gemitu cordis » acerboque dolore sanantur, quæ convalnerant in præcordiorum me- » dullis. Nec leviter culpa remittitur, nisi cum qualitate peccati humilitas » pœnitentiæ compenselur. »

N. 21. S. Petrus Damianus Cardinalis Opusculo de perfectione Monachorum cap. 6. « Si jus discretionis inspicitur, unusquisque quò magis » gravatur offensis, eò majori gravandus est pondere satisfactionis, faci- » liùs quippe debitor solvit, qui mutuatus est unciam, quàm ille qui

» libram : nec pari emendatione plectendus est, qui ovem rapuit, et ille » qui bovem. » Id exemplo Apostolorum probat, quos ait eò gravioribus tormentis afflictos fuisse, quò ante Apostolatum gravioribus criminibus sorduerant. Deinde de S. Paulo, « si ille inter tam magnifica virtutum » opera non confidit adhuc in Apostolatu, quid nos infelices et miseri » tantum præsumimus de nostræ desidiæ monachatu, etc. Sed quid pro- » dest à peccatorum perpetratione desistere, nisi et hæc ipsa quæ perpe- » trata sunt studeat quis districtæ Pœnitentiæ satisfactione delere? »

N. 22. Postremò ejusdem veritatis evidens et illustre testimonium est, ambiguitas et incertitudo cum qua semper loculi sunt Patres de salute peccatoris qui in lectulo ægrotus ad Deum convertebatur. Difficultatis istius causam præcipuam assignant sufficientis compunctionis obtinendæ difficultatem, eò quòd tum non possit ea peragere vel pati quæ ad acquirendam sufficientem animi ad Deum conversionem necessaria sunt. Patrum testimonia excussa sunt lib. 3. cap. 9. Pauca tantùm nunc referemus è Salviano Massiliensi Episcopo, qui difficultatis istius causas latissimè explicat lib. 1. ad Ecclesiam Catholicam. Universus ipsius sermo et rationum contextus evidentissimè demonstrant quid tum vulgò in Ecclesia creditum sit, et traditum de Pœnitentiæ interioris et exterioris difficultate et necessitate, ut quisque hæc legens nemine monente potest colligere. Occurrit Salvianus objectionibus defendentis causam in fine Pœnitentium, « Cilicio carnes conteret, ac favillâ et cinere sordidabit, ut molli- » tiem videlicet præteritæ voluptatis præsentium asperitatum duritiâ » compenset, et reatum longarum deliciarum officio patrocinantis solvat » injuriæ. *Deinde respondet*, Sed quando hæc tam grandia faciet, vicino » jam exitu etiam à mediocrium actione disclusus? *Iterum objicit*, Cru- » cibus denique diversarum ærumnarum reum in suo corpore hominem » judex fidei severitas subjugabit, ut indulgentiam scilicet absolutionis » æternæ præsentis pœnæ ambitione mereatur. *Et respondet*, Sed fatis- » cente jam corpore ubi exercebit districtionis officium censor animus? » Uti enim severitatis arbitrio judex non potest, quando reus jam non » sustinet judicari. *Exclusis his aliisque pœnitendi rationibus tandem col- » ligit*, Unum ergo est quod amissis omnibus adjumentis atque subsidiis » perfugium nutanti ac destituto opitulari queat, ut confugiat scilicet ad » illud beatissimi Danielis sacrum ac salubre consilium, qui Babylonio » regi mederi, volens, etc. » Deinde multis ostendit quâ ratione in illis extremis agens bonorum suorum eleemosynam facere teneatur : « Offerat » ergo vel moriens ad liberandam de perennibus pœnis animam suam : » sed offerat tamen cum compunctione, cum lacrymis, cum dolore, » cum luctu. Aliter quippe oblata non prosunt, quia non pretio, sed » affectu placent. Nec enim animus dantis datis, sed animo commendan- » tur data, etc. Nec absolvere se peccata sua credat, sed allevare : nec » offerat cum redemptionis fiducia, sed cum supplicationis officio, etc. » Et ideò licèt offerat, oret Deum, ut lenta sua placeat oblatio, plangens » et pœnitens quòd tardè offert, plangens et pœnitens quòd non priùs.

N. 23. Tandem his et ejusmodi exaggeratis concludit propter criminum magnitudinem, nec eleemosynis omnium rerum suarum esse fidendum, « Tu autem tantò plus pro te debes, quòd hæc vel moriens facis, vel jam- » jamque moriturus. Grandis enim munificentia ac devotio futura est quæ » possit id compensare, quòd hæc tum demum Domino tuo reddis, quando » habere ipse jam non potes. Præsertim cùm addatur ad ista omnia, quòd » Propheta ipse qui regem illum ad redemptionem criminum vocat, per » hæc ipsa quæ dicit debere fieri, non tam ei veniæ securitatem, quàm » viam inquirendæ salutis ostendat. »

Lib. 3. cap. 9. n. 1. Eamdem præterea doctrinam præclarè docet Auctor libri de vera et falsa Pœnitentia apud S. Augustin. cap. 17. « Illi autem » qui cùm potuerunt, nunquam converti voluerunt, confitentes cùm jam » peccare nequeunt, non sic facilè acquirunt, quod volunt. »

V. 2. Patres increpantes eos qui peccatorum post baptismum commissorum Pœnitentiam differebant, utrumque objiciebant, et occasionem Pœnitentiæ suscipiendæ dubiam et perplexam, et occasione illâ datâ salutis per Pœnitentiam sic susceptam obtinendæ incertam.

N. 4. Eadem populo suo prædicabat S. Cæsarius Arelatensis Homilia

43. 44. in posteriore præsertim, in qua præterea hæc ut et apud Ambrosium et Augustinum : « Quod dico attendite. Ego illud planiùs expono, » ne aliquis me malè intelligat. Nunquid dico, Damnabitur ? Non, sed, » Liberabitur, non dico. Et quid mihi dicis sancte Episcope ? Quid tibi » dicam, nescio. Dixi, non præsumo, non promitto, prorsùs nescio de » Dei voluntate. Vis te frater à dubio liberari ? vis quod incertum est eva- » dere ? Age pœnitentiam dum sanus es ; si enim agis veram Pœnitentiam » dum sanus es, et invenèrit te novissimus dies, currito ut reconcilieris. » Si sic agis securus es. Quare securus es ? Vis dicam tibi ? Quia egisti » Pœnitentiam eo tempore quo et peccare potuisti. Ecce dixi, quare se- » curus es. Si autem tunc agere vis ipsam Pœnitentiam, quando peccare » jam non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa. »

N. 5. Eadem erat S. Eligii sententia, cùm, Homiliâ 6. agens adversùs eos qui ad finem vitæ Pœnitentiam differunt, scribit : « Cùm omnes homines » Pœnitentiam velint in fine vitæ suæ accipere, vix paucos videmus eam » secundùm quod desiderant adipisci. » Deinde enarratis variis periculis quibus singulis horis omnes homines objecti sunt, atque hinc demonstrato capitalia peccata esse fugienda, bonis operibus perpetuò esse incumbendum, tandem colligit, « Si nos tantis operibus fideliter occupatos dies » transitûs nostri invenerit, sicut jam dixi, etiamsi in hora mortis nos- » træ pœnitentiam accipiamus : securi de hac luce migrabimus, et non » solùm pœnas evadere, sed etiam ad æternam vitam poterimus donante » Domino feliciter pervenire. » Hæc sola vivendi ratio Pœnitentes in fine securos reddit.

N. 6. Idem Augustinus Sermone 57. de tempore aliis verbis et egregiis cum rationibus docet : « Ad emendanda crimina vox Pœnitentis sola non » sufficit : Nam in satisfactione ingentium peccatorum non verba tan- » tùm sed opera quæruntur. Datur quidem etiam in extremis Pœniten- » tia, quia non potest denegari ; sed auctores tamen esse non possumus, » quod qui sic petierit, mereatur absolvi. Quomodo enim agit Pœniten- » tiam lapsus ? Quomodo agit Pœnitentiam in extremis vitæ finibus con- » stitutus ? Quomodo Pœnitentiam agere possit, qui nulla jam pro se opera » satisfactionis operari potest ? Et ideò Pœnitentia quæ ab infirmo peti- » tur, infirma est Pœnitentia ; quæ à moriente tantùm petitur, timeo » ne ipsa moriatur. » Multa quoque in eamdem sententiam docet sermone sequente.

N. 7. Cæsarius Aretalensis Homil. 13. multis in ejusmodi procrastinatores invehitur. « Sed dicet aliquis, Cùm ad senectam venero, et aliquâ » nimiâ infirmitate fuero desperatus, tunc Pœnitentiam petam. Non qui- » dem dicimus Pœnitentiam prodesse non posse. Certum est quia pro- » dest. » At quâ conditione prodest, ista Pœnitentia in fine vitæ acta, statim explicat, « Si cum grandi eleemosyna illam unusquisque accipiat, » et omnibus inimicis indulgentiam tribuat, et quibuscunque fecit injuriam veniam petat, et ita toto corde deliberet, si evaserit, quandiu » vixerit, totis viribus illam cum rugitu et gemitu et cum multis eleemosynis humiliter agat. » *Neque tamen his omnibus positis securitatem promittit :* « Multos novimus, dum sani essent, frequenter dixisse Pœnitentiam se toto corde desiderare, sed tamen quia illam statim agere » noluerunt, sine ipsius remedio de hoc seculo recesserunt. Perçutitur » enim hac animadversione peccator, ut moriens obliviscatur sui, qui » vivens oblitus est Dei. Nam qui remedium animæ suæ quando potuit, » noluerit quærere, postea etiamsi velit, dubium est, utrum mereatur » accipere. » Multa quoque habet in eamdem sententiam Homiliæ sequentis initio, præter ea quæ suprà ex Homiliis 43. et 44. citata sunt.

N. 11. Istius difficultatis rationes nonnullas reddit Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacrament. Fidei cap. 5. « Valdè difficile est, ut tunc vera sit » Pœnitentia quando tam sera venit. Quando cruciatus membra ligat, » et dolor sensum opprimit, vix homo aliud cogitare potest. Ergo si vis » securus esse, Pœnitentiam age, dum sanus es. Dum mens sibi vacare » potest, exerce illam in opere suo. Valdè suspecta debet esse pœniten- » tia, quæ coacta videtur esse, facile est ut homo se nolle putet, quod » posse non datur. Possibilitas optimè voluntatem probat. Si non facis » dum potes, manifestè ostendis quòd non vis. »

N. 12. Plures istius difficultatis rationes reddit et exaggerat Eusebius ad Damasum de morte S. Hieronymi, auctor longè recentior quàm præ se fert, sed tamen doctrinæ suo tempore vulgatæ testis fidelis. « Fortè » quis iterùm dicet, Vir qui toto tempore quo vixit malè fecit, in mortis » articulo acceptâ Pœnitentiâ à Deo veniam obtinebit. Heu quàm vana » suspicio, et falsa meditatio. Vix de centum millibus hominum quorum » mala semper fuit vita, meretur à Deo habere indulgentiam unus. Vir » totus in peccatis genitus et enutritus, qui nec Deum vidit, nec agno- » vit, nec de eo audire voluit, nec se peccasse cognoscit, nec quid Pœ- » nitentia sit, nisi fortè dormiendo novit, totus adhuc secularibus inno- » datus negotiis, quem angustia premit filiorum quos deserit, quem » infirmitas conterit, quem dolor divitiarum et temporalium bonorum » concutit, cùm eis non posse frui ampliùs secernit, quàm acceptam Deo » accipit Pœnitentiam, quam non acciperet, si adhuc se posse sanari » crederet? Certè verè concludam, qui dum sanus est et juvenis, Deum » offendere non formidat : in morte non merebitur divinam obtinere » indulgentiam. Quæ, dilectissimi filii, est Pœnitentia quam solùm quis » accipit, quia se vivere non posse ampliùs cernit? »

N. 13. Sanctus Bernardus, idem de Pœnitentia in extremis acta decernit cap. 27. lib. de modo bene vivendi : « Quando homo peccare potens pœ- » nitet, et vitam suam vivens ab omni crimine corrigit, sine dubitatione » quando ei mors advenerit ad æternam perveniet requiem. Qui autem » malè vivit, et in morte pœnitentiam agit, sicut damnatio illius est » incerta, ita et remissio illius est dubia. Qui ergo securus cupit esse in » morte de indulgentia, in sanitate pœnitentiam agat, et in sanitate pec- » cata sua lugeat. Igitur quia miseratio Dei occulta est, sine intermis- » sione flere necesse est. »

N. 14. Pœnitendi in extremo mortis periculo difficultatem ex duplici capite collegerunt antiqui Patres : Ex gravitate criminum post baptis- mum perpetratorum, quia, ut probatum est, ingentem admodum con- tritionem postulant, quæ pœnis satisfactoriis augetur, et impetratur, potissimùm cùm à Sacerdote imperantur.

Deinde ex morbo ipso, et aliis circumstantiis eum consequentibus. Secundam causam posteriores Theologi spectarunt, de prima parùm solliciti, si paucos excipias, et in primis Adrianum Papam quodlibeto quinto et de sacramento Pœnitentiæ, §. *secundo videndum*, *etc.* qui prio- rem illam causam non indiligenter attendit, et clarè explicat : cujus tamen mentem non intelligentes posteriores plerique Theologi insulsam illi opinionem affingere solent. Sed hujus rei excussio lineas nostras prætergreditur. Causas posterioris generis mihi videtur Scotus acutè excogitasse, et explicasse. Quapropter eas hùc referre non erit supervа- caneum. In Reportatis ad distinctionem 20. lib. 4. Sententiarum quatuor recenset. Primam petit ab infirmitatis, et periculi effectibus, qui ani- mum ob sui vehementiam ita occupant, infirmitas dolore, periculum timore, ut aliud vel cogitare non possit, vel debili admodum conatu. » Sed, inquit, nolendo peccatum, oportet quòd sit magna consideratio » intellectûs, et detestatio, ad hoc quòd sit attritio sufficiens ex congruo » ad remissionem peccati, sicut fuit vehemens delectatio prior in pec- » cato. » Sanctus Raimundus auctoritate SS. Hieronymi et Augustini fre- tus, scitè hoc explicat lib. 3. de Pœnitent. et remission. §. 23. « In extrema » ægritudine vix potest aliquis pœnitere, vel etiam cogitare. Hieron y- » mus : Cùm ægritudine opprimeris, vix potes aliud cogitare quàm quod » sentis, et illuc rapitur intentio mentis ubi est vis doloris. Multa enim, » ut ait Augst. occurrunt tunc impedimenta : nam morbus urget, pœna » terret. Filii quos illicitè dilexit, uxor et mundus eum ad se vocant. »

N. 15. Secundam rationem petit à timore qui tum totum hominem occupat. Sed ex ipsius sententia non sufficit ista dispositio ad promeren- dam gratiam. « Oportet quòd sit voluntaria detestatio, et debita circum- » stantia finis, ut quod homo non solùm pœniteat propter timorem » pœnæ, sed timore filiali : sed difficile est tunc dolere, nisi ex timore » solùm ; et si non sit cum amore, non disponit ex congruo : ideò diffi- » cile est. » Eamdem habet rationem Augustinus de vera et falsa Pœnit. cap. 17. eamdem in moribundo Pœnitendi difficultatem edisserens,

« Quem verè pœnitet, oportet non solùm timere Deum Judicem, sed et » justum diligere. Non timeatur pro pœna, sed ametur pro gloria. » Hanc rationem reddunt communiter Scholastici antiqui in eadem causa, in 4. dist. 20. Albertus magnus art. 3. « Pœnitentiam ex timore non audit » Deus, et de illa loquitur Glossa : sed de illa quæ est ex amore loquitur » hic : Et hanc Deus audit. Sed quia infirmitas potiùs est indicium timo- » ris, ideò rarò fit, ut ex amore aliquis tunc pœniteat. » Sanctus Thomas art. 1. q. 1. respons. ad 1. Richardus de Media Villa, art. 1. q. 1. « Tunc » est pœnitentia digna, cùm Pœnitens efficaciter dolet de præteritis, et » proponit cavere à mortalibus futuris, et proponit confiteri verè et satis- » facere pro posse, et quò ad hæc omnia principaliter moveatur per » amorem bonitatis divinæ, » quod ait in extremo vitæ periculo esse factu difficillimum. Thomas ab Argentina art. 1. « In rei veritate valdè est diffi- » cile in extremis sic mentem colligere ; quòd homo non solùm timore » pœnæ, sed ex Dei dilectione doleat se Deum per peccatum offendisse, » et proponat etiam, si diu deberet vivere, semper de hoc in futurum » cavere. In his enim duobus consistit verum et salutiferum pœnitere. » Idem docet S. Bonaventura in dist. 24. pag. 2. art. 1. q. 3. ubi duplicem facit Pœnitentiam, propter læsionem naturæ, et offensionem majestatis divinæ. Prior est naturalis, quia naturaliter nos diligimus, et odimus id quod nobis nocet et terrorem incutit ; estque ideò etiam in Dæmonibus. Posterior est grata Deo et accepta. Hùc etiam referendus est Joannes de Friburgo Summæ Confessorum lib. 3. tit. 34. q. 159.

N. 16. Tertiam rationem petit Scotus ab habitu in peccatis contracto, qui non potest non esse vehemens. « Igitur difficile est tunc primò contra » istum habitum inclinari detestando, quæ priùs erant delectabilia. » Denique scribit multò majorem in infirmo requiri displicentiam quàm in sano, quia liberiùs pœnitet sanus. « Ideò, inquit, credo, quòd ad hoc, » quòd infirmus mereatur gratiam ex congruo, multò majorem attritio- » nem requireret, cùm sit interitui proximus, quàm si esset sanus. Sed » difficile est habere tantam attritionem sicut in sanitate, non solùm » majorem. » Hinc tandem colligit cùm quis in ejusmodi statu verè pœni- tet, rarissimum esse, et instar miraculi. Cui certè consentit Augustinus cap. 17. de vera et falsa pœnitentia ; « Convertitur qui jam totus et » omninò vertitur, qui jam non tantùm pœnas non timet, sed ad bonum » Deum contendere festinat. Quæ conversio si contigerit alicui etiam in » fine, desperandum non est de ejus remissione. Sed quoniam vix vel » rarò est tam justa conversio, timendum est de pœnitente serò. Quem » enim morbus urget, pœna terret, ad veram vix venit satisfactionem, » maximè cùm filii quos illicitè dilexerit sint præsentes, uxor et mundus » ad se vocent. » Hunc locum, et in eumdem finem referunt Magister in 4. dist. 20. Gratian. de Pœn. dist. 7. cap. *Nullus exspectet.*

N. 17. Hac veritate freti antiqui Patres, sæpe Christianos à pœnitentia differenda deterruerunt, ut nonnullis exemplis probatum est. Nolim autem suspiceris lector, eos de salutis tum temporis acquirendæ possi- bilitate dubitasse. Non ignorabant id quod Cælestinus Pontifex Epist. 2. cap. 2. magno animo contendit, impium esse de hominis in his angustiis positi salute desperare, « quasi Deus non possit ad se quovis tempore » concurrenti succurrere, et periclitantem sub onere peccatorum homi- » nem, pondere quo se expediri desiderat liberare, etc. Desperat autem » de clementia Dei, qui eum ad subveniendum morienti sufficere vel in » momento posse non credit. » Neque id quod S. Leo docet Epist. 91. extremo illo tempore nec satisfactionem interdicendam, nec reconcilia- tionem, « quia misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec » tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera conver- » sio, dicente Spiritu Dei per Prophetam : » Cum conversus ingemueris, tunc salvus eris. Id fatentur ipsissimi locis allegatis, sed salutis eo tem- pore obtinendæ difficultatem tantùm urgent, quam rationibus omnibus jam narratis demonstrant. Pœnitentia peccatorum post Baptismum agitur difficillimè ; nam magnis fletibus et laboribus agenda est : Pœnitentia illa laboriosus est baptismus, baptismus lacrymarum, etc. Ergo de salute eorum qui Pœnitentiam ad extremum vitæ spiritum differunt grandis est dubitandi occasio, cùm labores illos et corporis infirmitas et

5. Dei irrisor est non pœnitens, qui eo solùm tempore ad Deum redire cogitat, quo peccare ampliùs non potest. Si quis autem Deum in vita contempserit, hunc ridet et subsannat vicissim Deus in interitu. (G).

4. Habemus in Scripturis exemplum Antiochi, quo nihil est quod movere magis debeat peccatores ad conversionem in mortis tempus non differendam. Antiochus impiè vixerat, Deum contempserat, semper in Judæos immaniter sævierat, ut eos cogeret ad derelinquendam legem Dei; tandem in morbum horribilem, Deo ulciscente, incidit, et jam jam moriturus in se rediit, et Deum enixè precatus est ut redderetur sibi sanitas, nihil non vovens si gratiam hanc consequeretur. *Orabat autem hic scelestus Dominum*, inquit Scriptura, (2. *Mach.* IX. 13.) *à quo non esset misericordiam consecuturus.* Et idipsum minatur Deus eventurum peccatoribus omnibus, qui conversionem suam differunt ad diem interitùs. (H)

temporis brevitas eos suscipere et exantlare vix patiatur. His igitur de causis sedulò monuerunt fideles, de Pœnitentia non esse idem quod de baptismo sentiendum; salutem pœnitentiâ post baptismum comparari difficillimè: Maturè itaque pœnitentiam agendam, nec in ea tempora differendam, quibus Deo satisfacere vix, ac ne vix quidem possumus.

N. 18. Ipse sanctus Leo cùm eadem Epistola 91. demonstravit nemini in extremis posito denegandam esse pœnitentiam et reconciliationem, ex sancti Pauli testimonio in Epist. 2. ad Timoth. cap. 2. Danielis verbis simili, *ne fortè det illis Deus Pœnitentiam*, etc. similiter cum Patribus suprà citatis breviter colligit salutis per pœnitentiam eâ horâ comparandæ propter satisfactionis labores, spem esse tenuem et obscuram, « Unde oportet unumquemque Christianum conscientiæ suæ habere judi» cium, ne converti ad Deum de die in diem differat: nec satisfactionis » sibi tempus in fine vitæ suæ constituat, quem periculosè ignorantia » humana concludit ut ad paucarum horarum spatium se reservet incer» tum: Et cùm possit pleniore satisfactione indulgentiam promereri, » illius temporis angustias eligat, quo vix inveniat spatium vel confessio » Pœnitentis, vel reconciliatio Sacerdotis. » Quâ complexione concludi posset pœnitentiam in eo vitæ periculo agentes salutem adispici non posse, cùm Ecclesia, quæ vigentibus persecutionibus reconciliare non solebat eos qui lapsi in iis temporis angustiis pœnitentiam cum reconciliatione flagitare tantùm incipiebant, salutem tamen à Deo non negaret obtinere posse? Imò, ne Hæretici quidem Novatiani et Montanistæ, licèt omnem peccatis capitalibus veniam denegarent, eam à Deo verè Pœnitentes obtinere posse inficiabantur. Multò sanè magis in illa extrema conjecti accedente Sacerdotis absolutione cui incessabiliter Salvator intervenit, veniam et gratiam impetrabunt. *Multum enim utile ac necessarium*, ait S. Leo, *ut peccatorum reatus ante ultimum diem Sacerdotali supplicatione solvatur.*

(G) PROV. I. 24. Quia vocavi et renuistis: extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret. 25. Despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis. 26. Ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo, cùm vobis id, quod timebatis, advenerit. 27. Cùm irruerit repentina calamitas, et interitus quasi tempestas ingruerit: quando venerit super vos tribulatio et angustia. 28. Tunc invocabunt me, et non exaudiam: manè consurgent, et non invenient me: 29. eò quod exosam habuerint disciplinam, et timorem Domini non susceperint, 30. nec acquiverint consilio meo, et detraxerint universæ correptioni meæ. 31. Comedent igitur fructus viæ suæ, suisque consiliis saturabuntur.

Vide quæ diximus suprà, Part. 1. *Sect.* 2. *Cap.* 3. §. 14.

(H) PROV. I. 24. *Vide litt. superior.* (G)

I. Id si ita est, debent ergo peccatores desperare prorsùs salutem, si conversionem suam ad diem ultimum fortè distulerint ?

R. Nequaquam. Potest enim Deus omnipotens et summè misericors id in eorum gratiam facere quod egit in gratiam latronis secum è cruce pendentis. (I) Videant tamen peccatores ne temerè sibi de tanto miraculo blandiantur. Id enim semel non bis egisse scribitur Deus in sacris codicibus. Peccator instante morte in gratiam Dei reversus unus est, ne desperes : solus est, ne confidas.

I. Quid ergo facto opus homini peccatori ?

R. Ne tardet converti ad Dominum ignorans quid superventura pariat dies. * (*Eccli.* V. 8.) Quòd si hunc fortè morbus præoccupaverit, sic timenda Dei justitia est ut illius misericordia non desperetur. (K)

(I) S. AMBROS. *in Luc. lib.* 10 *n.* 121. Pulcherrimum affectandæ conversionis exemplum, quòd tam citò latroni venia relaxatur, et uberior est gratia quàm precatio ; semper enim Dominus plus tribuit quàm rogatur. Ille enim rogabat ut memor esset sui Dominus, cùm venisset in regnum suum : Dominus autem ait illi : *Amen, amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* XXIII. 43.) ; vita est enim esse cum Christo ; ideò ubi Christus, ibi vita, ibi regnum. Citò igitur ignoscit Dominus, quia citò ille convertitur.

(K) S. AUG. *Epist.* 153. *alias* 54. *ad Maced. cap.* 1. *n.* 3. Morum porrò corrigendorum nullus alius quàm in hac vita locus est : nam post hanc quisque id habebit, quod in hac sibimet conquisierit.

Cap. 2. *n.* 4. Hàc indulgentiâ et lenitate divinâ multos abuti ad perniciem suam quis nescit ? Quos arguens Apostolus, et graviter increpans, dicit : *Existimas autem ô homo omnis, qui judicas eos qui talia agunt, et facis ea, quoniam tu effugies judicium Dei ? An divitias benignitatis ejus et patientiæ et longanimitatis contemnis ? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit ? Secundùm autem duritiam tuam et cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ, et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundùm opera ejus.* (*Rom.* II. 3. *etc.*) Nunquid quoniam isti in sua nequitia perseverant, ideò Deus in sua patientia non perseverat; perpauca in hoc seculo puniens, ne divina providentia non esse credatur; et multa servans ultimo examini, ut futurum judicium commendetur ?

Cap. 3. *n.* 7. Et quamvis eis (post pœnitentiam relapsis) in Ecclesia locus humillimæ pœnitentiæ non concedatur : Deus tamen super eos suæ patientiæ non obliviscitur. Ex quorum numero si quis nobis dicat, Aut date mihi eumdem iterùm pœnitendi locum, aut desperatum me permittite, ut faciam quidquid libuerit, quantùm meis opibus adjuvor, et humanis legibus non prohibeor, in scortis omnique luxuria, damnabili quidem apud Dominum, sed apud homines plerosque etiam laudabili : aut si me ab hac nequitia revocatis, dicite utrùm mihi aliquid prosit ad vitam futuram, si in ista vita illecebrosissimæ voluptatis blandimenta contempsero, si libidinum incitamenta frenavero, si ad castigandum corpus meum multa mihi etiam licita et concessa subtraxero, si me pœnitendo vehementiùs quàm priùs excruciavero, si miserabiliùs ingemuero, si flevero uberiùs, si vixero meliùs, si pauperes sustentavero largiùs, si charitate, quæ operit multitudinem peccatorum, flagravero ardentiùs. Quis nostrum ita desipit, ut huic homini dicat, Nihil tibi ista proderunt in posterum ; vade, saltem vitæ hujus suavitate perfruere ? Averlat Deus tam immanem sacrilegamque dementiam. Quamvis ergo cautè salubriterque provisum sit, ut locus illius humillimæ pœnitentiæ semel in Ecclesia concedatur, ne medicina vilis minùs utilis esset ægrotis, quæ tantò magis salubris est, quantò minùs contemptibilis fuerit : quis tamen audeat dicere Deo, Quare huic

§, 2. In quo positum sit Sacramentum Pœnitentiæ. De ejus Institutione et necessitate.

I. In quo positum est pœnitentiæ sacramentum ?

R. In contritione et confessione et satisfactione pœnitentis, et absolutione Sacerdotis. Id est, ad sacramentum Pœnitentiæ quatuor requiruntur : 1. Ut qui peccavit, post baptismum, de peccatis suis omnibus conteratur. 2. Ut ea confiteatur Sacerdoti approbato. 3. Ut velit pro eorum expiatione satisfacere. 4. Peccatorum absolutionem accipiat ab eo Sacerdote.

I. Quà nobis ratione constat institutum à Christo fuisse Pœnitentiæ sacramentum ?

R. Id constat ex Scriptura et Traditione.

Ex Scriptura quidem, in qua legitur Christum à mortuis excitatum insufflasse in Discipulos suos dicendo, (*Joan.* XX. 22. 23.) *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis ; et quorum retinueritis, retenta sunt.* (A)

Ex Traditione verò. Nam hoc Christi tam insigni facto, et verbis tam perspicuis, potestatem remittendi et retinendi peccata, ad reconciliandos fideles, post baptismum lapsos, Apostolis et eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensu semper intellexit Ecclesia : et Novatianos, remittendi potestatem olim pertinaciter negantes, magnâ ratione tanquam Hæreticos explosit atque condemnavit, jam à tertio seculo, ac demum in generali Concilio Nicæno. (B)

homini, qui post primam pœnitentiam rursùs se laqueis iniquitatis obstringit, adhuc iterùm parcis ? Quis audeat dicere erga istos non agi, quod Apostolus ait, * (*Rom.* II. 4.) *Ignoras quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit ?* aut istis exceptis esse definitum quod scriptum est, *Beati omnes qui confidunt in eum ?* (*Psal.* II. 13.) aut ad istos non pertinere quod dicitur, *Viriliter agite, et confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Dominum ?* (*Psal.* XXX. 25.)

(A) *Sacramentum hocce instituturum jam promiserat Christus* (MATTH. XVI. 19.) Et tibi dabo claves Regni cœlorum, et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis : et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis.

XVIII. 18. Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo : et quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo.

(B) S. CYPRIAN. *Epist.* 57. *aliàs* 5*h. ad Cornel. PP. init.* Nec enim fas erat, aut permittebat paterna pietas et divina clementia, Ecclesiam pulsantibus claudi, et dolentibus ac deprecantibus spei salutaris subsidium denegari, ut de seculo recedentes sine communicatione et pace ad Dominum dimitterentur, quando permiserit ipse, qui legem dedit, ut ligata in terris etiam in cœlis ligata essent ; solvi autem possent illic, quæ hic priùs in Ecclesia solverentur. (*Matth.* XVI. 19. XVIII. 18.)

S. PACIAN. *Epist.* 1. *ad Sympron. versùs finem.* Nunquàm Deus, non pœnitenti, comminaretur ; nisi ignosceret pœnitenti. Solus hoc, inquies, Deus poterit. Verum est : sed et quod per Sacerdotes suos facit, ipsius potestas est. Nam quid est illud quod Apostolis dicit ; *Quæ ligaveritis in terris, ligata erunt et in cœlis : et quæcunque solveritis in terris, soluta erunt et in cœlis.* (*Matth.* XVI. 19. XVIII. 18.) Cur hoc, si ligare hominibus ac solvere non licebat ? An tantùm hoc solis Apostolis licet ? Ergo et

baptizare solis licet, et Spiritum sanctum dare solis, et solis gentium peccata purgare : quia totum hoc, non aliis quàm Apostolis imperatum est. Quòd si uno in loco, et resolutio vinculorum et sacramenti potestas datur : aut totum ad nos, ex Apostolorum forma et potestate, deductum est; aut nec illud ex decretis relaxatum est : *Ego*, inquit, *fundamentum posui, alius autem superædificat.* (1. *Cor.* III. 10.) Hoc ergo superædificamus, quod Apostolorum doctrina fundavit. Denique et Episcopi, Apostoli nominantur; sicut de Epaphrodito Paulus edisserit : *Fratrem et commilitonem*, inquit, *meum; vestrum autem Apostolum.* (*Philip.* II. 25.) Si ergo et lavacri et Chrismatis potestas, majorum et longè charismatum ad Episcopos inde descendit; et ligandi quoque jus adfuit, atque solvendi. Quod et si nos, ob nostra peccata, temerariè vindicamus; Deus tamen illud, ut sanctis et Apostolorum cathedram tenentibus, non negabit; qui Episcopis, etiam unici sui, nomen indulsit.

S. JOAN. CHRYSOST. *lib.* 3. *de Sacerdot. paulò post init.* Qui terram incolunt atque in ea versantur, iis commissum est ut ea quæ in cœlis sunt, dispensent : iis datum est ut potestatem habeant, quam Deus optimus neque Angelis, neque Archangelis datam esse voluit : neque enim ad illos dictum est, *Quæcunque alligaveris in terra, erunt alligata et in cœlo : et quæcunque solveris in terra, erunt soluta et in cœlo.* (*Matth.* XVI. 19. XVIII. 18.) Habent quidem et terrestres principes vinculi potestatem, verùm corporum solùm. Id autem quod dico Sacerdotum vinculum ipsam etiam animam contingit, atque ad cœlos usque pervadit : usque adeò ut quæcunque infernè Sacerdotes confecerint, illa eadem Deus supernè rata habeat, ac servorum sententiam Dominus confirmet. Etenim quidnam hoc aliud esse dicas, nisi omnem rerum cœlestium potestatem illis à Deo concessam? *Quorumcunque* enim, ait, *peccata retinueritis, retenta sunt.* (*Joan.* XX. 23. *Matth.* XXIII. 18.) Quænam, obsecro, potestas hac una major esse queat? Pater omnifariam Filio potestatem dedit : cæterum video ipsam eamdem omnifariam potestatem à Deo Filio illis traditam.

S. AMBROS. *Lib.* 1. *de pœnit. cap.* 2. *n.* 6. Sed aiunt (Novatiani) se Domino deferre reverentiam, cui soli remittendorum criminum potestatem reservent. Immò nulli majorem injuriam faciunt, quàm qui ejus volunt mandata rescindere, commissum munus refundere. Nam cùm ipse in Evangelio suo dixerit Dominus Jesus : (*Joan.* XX. 22. *et* 23.) *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis : et quorum detinueritis, detenta erunt;* quis est ergo qui magis honorat, utrum qui mandatis obtemperat, an qui resistit?

N. 7. Ecclesia in utroque servat obedientiam, ut peccatum et alliget et relaxet : hæresis in altero immitis, in altero inobediens; vult ligare, quod non resolvat : non vult solvere, quod ligavit; in quo se suâ damnat sententiâ. Dominus enim par jus et solvendi esse voluit et ligandi, qui utrumque pari conditione permisit. (*Ibid. et Matth.* XVI. 19. XVIII. 18.) Ergo qui solvendi jus non habet, nec ligandi habet.... Quibus donatum utrumque est, aut utrumque licere manifestum est, aut utrumque non licere certum est. Ecclesiæ utrumque licet, hæresi utrumque non licet; jus enim hoc solis permissum Sacerdotibus est. Rectè igitur hoc Ecclesia vindicat, quæ veros Sacerdotes habet : hæresis vendicare non potest, quæ Sacerdotes Dei non habet.

S. CYRILLUS ALEXAND. *lib.* 12. *in Joan. cap.* 1. Porrò Christus dans Spiritum, (*Joan.* XX. 23.) *quorum peccata remiseritis*, inquit, *remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt*, quamvis solus sit secundùm naturam Deus, et potestatem habeat peccatis reos exsolvendi. Quonam igitur modo aut quâ ratione Servator dignationem quæ soli naturæ divinæ debetur suis Discipulis attribuit... Existimabat eos qui divinum ac dominicum jam in seipsis Spiritum habebant, etiam remittendi peccata dominos esse debere, et ea retinendi quæ voluerint, Sancto Spiritu qui in iis inhabitat remittente, vel etiam retinente pro suo nutu, quamvis id per homines fortè fiat. Remittunt porrò peccata, vel retinent Spiritu afflati homines duobus ut arbitror modis : vel enim dignos ad baptismum vocant, vitæ nimiùm gravitate et constantiâ fidei jam

probatos homines, vel prohibent, et à gratiâ divinâ arcent eos qui nondum digni sunt, vel alio quodam modo peccata remittunt ac retinent.

S. Aug. *Epist.* 228. *aliàs* 180. *ad Honorat. n.* 8. An non cogitamus, cùm ad istorum periculorum pervenitur extrema, nec est potestas ulla fugiendi, quantus in Ecclesia fieri soleat ab utroque sexu, atque ab omni ætate concursus, aliis baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam pœnitentiæ ipsius actionem, omnibus consolationem et sacramentorum confectionem et erogationem? Ubi si Ministri desint, quantum exitium sequitur eos, qui de isto seculo vel non regenerati exeunt vel ligati?.... Si autem Ministri adsint, pro viribus, quas eis Dominus subministrat, omnibus subvenitur; alii baptizantur, alii reconciliantur.

Serm. 351. *aliàs* 50. *inter Homil.* 50. *c.* 4. *n.* 7. Qui separari à regno cœlorum timet per ultimam sententiam summi judicis, per Ecclesiasticam disciplinam à sacramento cœlestis panis interim separetur.

N. 9. Quisquis ergo post baptismum aliquorum pristinorum majorum opere obligatus tenetur, usque adeone sibi inimicus est, ut adhuc dubitet vitam mutare, cùm tempus est, cùm ita peccat et vivit? Nam utique quòd ita perseveranter peccat, *thesaurizat sibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei.* (*Rom.* II. 5.) Quòd autem adhuc vivit, patientia Dei ad pœnitentiam eum adducit. * (*Rom.* II. 4.) Implicatus igitur tam mortiferorum vinculis peccatorum detrectat, aut differt, aut dubitat confugere ad ipsas Claves Ecclesiæ, quibus solvatur in terra, ut sit solutus in cœlo.... Judicet ergo se ipsum homo in istis voluntate, dum potest, et mores convertat in melius: ne cùm jam non poterit, etiam præter voluntatem à Domino judicetur: et cùm ipse in se protulerit severissimæ medicinæ, sed tamen medicinæ sententiam, Veniat ad Antistites, per quos illi in Ecclesia claves ministrantur: et tanquam bonus jam incipiens esse filius, maternorum membrorum ordine custodito, à præpositis sacramentorum accipiat satisfactionis suæ modum: ut in offerendo sacrificio cordis contribulati devotus et supplex, id tamen agat quod non solùm ipsi prosit ad recipiendam salutem, sed etiam cæteris ad exemplum. Ut si peccatum ejus, non solùm in gravi ejus malo, sed etiam in tanto scandalo aliorum est, atque hoc expedire utilitati Ecclesiævidetur Antistiti in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere pœnitentiam non recuset, non resistat, non lethali et mortiferæ plagæ per pudorem addat tumorem.

Cap. 5. *n.* 12. *in fine.* Ecclesiæ... clavibus quodcunque in terra solvitur, etiam in cœlo solutum promittitur. (*Matth.* XVI. 19.)

Serm. 352. *aliàs* 27. *inter Homil.* 50. *cap.* 3. *n.* 8. Jam processerunt à morte (*peccatores pœnitentes:*) nam non confiterentur, nisi procederent. Ipsum confiteri, ab occulto et à tenebroso procedere est. Sed quid Dominus Ecclesiæ suæ? *Quæ solveritis*, inquit, *in terra, soluta erunt et in cælo.* Proinde Lazaro procedente, quia implevit Dominus misericordiæ suæ bonum, perducere ad confessionem mortuum latentem, putentem; jam cætera implet Ecclesiæ ministerium: *solvite illum, et sinite abire.* (*Joan.* XI. 44.)

S. Leo. *Epist.* 83. *aliàs* 91. *cap.* 2. Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subvenit humanis, ut non solùm per baptismi gratiam, sed etiam per pœnitentiæ medicinam spes vitæ reparetur æterna, ut qui regenerationis dona violassent, proprio se judicio condemnantes, ad remissionem criminum pervenirent: sic divinæ bonitatis præsidiis ordinatis, ut indulgentia Dei nisi supplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri. *Mediator* enim *Dei et hominum homo Christus Jesus* (1. *Tim.* II. 5.) hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut et confitentibus actionem pœnitentiæ darent: et eosdem salubri satisfactione purgatos, ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent. Cui utique operi incessabiliter ipse Salvator intervenit, nec unquam ab his abest, quæ Ministris suis exsequenda commisit, dicens: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi:* (*Matth.* XXVIII. 20.) ut si quid per servitutem nostram bono ordine et gratulando impletur effectu, non ambigamus per Spiritum sanctum fuisse donatum.

I. Fuitne semper sacramentum Pœnitentiæ prorsùs necessarium ad obtinendam lapsis post Baptismum peccatorum remissionem ?

R. Si de peccatis lethalibus baptizatorum quæstio sit, nunquam potuit eorum obtineri remissio, nisi virtute sacramenti Pœnitentiæ post Christi resurrectionem. (C)

I. Ergo certa est eorum damnatio, qui in peccatum mortale lapsi post Baptismum, moriuntur non suscepto Pœnitentiæ sacramento ?

R. Nequaquam : potest enim sacramentum Pœnitentiæ non secùs ac sacramentum Baptismi voto suscipi : et si vel absente Sacerdote, vel urgente quavis aliâ ineluctabili necessitate non suscipiatur actu, votum illud sufficit, si contritionem perfectam habeat adjunctam. (D)

I. Cur ergo ais neminem baptizatum in peccatum lethale lapsum, obtinuisse remissionem peccatorum nisi virtute sacramenti Pœnitentiæ ?

R. Quia virtus Sacramenti operatur et in iis qui urgente ineluctabili necessitate illud non re quidem, sed voto, quantùm in se est suscipiunt. Adeòque verùm est quod dixi, nonnisi virtute sacramenti Pœnitentiæ lapsorum peccata mortalia remitti. (E)

Id asserunt unanimi consensu antiqui Ecclesiæ Doctores : plures referre supervacaneum esset.

(C) *Vide Momenta Patrum suprà allata hocce §. litt.* (B)

Concil. Trident. *Sess.* 6. *cap.* 14. Qui ab hac accepta justificationis gratia per peccatum exciderunt, rursùs justificari poterunt, cùm, excitante Deo per pœnitentiæ sacramentum, merito Christi amissam gratiam recuperare procuraverint : hic enim justificationis modus est lapsis reparatio : quam secundam post naufragium deperditæ gratiæ tabulam sancti Patres aptè nuncuparunt. Etenim pro iis qui post baptismum in peccata labuntur, Christus Jesus sacramentum instituit pœnitentiæ, cùm dixit : (*Joan.* xx. 22. 23.) *Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis ; et quorum retinueritis, retenta sunt.*

(D) Concil. Trid. *Sess.* 14. *cap.* 4. Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius ; et in homine post baptismum lapso ita demum præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia divinæ misericordiæ, et voto præstandi reliqua, conjunctus sit, quæ ad ritè suscipiendum hoc sacramentum requiruntur.

(E) Concil. Trid. *Sess.* 14. *cap.* 4. Docet præterea, et si contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur ; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.

Sess. 6. *cap.* 14. Docendum est, Christiani hominis pœnitentiam post lapsum multò aliam esse à baptismali ; eâque contineri non modò cessationem à peccatis, et eorum detestationem, aut cor contritum et humiliatum, verùm etiam eorumdem sacramentalem confessionem saltem in voto, et suo tempore faciendam, et Sacerdotalem absolutionem ; itemque satisfactionem per jejunia, eleemosynas, orationes, et alia pia spiritualis vitæ exercitia ; non quidem pro pœna æterna, quæ vel sacramento, vel sacramenti voto una cum culpa remittitur, sed pro pœna temporali : quæ, ut sacræ Literæ docent, non tota semper, ut in baptismo fit, dimittitur illis, qui gratiæ Dei quam acceperunt, ingrati Spiritum sanctum contristaverunt, et templum Dei violare non sunt veriti. (*Ephes.* iv. 30. 1. *Cor.* iii. 11.)

I. Quâ nobis ratione constat sufficere ad peccatorum remissionem, urgente ineluctabili necessitate, votum sacramenti cum contritione perfecta?

R. Id Traditione constat : idque docuit semper Ecclesia. Idcòque cùm pœnitens olim supremum diem obibat nondum expletâ pœnitentiâ, nec acceptâ absolutione Sacerdotis, multum de ejus salute confidebat Ecclesia : et fieri pro eo sacrosancti Sacrificii oblationem sanxerat. (F)

I. Quandonam accedere licet ad Pœnitentiæ sacramentum?

R. Quoties premit conscientia peccati alicujus, quantumcunque grave vel leve illud sit. (G)

I. Potestne sacramentum hoc sæpiùs suscipi?

R. Quotiescunque in nova peccata relabimur, toties adest sacramenti Pœnitentiæ medicina, ad quam omninò confugere tenemur, si de peccatis mortalibus quæstio sit. (H)

(F) S. Cyprian. *Epist.* 18. *aliàs* 13. Qui libellos à Martyribus acceperunt, et prærogativâ eorum apud Deum adjuvari possunt, si incommodo aliquo et infirmitatis periculo occupati fuerint, non exspectatâ præsentiâ nostrâ, apud Presbyterum quemcunque præsentem, vel si Presbyter repertus non fuerit, et urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque, exomologesin facere delicti sui possint : ut manu eis in pœnitentia impositâ veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres litteris ad nos factis desideraverunt. Cæteram quoque partem plebis quæ lapsa est, præsentiâ vestrâ fovete : et ut à fide et misericordiâ Domini non deficiant, vestro solatio focillate ; neque enim deserentur ab ope et auxilio Domini, qui mites et humiles, et pœnitentiam verè agentes in bonis operibus perseveraverint, quominus illis quoque divino remedio consulatur.

Concil. Carthag. IV. *ann.* 398. *can.* 76. Is qui pœnitentiam infirmitate petit, si casu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt, et accipiat pœnitentiam. Et si continuò creditur moriturus, reconcilietur per manûs impositionem et infundatur ori ejus Eucharistia. Si supervixerit, admoneatur à supradictis testibus, petitioni suæ satisfactum : et subdatur statutis pœnitentiæ legibus, quandiu Sacerdos, qui pœnitentiam dedit, probaverit.

Can. 79. Pœnitentes, qui attentè leges pœnitentiæ exsequuntur, si casu in itinere, vel in mari mortui fuerint, ubi eis subveniri non possit, memoria eorum oblationibus commendetur.

Concil. Arelat. II. *ann.* 452. *can.* 12. De his qui in pœnitentia positi vitâ excesserunt, placuit nullum communione vacuum debere dimitti ; sed pro eo quòd honoravit pœnitentiam, oblatio illius suscipiatur.

(G) *Id inferri potest ex verbis Christi ad Petrum* Matth. xviii. 21. Tunc accedens Petrus ad eum, dixit : Domine, quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei? usque septies? Dicit illi Jesus : Non dico tibi usque septies ; sed usque septuagies septies.

Concil. Trident. *Sess.* 14. *can.* 1. Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse verè et propriè sacramentum pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, à Christo Domino nostro institutum ; anathema sit.

(H) S. Aug. *Serm.* 351. *aliàs* 50. *inter Homil.* 50. *n.* 9. *Vide suprà hocce* §. *litt.* (B)

Serm. 278. *aliàs de diversis* 34. *cap.* 12. *n.* 12. Cæterùm hujus vitæ sunt quædam gravia et mortifera, quæ nisi per vehementissimam molestiam humiliationis cordis et contritionis spiritûs et tribulationis pœnitentiæ non relaxantur. Hæc dimittuntur per claves Ecclesiæ.

Concil. Trident. *Sess.* 14. *cap.* 5. Universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse a Domino integram peccatorum confessionem, et

I. Quid si quæstio sit de peccatis venialibus ?

R. Utile est quidem et pro venialibus ad sacramentum Pœnitentiæ recurrere, sed necessarium non est. Multa alia exstant venialium peccatorum remedia, nimirùm, Contritio cordis, Oratio, Jejunium, Eleemosyna, alia bona opera, etc. (I)

omnibus post baptismum lapsis jure divino necessariam existere : quia Dominus noster Jesus Christus, è terris ascensurus ad cœlos, Sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tanquam Præsides et Judices ; ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint : quo, pro potestate clavium, remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient. Constat enim, Sacerdotes judicium hoc, incognitâ causâ, exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere duntaxat, et non potiùs in specie, ac sigillatim, sua ipsa peccata declarassent. Ex his colligitur, oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint.

(I) Concil. Trident. *Sess.* 14. *cap.* 5. Venialia, quibus à gratia Dei non excludimur, in quæ frequentiùs labimur, quamquam recte et utiliter citraque omnem præsumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat ; taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt.

Vide Auctoritates ex S. Aug. §. *superiori litt.* (C) *depromptas.*

S. Aug. *Serm.* 56. *in Evang. Matth. aliàs de diversis* 48. *cap.* 7. *n.* 11. Qui baptizantur et exeunt, sine debito ascendunt, sine debito pergunt. Qui autem baptizantur et tenentur in hac vita, de fragilitate mortali contrahunt aliquid ; unde etsi non naufragatur, tamen oportet ut sentinetur : quia si non sentinatur, paulatim ingreditur unde tota navis mergatur : et hoc orare, sentinare est. Non tantùm autem debemus orare, sed et eleemosynam facere : quia quando sentinatur, ne navis mergatur, et vocibus agitur et manibus. Vocibus agimus, cùm dicimus, *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* (*Matth.* VI. 12. *etc.*) Manibus autem agimus, cùm facimus, *Frange esurienti panem tuum, et egenum sine tecto induc in domum tuam.* (*Isaï.* LVIII. 7.) *Include eleemosynam in corde pauperis, et ipsa pro te exorabit* ad Dominum. (*Eccli.* XXIX. 15.)

Cap. 8. *n.* 12. Dimissis ergo peccatis omnibus per lavacrum regenerationis, in magnas angustias contrusi fuerimus, si non nobis daretur quotidiana mundatio sanctæ orationis. Eleemosynæ et orationes mundant peccata ; tantùm ne talia committantur, unde necesse sit separari nos à pane quotidiano ; vitantes debita, quibus debetur certa et severa damnatio. Nolite vos justos dicere, quasi non habeatis unde dicatis, *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* (*Matth.* VI. 12.)

Serm. 181. *aliàs* 29. *de verb. Apost. cap.* 6. *n.* 8. Quid hîc facis in Ecclesia, quæ dicit, *dimitte nobis debita nostra ?* Debita se habere confitentur, quæ relaxentur. Qui non confitentur, non ideò non habent : sed ideò eis non relaxabuntur. Confessio nos sanat, et vita cauta, vita humilis, oratio cum fide, contritio cordis, lacrymæ non fictæ de vena cordis profluentes, ut dimittantur nobis peccata, sine quibus esse non possumus. Confessio, inquam, nos sanat, dicente Apostolo Joanne, *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et justus, ut dimittat nobis peccata, et mundet nos ab omni iniquitate.* (1. *Joan.* I. 9.) Non autem, quia dico quòd non possumus hîc esse sine peccato, homicidia facere debemus, aut adulteria, vel cætera mortifera peccata, quæ uno ictu perimunt. Talia non facit bonæ fidei et bonæ spei Christianus : sed illa sola, quæ quotidiano orationis penicillo tergantur. Humiles et devoti dicamus quotidie, *dimitte nobis debita nostra :* (*Matth.* VI. 12. *etc.*) sed si facimus quod sequitur, *sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Sponsio hæc cum Deo, vera sponsio et fixa conditio est.

§. 5. De Contritione. Quæ sint conditiones ad Contritionem requisitæ.

I. Quid facto opus ut quis ritè accedat ad Pœnitentiæ sacramentum?

R. Ante omnia debet sinceram habere de peccatis suis contritionem.

I. Quid est contritio?

R. Contritio animi dolor, ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero. (*Concil. Trid. Sess.* 14. *cap.* 4.)

I. Cur dolor ille contritio dicitur?

Serm. 261. *aliàs* 12. *de diversis*, *cap.* 9. *n.* 9. Sine peccato hîc non vivimus. Non enim peccata sola sunt illa quæ crimina nominantur, adulteria, fornicationes, sacrilegia, furta, rapinæ, falsa testimonia; non ipsa sola peccata sunt. Attendere aliquid quod non debebas, peccatum est: audire aliquid libenter, quod audiendum non fuit, peccatum est: cogitare aliquid quod non fuit cogitandum, peccatum est.

Cap. 10. *n.* 10. Sed dedit Dominus noster post illud lavacrum regenerationis alia quotidiana remedia. Quotidiana nostra mundatio, Dominica oratio. Dicimus, et verum dicimus, quia et ipsa eleemosyna est: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* (*Matth.* VI. 12.) *Date eleemosynas, et omnia munda sunt vobis....* (*Luc.* XI. 41.) Quam habere poterit spem salutis piger in remediis, creber in morbis? Sed parvi morbi sunt? Congerie premunt.

Cap. 11. Minora peccata sunt quæ habeo. Non sunt multa? Nam quomodo minora sunt, quæ premunt, obruunt: quid minutius pluviæ guttis? Flumina implent. Quid minutius granis tritici? Horrea implent. Tu attendis quia minora sunt, et non attendis quia multa sunt. Attendere nosti: numera, si potes. Sed planè quotidianum remedium dedit Deus.

Serm. 278. *aliàs de divers.* 34. *cap.* 10. *n.* 10. Certè manifestum est, et renuntiat omnium conscientia, quia difficile est sic uti rebus concessis, ut non aliquantulùm excedatur modus. Quando autem excesseris modum, offendis Deum, cujus templum es. (1. *Cor.* III. 16. *et* 17.).... Quomodo mundabis rursùs in te domum Dei? quomodo eum reduces ad te? quomodo, nisi dicendo ex vero corde tuo, et verbis et factis, *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris?* (*Matth.* VI. 12. *etc.*) Quis enim te accusabit immoderatè utentem tuo cibo, tuo potu, tua conjuge? Nemo accusabit hominum: sed tamen quia Deus arguit, exigens de te integritatem templi sui et incorruptionem habitationis suæ, dedit tibi remedium, tanquam dicens: Si excedendo modum offendis me, et ego tenebo te reum, ubi te nullus hominum accusat; dimitte homini quod in te peccavit, ut dimittam tibi quod peccas in me.

Cap. 11. *n.* 11. Tenete istud fortiter, fratres, qui enim et ad hujusmodi antidotum renuntiaverit, nulla illi spes salutis omninò remanebit.

Serm. 351. *aliàs* 50. *inter Homil.* 50. *cap.* 3. *n.* 5. Sunt alia peccata.... quæ quamvis singula non lethali vulnere ferire sentiantur, sicuti homicidium et adulterium, vel cætera hujusmodi: tamen omnia simul congregata velut scabies, quò plura sunt necant, aut nostrum decus ita exterminant, ut ab illius sponsi speciosi formâ præ filiis hominum castissimis amplexibus separent, nisi medicamento quotidianæ pœnitentiæ desiccentur.

N. 6. Quod si falsum est, unde quotidie tundimus pectora? quod nos quoque Antistites ad altare assistentes cum omnibus facimus. Unde etiam orantes dicimus, quod in tota ista vita oportet ut dicamus: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Non enim ea dimitti precamur, quæ jam in baptismo nisi dimissa credimus, de ipsa fide dubitamus: sed ulique de quotidianis peccatis hoc dicimus, pro quibus etiam sacrificia eleemosynarum, jejuniorum, et ipsarum orationum ac supplicationum quisque pro suis viribus offerre non cessat.

Idem sæpiùs docent et S. CÆSARIUS *in Homil. et alii SS. Patres quos referre supersedeo.*

R. Quia cor veluti conterit et emollit, ejusque frangit duritiem.

I. Estne contritio hæc absolutè necessaria ?

R. Est et fuit semper quovis tempore, etiam ante Christum, hic contritionis motus absolutè necessarius ad impetrandam veniam peccatorum. (*Concil. Trid. Sess.* 14. *cap.* 4.) Et certè qui illos Sanctorum clamores consideraverit : *Tibi soli peccavi et malum coram te feci.* (*Psal.* L. 6.) *Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum.* (*Psal.* VI. 7.) *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ* (*Is.* XXXVIII. 15.), et alias hujus generis, facilè intelliget eos ex vehementi quodam antè actæ vitæ odio, et ingenti peccatorum detestatione manasse.

I. Qualis debet esse contritio, ut sincera censeatur ?

R. Debet esse interior, supernaturalis, ut vocant, suprema, et universalis.

1. *Interior :* id est, ex intimo cordis affectu haberi debet, nec satis est actum contritionis ore tenùs elicere. Ex corde prodeunt peccata omnia, cor ergo interiùs conterendum est : conversio nulla est nisi ex corde fiat : juxta illud Propheticum, *Convertimini ad me in toto* CORDE *vestro....* (*Joel.* II. 12. 13.) *Scindite* CORDA *vestra et non vestimenta vestra.* (*Ezech.* XVIII. 31.) *Facite vobis* COR *novum. Redite prævaricatores ad* COR. (*Isa.* XLVI. 8.) *Convertimini sicut in profundum recesseratis filii Israël* (*Ibid.* XXXI. 6.), et cætera id genu innumera. (A)

(A) S. CYPR. *lib. de lapsis, circa finem, pag.* 96. Convertamur ad Dominum mente totâ, et pœnitentiam criminis veris doloribus exprimentes, Dei misericordiam deprecemur. Illi se anima prosternat, illi mœstitia satisfaciat : illi spes omnis incumbat. Rogare qualiter debeamus dicit ipse : *Revertimini*, inquit, *ad me ex toto corde vestro, simulque et jejunio, et fletu, et planctu ; et scindite corda vestra.* (*Joël* II. 12. *et* 13.) Ad Dominum toto corde redeamus. Iram et offensam ejus, jejuniis, fletibus, planctibus, sicut admonet ipse, placemus.... Agite pœnitentiam plenam ; dolentis ac lamentantis animi probate mœstiliam.

S. JOANN. CHRYSOST. *lib. de Compunct. cordis, tom.* 5. *pag.* 583. Quid.... corporis viribus opus est, cùm cor conterere debeamus? Quid necessariæ sunt vires corporis, ut pura Deo fundatur oratio, ut peccatorum fiat recordatio, ut humilitas assumatur, et superbia depellatur ? Quid requiro corporis firmitatem ad arrogantiam reprimendam ? Ista sunt enim in quibus placetur Deo. Quid laboris ista, quid afflictionis requirunt ? Et tamen quasi quidam intolerabilis labor sit, omittuntur à nobis. Non requirit Deus ciliciorum pondus, neque concludi inter angustias cellulæ, neque in obscuris antris et tenebrosis sedere jubet : hoc solum est quod exposcitur à nobis, ut semper recordemur, et ad animum revocemus mala nostra, et conscientiam gestorum nostrorum habeamus ante oculos, ut pro his supplicemus Deo.

Lib. 2. *paulò post initium, pag.* 586. Anima quæ pretiosissimum unguentum istud, compunctionem dico cordis, componere ac servare desiderat, omnes corporis sui sensus ad semetipsam congreget, segnitiemque ipsorum ac negligentiam deturbans, totâ sollicitudine vigilare, et in hoc tantùm quod proposuit, cogat intendere. Denique si quando acciderit, ut ad semetipsam conversa deliberet agere aliquid eorum quæ placita sunt Deo, idque prorsùs profundâ et intentâ satis cogitatione pertractet, neque dicentem sibi aliquid audit, sed ne occurentes quidem, et in oculis

2. *Supernaturalis* debet esse contritio ; id est, debet oriri ex fide et ex Spiritùs sancti afflatu, non autem ex causa merè naturali. Quod quidem exemplo planum fiet. Si quis fur deprehensus de peccato doleat plurimùm, propter infamiam et pœnas quas mox hominum judicio daturus est, is dolorem et contritionem habet merè naturalem. Si quis verò etiam non deprehensus doleat, quia peccatum Deo displicet, cœli claudit aditum, pœnam meretur æternam, is contritionem habet supernaturalem. (B)

stantes videt, non quòd caruerit oculus visu, aut auris auditu, sed quia in secretis agens anima, et in divinioribus occupata, nuntios non recipit sensuum et corporalium ministrorum. Et quid dico, quòd in his posita anima clamantem non audiat, aut non videat transeuntem : cùm sæpè etiam pulsantes se et trahentes omninò non sentiat ? Per quod intelligi utique datur, hanc esse animæ virtutem, ut si toto affectu desideria sua extendat ad cœlum, degere se obliviscatur in terris, atque inter homines conversari, etiamsi trahat aliquis corpus, etiamsi propellat. Talis erat beatus Paulus, qui in tantùm absens erat ab his inter quos conversari videbatur in urbibus, quantùm mortuis corporibus nos videmur absentes. Cùm enim dicit : *mihi mundus crucifixus est, et ego mundo* (*Galat.* VI. 14.), emortuam mihi videtur in semetipso corporalium sensuum efficaciam protestari.

Circa medium pag. 589. Propheta ergo hæc intuens et ex his omnibus corde compunctus, ac judicii futuri intra se memoriam retexens (*Ps.* LXXVI. 6.), diem quoque illum semper in oculis habens, nunquam à tribulatione animi et compunctione cordis vacabat : quoniam quæ nos vix aliquando, et satis rarò ad memoriam revocamus, illius mens et cogitatio habeat semper intra se, et Dei judicia totis sensibus intremebat (*Psal.* CXVIII. 120.); ob hoc ergo sic dicit in Psalmo : *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* (*Psal.* VI. 2. *et* XXXVII. 2.)... Post tot animi operumque virtutes non cessat tanquam reus et pœnæ obnoxius loqui, et quasi nihil habeat fiduciæ apud Deum, ut illud Evangelicum compleat, quod ait : (*Luc.* XVII. 10.) *Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : Quia servi inutiles sumus ; quod debuimus facere, fecimus.* Quid tale locutus est vel publicanus ille, qui verè mille malis repletus, et neque respicere ad cœlum poterat, neque orationis suæ prolixum continuare sermonem, sed ne adstare quidem prope Pharisæum audebat. (*Luc.* XVIII. 13.) Exprobrabat enim eum Pharisæus, dicens : (*Ibid.* 11.) *Quia non sum sicut cæteri homines : raptores, injusti, adulteri : sicut etiam Publicanus hic.* Ille verò quasi nihil horum audiens, in nullo indignatur, sed et amplectitur opprobrium : et non solùm non indignatur, sed et confitetur peccata sua, pectusque suum velut peccatorum suorum conscium tundens dicit : *Deus propitius esto mihi peccatori.* (*Ibid.* 13.) Hæc ergo peccatorem facere non est magnum, quia pondus peccati, etsi velit etsi nolit, peccatorem humiliat et incurvat : justum verò hæc facere qui sibi conscius est bonorum multorum, et ita de se pronuntiare, ut pronuntiabat ille, qui verè multorum reus erat malorum, hoc est mirabile, et hoc est verè contriti et humiliati cordis indicium.

Hos S. Joann. Chrysost. de compunct. libros integros lege, quò ad tantam virtutem te præpares et accendas.

S. AMBROS. *lib.* 2. *de pœnit. cap.* 6. *n.* 46. Sed audiant qui agunt pœnitentiam, quomodo agere debeant, quo studio, quo affectu, quâ mentis intentione, quâ intimorum concussione viscerum, quâ cordis conversione : *Vide*, inquit, *Domine, quia tribulor, venter meus turbatus est à fletu meo, conversum est cor meum in me.* (*Thren.* I. 20.)

(B) CONCIL. TRIDENT. *Sess.* 14. *Can.* 5. Si quis dixerit, eam contritionem quæ paratur per discussionem, collectionem et detestationem peccatorum, quâ quis *recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ* (*Isa.* XXXVIII. 15.) ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, et æternæ damnationis

3. *Suprema* debet esse contritio ; id est, talis esse debet ut nullus major haberi dolor possit de re quacunque. (C)

incursum; cum proposito melioris vitæ, non esse verum et utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam, et magis peccatorem: demum illam esse dolorem coactum, et non liberum, ac voluntarium : anathema sit.

S. JOAN. CHRYSOST. *lib.* 1. *de compunct. cordis*, *pag.* 583. Gehennam ponamus in conspectibus nostris, et angelos qui in die judicii ubique discurrunt et congregant de omni orbe terrarum eos qui trudendi sunt in gehennam, ac suppliciis tradendi. Ponamus etiam et illud ante oculos, quanti doloris est excludi ac projici à regno cœlorum, quod, ut mihi videtur, gravius est ipsâ gehennâ. Nam et si iguis ille non arderet, et immortalis illa pœna non esset parata, hoc solum quòd alieni efficimur à Christo, et excludimur à bonis æternis, nonne omni pœnâ cruciabilius diceretur ?

(C) S. CYPRIAN. *lib. de lapsis, circa finem*, *pag.* 96. Si quem de tuis charis mortalitatis exitu perdidisses, ingemisceres dolenter et fleres; facie incultâ, veste mutatâ, neglecto capillo, vultu nubilo, ore dejecto, indicia mœroris ostenderes. Animam tuam misera perdidisti, spiritaliter mortua supervivere hic tibi, et ipsa ambulans funus tuum portare cœpisti ; et non acriter plangis, non jugiter ingemiscis ? Non te vel pudore criminis, vel continuatione lamentationis abscondis ? Ecce pejora adhuc peccandi vulnera, ecce majora delicta : peccasse, nec satisfacere; deliquisse, nec delicta deflere.

S. AMBROS. *Lib.* 2. *de pœnit. cap.* 11. *n.* 102. Nihil est autem quod tam summo dolori sit, quàm ut unusquisque positus sub captivitate peccati, recordetur unde lapsus sit, atque unde deciderit: eò quòd ad corporea atque terrena ab illa speciosa ac pulchra divinæ cognitionis intentione deflexerit.

S. JOAN. CHRYSOST. *de compunct. cordis*, *lib.* 1. *non longè à fine*, *pag.* 582. Et ideò lugendum est, et ideò flendum, et per totam vitam plangendum, ut vel sic occupata in luctu et lacrymis anima erubescat aliquando peccare. Denique requiramus à lugentibus, istos dico pro charorum suorum amissione lugentes, et in egestate positos, et non qualescunque homines, sed illos ipsos potentes et divites, et in deliciis agentes, qui ventri et voluptati vivunt, qui prandia usque ad vesperam, cœnas in medium noctis extendunt, qui aliena diripiunt, et propria profundunt, istos ipsos interrogemus : si quando aut unicum pater filium, aut uxor ereptum citò plangit maritum, quoniam velut fulmine quodam icta anima aufugiunt continuò, nec usquam apparent omnes illæ molles et dissolutæ deliciæ : nusquam ventris cura, aut sollicitudo carnis habetur, sed acerrimæ continentiæ introducitur philosophia : abstinetur ab omnibus, aguntur extenta jejunia, juges vigiliæ, humi requiescitur, summum silentium, quies magna, humilitas ultima, mansuetudo ineffabilis, miseratio immensa, etiamsi auferantur omnia, etiamsi diripiantur, nihil pro his animus curat, nihil movetur : etiamsi igne concrementur universa, et census pariter cum domibus pereat, non indignatur, non irascitur. Multos ego novi post amissionem charorum, nec urbes habitare voluisse, sed commigrasse ad agros, atque ibi jejunam et sobriam duxisse vitam cum omni silentio et quiete. Alios memini in ipsis defunctorum suorum sepulcris habitaculum posuisse, atque inibi vitam similem mortuo transegisse.... et quidem tunc verè miseræ et probrosæ apparent divitiæ, tunc fœda videtur jactantia : invidia verò et ira et concupiscentia ac libido nec ad extremas quidem januas lugentis accedit, sed hæc omnia fugantur, omnia exterminantur, ita ut ne odor quidem horum ullus occurrat. Una sola cogitatio lugenti, unus intuitus imago defuncti est. Ille vultus ante oculos ponitur, ille aspectus menti atque animo exhibetur, ipse ei cibus, ipse potus est : quòd si somnus fuerit somnia inde ducuntur, ibi omnis requies, ibi omne solatium, ibi gloria, ibi divitiæ, ibi potentia, ibi omnes deliciæ collocantur. Sic oportebat et nos salutem nostram lugere perditam, atque animam nostram mortuam lamentari, ut nihil amplius dicam. Exhibeamus animæ nostræ quod illi exhibent carni alienæ. Aut non ex-

Bonum quod peccato ámittimus tale est, ut majus eo nullum sit; malum ad quod peccatum ducit tale est, ut majus eo nullum sit : itaque necesse est et æquissimum ut dolor de tanto malo talis sit, ut major eo nullus haberi queat. (D) Ne tamen propterea putes hujus contritionis vehementiam pensandam esse ex exteriori doloris sensu : res illa non est ex sensuum affectione æstimanda. Dolorem de peccato summum habemus, cùm nobis offensa Dei displicet magis quàm amissio rei cujuscunque, etiam carissimæ ; cùm Deum rei cuilibet anteponimus ; cùm parati sumus facere rerum omnium jacturam, et vitam ipsam profundere potiùs quàm peccare : juxta præceptum Christi Domini. (E)

4. Denique *universalis* debet esse contritio ; id est, de mortalibus peccatis omnibus commissis, nullo excepto, dolendum est. (F) Si quis de adulterio doleat, de furto non

tremæ miseriæ est, ut hi quidem qui filios aut uxores lugent, ad nihil aliud occupent mentem suam, nisi ut defunctos suos quasi intueantur, et illos semper animo ac cogitatione conspiciant : nos verò quibus salus mortua, et regni cœlorum spes exstincta est, omnia magis quàm inde cogitamus. Et illi quidem etiam si regii generis sint, nemo tamen erubescit solemnitatem luctûs implere : sed et humi resident, et cum amaritudine lamentantur, et vestem lugubrem sumunt, et omnia faciunt quæ ad afflictionem animæ et corporis spectant : et neque quòd in deliciis nutriti sunt cogitant.... Nos è contra qui non filios, ut dixi, aut uxores, sed animam lugemus, et animam non alienam, sed nostram, recogitamus ægritudinem corporis, et recordamur, quòd in deliciis educati sumus.

(D) S. THOM. *in* 4. *Sent. dist.* 17. *q.* 2. *art.* 3. Sed contra. Secundùm Augustinum lib. 19. de Civit. cap. 4. Omnis dolor in amore fundatur : sed amor charitatis in quo fundatur dolor contritionis, est maximus. Ergo dolor contritionis est maximus.

Præterea dolor est de malo. Ergo de magis malo debet esse magis dolor : sed culpa est magis malum quàm pœna. Ergo dolor de culpa, qui est contritio, excedit omnem alium dolorem.

Ulteriùs. Videtur quòd non potest esse nimis magnus contritionis dolor. Nullus enim dolor potest esse immoderatior quàm ille qui proprium subjectum destruit : sed dolor contritionis, si est tantus quòd mortem vel corruptionem corporis inducit, est laudabilis ; dicit enim Anselmus : *Utinam sic impinguentur viscera animæ meæ, ut medullæ corporis mei exsiccentur.* Et Augustinus dicit (de contritione cordis cap. 10.) *se esse dignum oculos cæcare plorando.* Ergo dolor contritionis non potest esse nimius.

Dolor contritionis ex charitatis amore procedit : sed amor charitatis non potest esse nimius ; ergo nec dolor contritionis.

(E) MATTH. x. 37. Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus : et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus.

XVI. 25. Qui enim voluerit animam suam salvum facere, perdet eam : qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.

(F) EZECHIEL. XVIII. 30. Convertimini, et agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, et non erit vobis in ruinam iniquitas. 21. Projicite à vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis, et facite vobis cor novum, et spiritum novum.

S. JOAN. CHRYS. *de compunct. cordis lib.* 2. *paulò ante finem, pag.* 594. Sed oportebat nos non solùm scire, et confiteri, quia multa in nobis delicta sunt : verùm et UNUMQUODQUE PECCATUM et majus et minus quasi in libro, ita in corde nostro habere descriptum : idque frequentiùs recensere, atque ante oculos ponere, et tanquam hæc nuper admissa lugere. Ita enim et animæ arrogantiam frangeremus, frequentiùs eam de malis suis et vitiis commonentes, et cautela nobis, ne ultrà in eadem delicta

item, non habet ille integram conversionem ad Deum; adhuc in peccatis est, inimicus est Dei.

I. Possumusne propriis viribus habere contritionem hanc?

R. Non possumus, nisi gratiâ Dei adjuvemur. Contritio enim donum est Spiritûs sancti, qui solus potest dare nobis cor novum, cor carneum pro corde lapideo. (*Ezech.* XI. 19.) Hoc solum afflante possumus habere odium peccati, virtutis amorem, cordis gemitum, quo peccata dignè defleantur. (G)

Itaque enixè orandus est *Deus salutaris noster*, exemplo Prophetarum, *ut convertat nos* ad se (*Ps.* LXXX. 5.), ut *auferat à nobis cor lapideum* (*Ezech.* XI. 19. XXX. 26.); ut *cor mundum creet in nobis, et spiritum rectum innovet in visceribus nostris* (*Psal.* L. 12.); ut *deponat iniquitates nostras, et projiciat in profundum maris omnia peccata nostra* (*Mich.* VII. 19.), parcens nobis, *faciatque ut in præceptis ejus ambulemus.* (*Ezech.* XXXVI. 27.)

§. 4. De Contritione Perfecta et Imperfecta.

I. Estne eadem in omnibus verè pœnitentibus Contritio?

R. Contritio duplex: alia perfecta, quæ simpliciter Contritio dicitur; alia imperfecta, quam Theologi Attritionem vocant.

Contritio perfecta, est animi dolor et detestatio de peccato, conceptus ex motu charitatis perfectæ.

Attritio, dolor est et detestatio de peccato, *conceptus com-*

inciderem us, acrior nasceretur. Tantum etenim boni confert, meminisse frequentiùs hominem peccati sui, ut etiam Paulum Apostolum videamus (1. *Tim.* I. 13.) ea quæ abolita jam fuerant, et deleta, adducere tamen in medium: et cùm culpam de præsentibus non haberet, tamen quoniam recordationes peccatorum et luctum gemitumque sciebat animæ prodesse, etiam illa commemorat, quæ per ignorantiam commissa, gratia baptismi et confessio fidei aboleverat.

(G) PSAL. L. 12. Cor mundum crea in me Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis.

EZECHIEL. XI. 19. Spiritum novum tribuam in visceribus eorum, et auferam cor lapideum de carne eorum, et dabo eis cor carneum: 20. ut in præceptis meis ambulent, et judicia mea custodiant, faciantque ea.

XXXVI. 26. Et dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri: et auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum. 27. Et Spiritum meum ponam in medio vestri: et faciam ut in præceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis et operemini.

ROM. VIII. 26. Spiritus adjuvat infirmitatem nostram.

CONCIL. ARAUSIC. II. *ann.* 429. *Can.* 4. Si quis ut à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum exspectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus, per sancti Spiritûs infusionem et operationem in nos fieri confitetur; resistit ipsi Spiritui sancto per Salomonem dicenti: *Præparatur voluntas à Domino* (*Prov.* VIII. 35. *juxta* LXX.), et Apostolo salubriter prædicanti: *Deus est qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate.* (*Philip.* II. 13.)

Can. 15. Ab eo quod formavit Deus mutatus est Adam, sed in pejus per iniquitatem suam: ab eo quod operata est iniquitas mutatur fidelis, sed in melius per gratiam Dei. Illa ergo mutatio fuit prævaricatoris primi: *hæc* secundùm Psalmistam *mutatio est dexteræ Excelsi.* (*Ps.* LXXVI. 11.)

CONCIL. TRIDENT. *Sess.* 14. *cap.* 4. *Vide* §. *seq. in Resp. ad primam et secundam Interrogationem.*

muniter vel *ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ et pœnarum metu.* Hæc *donum Dei est, et Spiritûs sancti impulsus, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis* (*Concil. Trid. Sess.* 14. *cap.* 4.); adeoque adjunctum habet amorem Dei saltem inchoatum, quo Deus *incipit diligi tanquam omnis justitiæ fons.* (*Concil. Trid. Sess.* 6. *de justific. cap.*6.)

I. Quisnam est effectus utriusque contritionis ?

R. Contritio charitate perfectâ hominem Deo reconciliat, priusquam Sacramentum Pœnitentiæ *actu suscipiatur. Ipsa nihilominùs reconciliatio ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non est adscribenda.* (Concil. Trid. Sess. 14. cap. 4.)

Attritio, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, non solùm non facit hominem hypocritam et magis peccatorem, sed donum Dei est, ut diximus, *quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit. Hoc timore utiliter concussi Ninivitæ, ad Jonæ prædicationem plenam terroribus, pœnitentiam egerunt, et misericordiam à Domino impetrarunt.* (Concil. Trid. Sess. 14. c. 4.)

I. Attritio sola et per se, absque sacramento Pœnitentiæ, potestne perducere peccatorem ad justificationem ?

R. Attritio sine sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequit, sed eum ad gratiam justificationis in sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit, uti definivit Concil. Trident. (*Sess.* 14. *cap.* 4.)

I. Sufficitne attritio ad obtinendam remissionem peccatorum in sacramento Pœnitentiæ ?

R. Sufficit, si conjuncta sit cum odio et detestatione peccati, adeòque cum amore Dei saltem inchoato, sine quo haberi peccati odium nequit. Secùs, non sufficit (A): neque enim peccata remittuntur sine conversione cordis. Timor suppliciorum, si solus sit, inchoat quidem cordis conversionem, ad eamque disponit, sed eam non perficit, nisi conjunctus sit cum ea cordis affectione, quâ Deus et justitia diligatur super omnia. (B)

(A) Concil. Trid. *Sess.* 6. *cap.* 6. Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divinâ gratiâ, et adjuti.... dum peccatores se esse intelligentes, à divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore; illumque, tanquam omnis justitiæ fontem, diligere incipiunt: ac propterea moventur adversùs peccata per odium aliquod et detestationem.

Sess. 14. *cap.* 4. *Vide suprà in ipso textu Resp. ad primam Interrog.*

(B) S. August. *Lib. de Catechiz. rudib. cap.* 17. *n.* 27. Qui autem propter beatitudinem sempiternam et perpetuam requiem, quæ post hanc vitam sanctis futura promittitur, vult fieri Christianus, ut non eat in ignem æternum cum diabolo, sed in regnum æternum intret cum Christo, verè ipse Christianus est; cautus in omni tentatione, ne prosperis rebus corrumpatur, et ne frangatur adversis, et in abundantia bonorum ter-

I. Cur non sufficit ad conversionem cordis solus timor gehennæ amore Dei et justitiæ destitutus ?

R. Quia tunc solùm perfecta fit conversio cordis, cùm cor peccatum odit et detestatur. Non habetur autem odium peccati sine amore justitiæ. Nulla est cordis conversio, nisi amor in odium, odium in amorem convertatur. At non potest solus timor hanc conversionem operari. (C) *Qui præ*

renorum modestus et temperans, et in tribulationibus fortis et patiens. Qui etiam proficiendo perveniet ad talem animum, ut plus amet Deum, quàm timeat gehennam : ut etiamsi dicat illi Deus, Ulere deliciis carnalibus sempiternis, et quantum potes pecca, nec morieris, nec in gehennam mitteris, sed mecum tantummodò non eris; exhorrescat, et omninò non peccet, non jam ut in illud quod timebat non incidat, sed ne illum quem sic amat offendat ; in quo uno est requies, *quam oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (1. *Cor.* II. 9.), quam præparavit Deus diligentibus eum.

Serm. 45. *alias* 12. *ex Sirmond. n.* 8. Quando autem fit perfecta sanctificatio ? Quando est et carnis et spiritûs. Sunt enim homines qui temperant se à factis, et non temperant se à cogitationibus malis : faciunt mundationem carnis, et non faciunt mundationem spiritûs. Tales ideò non faciunt, quia timent homines. Libido ardet, timor revocat. Quid times ? Inveniri et damnari ; inveniri et expompari. Ergo incoinquinata videtur caro, sed non est perfecta sanctificatio : quia quid dicit Apostolus ? *Mundemus nos ab omni coinquinatione carnis et spiritûs* (2. *Cor.* VII. 1.) ; ut quomodo te temperas à malis factis, sic te temperes à mala voluntate, à malis cogitationibus. A malo facto contine, et mundas te à coinquinatione carnis : à mala voluntate abstine te, et mundas te à coinquinatione spiritûs.

N. 9. Et sequitur, *perficientes sanctificationem in timore Dei.* Magnificè addidit, *in timore Dei.* Ecce quia non perficit homo sanctificationem, nisi in timore Dei. Quæ est perfecta sanctificatio ? Sanctificatio et corporis et spiritûs. Si sit corporis, et spiritûs non sit, imperfecta est. Nam illud non potest esse spiritûs sanctificatio, et corporis non esse. Esse corporis, et non esse spiritûs, potest : esse spiritûs, et non esse corporis, non potest. Qui enim est mundus spiritu, operari flagitia non potest. Unde hoc ? *Ex corde enim procedunt*, ait Dominus, *adulteria, homicidia.* (*Matth.* XV. 14.) Homo enim non potest perpetrare per membra, quod non sibi in corde dixerit. Verbum in corde concepit, et deputatum est in opus.

(C) S. AUGUST. *Serm.* 161. *de verbis Apostoli, alias* 18. *cap.* 8. *n.* 8. Dico ergo tibi : Libidine cùm victus habes consentientem, quare non committis adulterium ? Et respondebis, Quia timeo gehennam, timeo supplicium ignis æterni, timeo judicium Christi, timeo societatem diaboli, ne puniar ab illo, et cum illo ardeam. Quid ? dicturus sum, Malè times ? quomodo tibi dicebam de adversario, quia quærebat corpus tuum occidere. Ibi enim rectè dicebam, Malè times, securum te fecit Dominus tuus, dicens : (*Matth.* X. 28.) *Nolite timere eos qui corpus occidunt.* Modò cùm dicis mihi, Gehennam timeo, puniri timeo, ardere timeo in æternum : quid dicturus sum ? Malè times ? vanè times ? Non audeo ; quandoquidem ipse Dominus ablato timore, subjecit timorem ; et ait, ubi dixit, *Nolite timere eos qui corpus occidunt, et posteà non habent quid faciant : sed eum timete, qui habet potestatem et corpus et animam occidere in gehennam ignis : ita dico vobis, hunc timete.* Cùm ergo Dominus timorem incusserit, et vehementer incusserit, et repetendo verbum comminationem geminaverit, dicturus ego sum, Malè times ? Ista non dicam. Planè time, nihil meliùs times ; nihil est quod magis timere debeas. Sed interrogo te, Si non te videret Deus, quando facis, nec quisquam te convinceret in judicio illius, faceres ? Tu te vide : non enim potes ad verba omnia mea respondere : inspice teipsum. Faceres ? Si faceres, ergo pœnam times, castitatem nondum amas, charitatem nondum habes, serviliter times : formido est mali, nondum dilectio boni. Sed time tamen, ut ista formido custodiat te, ut perducat ad dilectionem. Timor enim iste, quo gehennam times,

et ideò mala non facis, continet te ; et sic volentem peccare *animum interiorem non sinit.* Est enim quidam custos timor, quasi pædagogus legis; littera est minans, nondum gratia juvans. Custodiat tamen te timor iste, dum non facis timendo, et veniet charitas, intrat in cor tuum, et quantùm illa intrat, tantùm timor exit. Timor enim id agebat, ne faceres : charitas id agit, ut nolis facere, etiamsi impunè possis admittere.

Cap. 9. *n.* 9. Dixi quid timeatis, dixi quid appetatis. Sectamini charitatem, intret charitas, admittite illam, timendo peccare, admittite amorem non peccantem, admittite amorem benè viventem. Illà, ut dicere cœperam, intrante, incipit timor exire. Quantò plus illa intraverit, tantò timor minor erit. Cùm illa tota intraverit, nullus timor erit : quia *perfecta charitas foràs mittit timorem.* Intrat ergo charitas, pellit timorem : non autem intrat et ipsa incomitata. Habet secum suum timorem, quem introducit ipsa ; sed illum castum, permanentem in seculum seculi. Servilis timor est, quo times cum diabolo ardere : timor castus est, quo times Deo displicere.

Epist. 145. *aliàs* 144. *Vide in ipsa Responsione.*

Sermone 169. *aliàs* 15. *de verbis Apost. cap.* 6. *n.* 8. Lege Dei propositâ, ipsa enim dixit, *Non concupisces :* (*Exod.* XX. 17.) lege ergo Dei propositâ... quisquis tumuerit, et suis viribus eam implere se posse putaverit, et fecerit quod lex jubet, non amando justitiam, sed timendo pœnam ; fuit quidem secundùm justitiam, quæ ex lege est, homo sine querela ; non furatur, non adulterat, non dicit falsum testimonium, non facit homicidium, non concupiscit rem proximi sui : potest hoc, potest fortassis : unde ? Timore pœnæ. Quanquam qui timore pœnæ non concupiscit, puto quia concupiscit. Terrore ingenti armorum atque telorum, et circumdantis forsitan multitudinis, vel obviam euntis etiam leo revocatur à præda ; et tamen leo venit, leo redit ; prædam non rapuit, non malitiam posuit. Si talis es, adhuc justitia est, quâ justitiâ tibi consulis ne torquearis. Quid magnum est pœnam timere ? Quis eam non timet ? quis latro, quis sceleratus, quis nefarius ? Sed hoc interest inter timorem tuum, timoremque latronis, quòd latro timet leges hominum, et ideò facit latrocinium, quia sperat se fallere leges hominum : tu autem legem ejus times, ejùs pœnam times quem fallere non potes. Nam si fallere posses, quid non fecisses ? Ergo et concupiscentiam tuam malam non amor tollit, sed timor premit. Ad ovile venit lupus ; latratu canum, et clamore pastorum ab ovili reversus est lupus : ipse tamen semper est lupus. In ovem vertatur. Facit enim et hoc Dominus : sed ipsa est justitia ejus, non tua. Nam quandiù habes tuum, potes timere pœnam, non amare justitiam.

Sermone 178. *aliàs* 19. *de verbis Apost. cap.* 9. *n.* 10. Quid est magnum, timere malum ? Magnum est, non facere malum : magnum est, amare bonum. Nam et latro timet malum ; et ubi non potest, non facit : et tamen latro est. Deus enim cor interrogat, non manum. Lupus venit ad ovile ovium, quærit invadere, quærit jugulare, quærit devorare : vigilant pastores, latrant canes : nihil potest, non aufert, non occidit ; sed tamen lupus venit, lupus redit... Interroga ergo te, quisquis vis judicare : et vide si tunc non facis malè, quando poles facere, et ab homine non puniri : tunc times Deum. Nemo est ibi, nisi tu et ille cui facis malum, et Deus qui ambos videt : vide, ibi time. Parùm est quod dico, Vide, ibi time malum : ibi ama bonum. Nam etiamsi timore gehennæ non facis malum, nondum es perfectus. Audeo dicere, si timore gehennæ non facis malum, est quidem in te fides, quia credis futurum Dei esse judicium : gaudeo fidei tuæ, sed adhuc timeo malitiæ tuæ... Quia si timore gehennæ non facis malum, non amore justitiæ facis bonum. Aliud est, timere pœnam ; aliud est, amare justitiam.

Enarrat. in Psalm. LXXVII. *n.* 10. Poterat enim putari lex operum quasi sufficere ad justificationem, cùm ea quæ præcipiuntur forinsecùs fiunt ab eis hominibus, qui mallent non præcipi, quæ non ex corde faciunt, et tamen faciunt ; ac per hoc quasi videntur ambulare in lege Dei : sed nolunt ambulare, non enim ex corde faciunt. Ex corde autem nullo modo fieri potest, quando formidine fit pœnæ, non dilectione justitiæ. Nam quantùm attinet ad facta quæ forinsecùs aguntur, et qui timent

solo timore gehennæ non peccat, non peccare metuit sed ardere, inquit S. Augustinus (*Ep.* 145. *aliàs* 141. *ad Anast. n.* 4.), *vult facere quod non licet fieri; sed ideò non facit, quia non potest impunè fieri.* Itaque qui hac timoris specie duntaxat à peccato abstinet, adhuc peccatum diligit, *inimicus justitiæ est;* non ex amore justitiæ, sed ex solo pœnæ timore non peccat. Ergo nondum corde conversus, corde perfectè mutatus est; *quia etsi non impletur foris negotium malæ cupiditatis, ipsa tamen mala cupiditas* intùs dominatur, *intùs est hostis.* (*Ibid.*)

I. Cur ais pœnarum metum esse initium conversionis?

R. Quia qui ex solo pœnarum metu non peccant, ii saltem abstinent præ timore, ab actu externo peccati; imò et aliquando timor ille excludit voluntatem actualem peccandi: atque ita timor ad conversionem disponit, estque illius initium quoddam. Rem fusiùs explico.

Non sufficit quidem timor ad perfectè mutandam et convertendam interiorem cordis affectionem, ut suprà diximus; sed sufficit ut quis saltem et à malo opere externo, et aliquando etiam ab actuali voluntate illud perpetrandi abstineat. Illà abstinentià fit ut sensim habitus peccandi minuatur, tandemque prorsùs evanescat. Tollit ergo sensim timor pœnæ impedimenta charitatis; sublatis impedimentis, charitas introducitur in cor hominis. Est ergo timor dispositio ad charitatem. Accedente charitate timor minuitur, et demùm perfecta charitas foràs mittit timorem. (D) « Ergo, (inquit S. Augus-» tinus, *Tract.* 9. *in Epist. Joan. n.* 4.) incipiat timor; quia » initium sapientiæ timor Domini. Timor quasi locum præ-» parat charitati. Cùm autem cœperit charitas habitare, » pellitur timor qui ei præparavit locum. Quantùm enim illa » crescit, ille decrescit; et quantùm illa fit interior, timor » pellitur foràs. Major charitas, minor timor: minor chari-» tas, major timor. Si autem nullus timor, non est quà » intret charitas. Sicut videmus per setam introduci linum, » quando aliquid suitur: seta priùs intrat, sed nisi exeat » non succedit linum; sic timor primò occupat mentem, » non autem ibi remanet timor, quia ideò intravit ut intro-» duceret charitatem. »

I. Cur ais non posse cor ad Deum converti sine Dei amore?

R. Quia quemadmodùm peccatum nihil aliud est quàm aversio à Deo, conversio ad creaturam; id est, actus vel habitus quo quis relicto Creatore adhæret creaturæ per amorem (quo Dei charitas exstinguetur, si de peccato mortali

pœnam, et qui amant justitiam non furantur; et ideò pares sunt manu, dispares corde; pares opere, dispares voluntate. Ideò illi sic notati sunt: Generatio, inquit, quæ cor non direxit suum. Non dictum est, opera; sed, cor. Directo enim corde, recta sunt opera: cùm autem cor directum non est, opera recta non sunt, etiamsi recta videantur... Hanc enim voluntatem non timor, sed charitas habet; quæ diffunditur in cordibus credentium per Spiritum sanctum.

(D) S. Aug. *locis suprà allatis hocce 3. et alibi sæpiùs.*

quæstio sit :) ita perfecta conversio cordis nihil aliud est quàm reditus cordis ad Deum, adeò ut jam non creaturæ, sed uni Deo cor adhæreat. Non adhæret autem cor uni Deo nisi per amorem quo Deus super omnia diligatur. Undè ait Joannes Apostolus, *Qui non diligit, manet in morte.* (1. *Joan.* III. 14.) Quia nimirùm quisquis Deum super omnia non diligit, transgressor est primi et maximi omnium mandati (E), ideoque semper peccati labe inquinatur.

I. Cur non potest cor adhærere Deo sine amore?

R. Quia adhæsio cordis et amor idem sonant. Non potest cor adhærere creaturæ quin creaturam amet; non potest adhærere Deo quin Deum amet. (F)

§. 5. De non peccandi proposito : item de pravis habitibus, et de peccandi occasionibus.

I. Jam dixisti contritionem esse odium et detestationem de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero. De peccati odio disseruisti, dic nunc pauca, quæso, de proposito non peccandi, ac primùm de illius necessitate?

R. Necessitas hujus propositi jam patet ex dictis de necessitate doloris; neque enim peccati dolor summus est et universalis sine hoc proposito; nec talis ac tantus esse potest in eo qui non vult à peccato abstinere. (A)

I. Quibus argumentis cognosci potest inesse in homine sincerum non peccandi propositum?

R. Si de peccatis mortalibus quæstio sit, id ex solis effectibus cognosci potest : 1. Ex vitæ novæ institutione; 2. Mutatione pravorum habituum; 3. Ex fuga occasionum peccandi. (B)

(E) Luc. x. 27. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis, et ex omni mente tua.

(F) S. August. *Vide suprà hocce §.*

(A) Ezech. xviii. 21. Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, et custodierit omnia præcepta mea, et fecerit judicium et justitiam : vitâ vivet, et non morietur. 22. Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor : in justitia sua, quam operatus est, vivet. 23 : Nunquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, et non ut convertatur à viis suis, et vivat?

v. 30. *et seqq. Vide hujusce Capitis §. 3. litt.* (F)

Concil. Trid. *Sess.* 14. *cap.* 4. *Docet contritionem, non solùm* cessationem à peccato, et vitæ novæ propositum et inchoationem, sed veteris etiam odium continere.

S. August. *Serm.* 351. *de Pœnit. aliàs* 50. *ex Homil.* 50. *cap.* 4. *n.* 9. *Lege suprà hujusce Capitis §. 2. litt.* (B)

Cap. 5. *n.* 12. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus....* (*Psal.* L. 19.) Non solùm ergo devotè obtulit (*David*,) sed etiam ista dicendo quid offerri oporteret ostendit. Non enim sufficit mores in melius commutare, et à factis malis recedere; nisi etiam de his quæ facta sunt, satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis. (*Matth.* v. 7.) *Beati* enim *misericordes, quoniam ipsorum miserebitur Deus.* Non enim dictum est, ut tantùm abstineamus à peccatis; *sed et de præteritis*, inquit, *deprecare Dominum ut tibi dimittantur.* (*Eccli.* xxi. 1.)

(B) S. August. *Serm.* 393. *aliàs* 41. *Homil.* 50. *initio.* Si pœnitens es, pœniteat te.... Si ergo pœnitet, cur facis quod malè fecisti? Si fecisse

I. Quid pravorum habituum nomine intelligis ?

R. Intelligo consuetudinem et facilitatem peccandi ortam ex repetitis sæpiùs actibus pravis. Si quis verbi gratiâ assuefactus impudicitiis, ebrietatibus, perjuriis, mendaciis, detractionibus, etc. vix ac ne vix quidem possit ab illis peccatis abstinere. (C) *Quippe*, ut inquit S. Augustinus, (*Confess. lib.* 8. *cap.* 5.) *ex voluntate perversa fit libido : et dum servitur libidini, fit consuetudo, et dum consuetudini non resistitur, fit necessitas ; quibus quasi ansulis sibimet innexis tenet peccatorem obstrictum dura servitus.... Lex enim peccati est violentia consuetudinis : quâ trahitur et tenetur etiam invitus animus, eo merito, quo in eam volens illabitur.*

I. Quid facto opus ut liberetur quis à pravis habitibus ?

R. 1. Summâ curâ vigilandum est. 2. Orandum assiduè et enixè. 3. Fugiendæ occasiones peccati, maximè quæ proximæ appellantur.

I. Quid per proximas peccandi occasiones intelligis ?

R. Id intelligo quod ut plurimùm in peccatum trahit vel inducit, et quod hominem constituit in præsentissimo peccandi periculo.

I. Quare fugiendæ sunt peccatorum occasiones proximæ ?

R. Quia non licet temerè ruere in perditionem : at, *qui amat periculum in illo peribit*, inquit Spiritus sanctus. (*Eccli.* III. 27.)

I. Quænam sunt peccati occasiones frequentiores ?

R. Duplicis generis sunt : aliæ sunt peccati occasiones per se, aliæ per accidens, ut vocant, id est, habità ratione dispositionis personarum et circumstantiarum.

1. Primi generis exempla hæc sunt. Sculptæ vel pictæ imagines pudori et honestati minùs consentaneæ, lectio librorum de rebus pravis, nimia familiaritas et consuetudo virorum cum mulieribus, mulierum cum viris (nisi adsit conjugii vinculum), frequentatio chorearum, ludorum scenicorum, alearum et chartarum lusus immoderatior, etc. Hæc omnia sunt per se occasiones proximæ peccatorum.

pœnitet, noli facere. Si adhuc facis, certè non es pœnitens. *Et circa medium.* Baptizatus autem desertor et violator tanti sacramenti, si agat pœnitentiam ex toto corde, si agat pœnitentiam ubi Deus videt, qui vidit cor David, quando increpatus à Propheta, et graviter increpatus post comminationes Dei terribiles exclamavit, dicens, *peccavi :* et mox audivit, *Dominus abstulit peccatum tuum.* (2. *Reg.* XII. 13.) Tantum valent tres syllabæ. Tres syllabæ sunt, *peccavi :* sed in his tribus syllabis flamma sacrificii cordis ascendit in cœlum. Ergo qui egerit veraciter pœnitentiam, et solutus fuerit à ligamento quo erat constrictus, et à Christi corpore separatus, et benè post pœnitentiam vixerit, sicut ante pœnitentiam vivere debuit, post reconciliationem quandocunque defunctus fuerit, ad Deum vadit, ad requiem vadit, regno Dei non privabitur, à populo diaboli separabitur.

Cætera vide hujusce Capitis 2. 1. *litt.* (F)

(C) S. CAROLUS *Tom.* 1. *Act. Eccles. Mediolan. part.* 4. *in Instruct. ad Confess. pag.* 653. Peccati mortalis occasiones vocantur, quidquid ad peccatum inducit aut ex sua natura, aut ex parte pœnitentis fragilis, qui in ea occasione positus ita peccare consuevit, ut probabile sit ex eo pessimo habitu in eadem peccata lapsurum, si in illa occasione ampliùs perseveret.

2. Alterius generis exempla hæc sunt. Judex qui præ ignorantia vel imbecillitate animi, vel metu præpostero, vel nimio studio serviendi rebus suis et commodis, vix potest abstinere ab injustitia; in proxima peccandi occasione versatur, donec magistratum abdicaverit. Qui sæpissimè expertus est peccare se quoties personas quasdam alioqui honestas frequentat, versatur in occasione peccandi proximâ, nisi se ab eorum consortio sequestraverit. Mercaturæ, Argentariæ professio, sunt proxima peccandi occasio multis, qui ob pravam affectionem animi nequeunt exercere mercaturam vel argentariam, quin usuris, mendaciis, aliisve injustitiæ generibus rem augeant. Hîc habes specimen alterius generis occasionum peccati, quas vocant occasiones per accidens. (D)

I. Utriusque generis occasiones suntne omninò fugiendæ?

R. Omninò: alioqui peccati contritio sufficiens non est.

I. Quid si fugiendo peccati occasionem, incurrat quis grave incommodum, si hinc oriantur pravæ de aliquo suspiciones, si veniat quis in discrimen famæ et existimationis, si fortunis suis, si rei familiari grave detrimentum indè inferendum sit; estne nihilominùs fugienda peccati occasio?

R. Est omninò, juxta hoc Christi oraculum: (*Matth.* V. 29. XVIII. 9. *Marc.* IX. 42.) *Si oculus tuus dexter*, si manus tua

(D) S. Carol. *tom.* 1. *Act. Eccles. Mediol. part.* 4. *in Instruct. ad Confess. pag.* 653. Occasiones porrò illæ quæ ex natura sua ad peccatum inducunt, sunt, si qui aleæ, et ejusmodi lusibus indulgent; qui domum in hunc finem præparatam aperiunt; aut qui domi retinent, aut suo nomine, aut quovis modo mulierem cum qua peccatur: aut qui colloquiis minùs honestis, aspectibus, amorisque impudici significationibus vacant. Pœnitentem ergo, in aliqua ex his occasionibus versantem, aut similibus, si urgens sit illa occasio, ut qui concubinam verbi gratiâ, aleret, non debet sine dubio Confessor absolvere, nisi hanc occasionem antea sustulerit. Pro aliis verò occasionibus, quales sunt aleæ vacatio, aspectus minùs pudici, colloquia, gestus, etc. non absolvatur nisi eas dimittere pœnitens polliceatur: quòd si jam aliàs id pollicitus sit, nec emendatus fuerit, absolutio tandiù differatur, donec emendationem agnoverit. Et quia potest contingere, ut pœnitens, cum his omnibus modis à Confessore propositis, occasionem non possit dimittere, sine periculo aut scandalo, debet hæc adhibere remedia:

Primò differatur absolutio donec emendationis signa dederit: quòd si indè infamiæ periculum pœnitenti acciderit, et confessor talia contritionis in eo signa perspexerit, debitamque ad excipienda remedia, emendationi suæ necessaria, dispositionem observaverit, debent proponi alia magis opportuna, ut, verbi gratiâ, solus talem mulierem nunquam alloquatur, ut orationes aliquas agat, corpus asperiùs habeat, et imprimis pro frequenti confessione Confessorem adeat, aliisque ejusmodi polliceatur uti præservativis, tunc poterit absolvi.

Quòd si tamen hæc jam habità aut à se, aut ab alio Confessore diligentiâ, non emendatus pœnitens fuerit, non absolvatur, donec occasio illa sublata fuerit, vel agendum aliter nobis videatur. De quo nobis, in eo casu, celato personæ nomine, aliquid significabitur.

Peccatorum mortalium occasiones, quæ tales habentur non nisi ex personæ infirmitate, sunt eæ res, quæ licèt in se licitæ sint, prudenter tamen judicatur, pœnitentem earum usu, in eadem peccata relapsurum, si in iis, ut antea, ampliùs immoretur. Sic multis solet esse seculi

frequentatio, militia, commercium, magistratus, advocatorum, aut procuratorum professio, aliaque ejusmodi exercitia, in quibus, homo qui sæpiùs mortaliter peccare consuevit, vel ex blasphemia, furto, injustitiâ, calumniâ, odio, fraude, perjuriis vel aliis, ex quibus novit quòd si in his exercitiis versetur ampliùs illi erunt totidem peccandi occasiones; non est sanè cur existiment, pœnitentem illum peccati occasionibus efficaciùs obstiturum quàm antea, undè illum in eadem peccata relapsurum prudenter judicari potest.

Ideò tales (ut ait Augustinus) aut debent ab hoc exercitio ipsis periculoso omninò abstinere, aut saltem huic non vacare nisi cum licentia et directione Sacerdotis probi et prudentis, qui non debet in eo statu pœnitentem absolvere, si in eadem peccata, quandiù in eadem occasione perseveraverit, rursùs iturum dubitet: ideo debet per aliquod temporis spatium de emendatione certior fieri.

Et in hoc, eò magis invigilet, quòd Confessorum in ea re incuria in causa sit, cur in omnibus artibus et exercitiis vigeant abusus, et peccata, sine quibus videtur à multis, hodie non posse etiam professiones justissimas exerceri. Sic verbi gratiâ in magistratuum et officiorum exercitio multa sub juramento multi pollicentur, quæ se non observaturos norunt.

Plurima prædentur consilia, lites defenduntur, clientum improbitati et injustitiæ contra conscientiam obsequuntur.

In militia ex duello, odiis, homicidiis, aleationibus, blasphemiis, rapinis, impudicitiis peccari solet.

In commercio, habentur usuræ, fraudes, adulterantur merces, improbæ pro bonis venduntur, aut pluris quàm valeant, aut perjurium, aut saltem facilior affirmatio, gabellarum defraudatio, aliaque peccata committuntur.

Plurimi artifices festis diebus, ut aliis, laborant; ita ut vix cultui divino unquam vacent, et Dei verba audiant, familiam suam omnem eodem modo occupant.

Sicque occurret sæpè multos in iis exercitiis in peccato mortali vixisse, qui proindè absolutionis capaces non debent æstimari, nisi modò remedia adhibeantur quibus occasiones dimittant, aut contra peccatum evadant fortiores.

Imò Confessor quandoque inveniet eorum aliquos de iis peccatis legitimè nunquam fuisse confessos: quòd si ita fuerit, debet eis suadere, præter emendationis signa quæ dederint aut exercitii ipsis perniciosi privationem, ut generalem habeant confessionem, valentioraque pro sua salute adhibeant remedia.

Confessor ergo in iis exercitiis, et operibus, quæ nullam necessitatem, et utilitatem invehunt, maximè observet, quòd licet ad primam occasionem per se ad peccatum mortale inductivarum speciem, quæ propterea dimitti à quocunque debent, illa non referantur, tamen ad malum inclinant, et ad varia peccata sæpiùs hominem provocant; ut saltationum publicarum, blasphemorum aliorumque improborum hominum, cauponarum frequentatio, vita nimiùm otiosa, aliaque hujusmodi, quorum occasione si homo peccare consueverit, nequaquam debet absolvi, nisi primùm eam omninò dimiserit, et pollicitus fuerit ab ea se occasione separaturum.

Quòd si Confessori visum fuerit ex prima, aut secunda pœnitentis pollicitatione, et non ampliùs ipsum occasionem hanc dimissurum, poterit eum absolvere; absolutionem autem differat, si promissis non steterit, donec amandatam omninò fuisse hanc occasionem agnoverit.

S. GREGOR. MAGN. *Homil.* 24. *in Evang. initio.* Quæri etenim potest, cur Petrus, qui piscator ante conversionem fuit (*Matth.* IV. 18. *etc.*), post conversionem ad piscationem rediit (*Joan.* XX. 3. *etc.*); et cùm veritas dicat: *nemo mittens manum suam ad aratrum, et aspiciens retrò, aptus est regno Dei* (*Luc.* IX. 62.), cur repetiit quod derelinquit? Sed si virtus discretionis inspicitur, citiùs videtur: quia nimirùm negotium quod ante conversionem sine peccato exstitit, hoc etiam post conversionem repetere culpa non fuit. Nam piscatorem Petrum (*Matth.* IV. 18. IX. 9.), Matthæum verò teloncarium scimus: et post conversionem suam ad piscationem Petrus rediit (*Joan.* XXI. 3.), Matthæus verò ad telonei

dextera, si pes tuus *scandalizat te*, *erue*, abscinde, *et projice abs te : melius est enim tibi unum oculum* vel pedem vel unam manum *habentem intrare in regnum cœlorum, quàm duos oculos* vel pedes *habentem mitti in gehennam ignis.* Id est, si quæ res, vel persona tantæ tibi utilitatis vel necessitatis sit, vel tam arctà tibi necessitudine conjuncta, ut pes, manus, oculusve, tamen prorsùs à te projicienda est, prorsùs abstinendum ab iis, quæ tibi occasio peccati fuerint; alioqui scias esse te mittendum in ignem æternum. (E)

negotium non resedit : quia aliud est victum per piscationem quærere, aliud autem telonei lucris pecunias augere. Sunt enim pleraque negotia, quæ sine peccatis exhiberi aut vix aut nullatenùs possunt. Quæ ergo ad peccatum implicant, ad hæc necesse est ut post conversionem animus non recurrat.

CONCIL. LATERAN. IV. *ann.* 1215. *Can.* 21. Sacerdos autem sit discretus et cautus, ut more periti medici superinfundat vinum et oleum vulneribus sauciati : diligenter inquirens et peccatoris circumstantias et peccati, per quas prudenter intelligat, quale illi consilium debeat exhibere, et cujusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo ad sanandum ægrotum.

Vide quæ diximus suprà, dum de scandalis *ageremus, hujusce Operis Part.* 2. *Sect.* 3. *Cap.* 6.

(E) S. AUG. *lib.* 1. *de serm. Dom. in monte cap.* 13. *n.* 37. *Si autem oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et projice abs te. Expedit enim tibi ut unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum eat in gehennam.* (*Matth.* v. 29.) Hic verò magnà opus est fortitudine ad membra præcidenda. Quidquid enim est quod significat oculus, sine dubio tale est quod vehementer diligitur. Solet enim et ab eis qui vehementer volunt exprimere dilectionem suam, ita dici, Diligo eum ut oculos meos, aut etiam plus quàm oculos meos. Quod autem additum est, *dexter*, fortasse ad augendam vim dilectionis valet. Quanquam enim ad videndum isti oculi corporis communiter intendantur, et si ambo intendantur, æqualiter possint; ampliùs tamen formidant homines dextrum amittere. Ut iste sit sensus, Quidquid illud est quod ita diligis, ut pro dextro oculo habeas, si scandalizat te, id est, si tibi impedimento est ad veram beatitudinem, erue illud, et projice abs te : Expedit enim tibi ut pereat unum horum, quæ ita diligis ut tanquàm membra tibi hæreant, quàm totum corpus tuum eat in gehennam.

S. JOAN. CHRYSOST. *Homil.* 17. *in Matth. aliquantò post initium.* Ipse etiam Christus in consequentibus recte quidem, idipsum tamen proprie signavit, cùm ea quæ etiam nos scandalizant, erui abscindique præcepit; per quod certè ira, quà in ejusmodi fœminas uti debemus ostenditur. Et iccircò subjunxit : *si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et projice abs te.* Ne enim diceres, Quid igitur si propinqua sit, si aliquâ mihi necessitudine copulata? Propterea ista mandavit, cùm utique non de membrorum disturbanda compage disserat : absit. Nusquam enim carnis crimen id esse enuntiat, sed utique malum arguit voluntatis. Non enim oculi, sed per oculos animus intuetur. Denique nobis interdum ad alia mente conversis, oculi ante se posita non cernunt : non igitur totum ad illorum spectat effectum. Quòd si de membris ista loqueretur, nequaquam vel de uno, vel de dextro id oculo, sed indifferenter de utroque. Qui enim dextro scandalizatur oculo, haud dubium quin ipsum patietur etiam de sinistro. Quam igitur ob causam dextrum posuit, et manum adjecit? Ut scilicet disceres, non de membris esse sermonem, sed de his potiùs qui nobis familiaritate junguntur. Et si igitur tantùm aliquem diligas, ut eo dextri oculi utaris vice : aut ita tibi quempiam esse utilem putes, ut eum dextræ manûs ducas loco, et hi tamen animæ tuæ fortassis incommodent : etiam istos à te, inquit, abscinde. Et diligentiùs vim ipsam sermonis examina. Non enim dixit, A talium societate

discede : sed maximam separationem indicans, *erue*, inquit, *ac projice abs te.* (*Matth.* V. 29.) Deinde quia satis severè præceperat, lucrum ex utroque ostendit, eamdem similitudinem tam in bonorum, quàm etiam in malorum parte servando : *Expedit enim tibi*, inquit, *ut pereat unum membrorum tuorum, ac non totum corpus tuum mittatur in gehennam.* (*Ibid.*) Cùm enim nec seipsum certè salvet qui tibi fuerit adjunctus, et te perditionis suæ socium faciat; quæ tandem illa humanitas sit, utrumque demergi, cùm liceat vel unum separatione servare? Cur enim Paulus optabat anathema fieri? (*Rom.* IX. 3.) Non utique ut nihil inde lucri caperet, sed ut alios acquireret in salutem. Hic verò uterque damno afficitur : et idcircò non ait tantummodo, *erue :* sed *projice*, inquit, *abs te*, ut cum nunquam recipias ulteriùs, si qualis fuerat perseverat. Hoc enim modo et illum majori crimine liberabis, et te à perditione salvabis. Ut autem manifestiùs commodum istius legis aspicias, si placet etiam in corpore exempli gratiâ, id quod dictum est, requiramus. Si enim daretur electio, unumque esset necessarium de duobus, videlicet aut cum ambobus oculis in foveam ruere, atque ibidem deperire, aut etiam absque uno oculo reliquum salvare corpus : putasne è duobus suscipere non malles secundum? Aut istud omnibus absque ambiguitate perspicuum est, non enim hoc esset odientis oculum, sed corpus reliquum diligentis. Hoc etiam in viris consideretur et fœminis. Si quæ enim tibi noceat amando, incurabilisque permaneat : et te omni peste, dum sic abscinditur, liberabit, et ipsa à majoribus est erepta peccatis, non jam ultrà cum suis malis etiam crimen tuæ perditionis admiscens. Vidisti quantâ lenitate Christi lex plena sit et sollicitudine, et quæ à pluribus nimiæ severitatis putatur, quantum erga homines pietatis ostendat? Audiant ista qui sæpiùs ad theatrum festinant, seque ibi penè quotidiè adulterii obscenitate commaculant. Si enim etiam familiaritate devinctum, sed scandalizantem tamen abscindi atque abjici lex jubet : quâ tandem poterunt satisfactione defendi, qui nondùm sibi cognitos, per conversationem et moram quam ibi trahunt, quotidiè comparant, ac mille sibi occasiones perditionis ministrant? Neque enim jam solùm impudicè non concedit aspicere : sed posteaquàm noxam de societate patefecit, progrediens etiam præceptum ipsum legis extendit, jubens scilicet vel eruere nos ejusmodi, vel abscindere, longèque projicere. Et hoc qui innumera de servanda charitate mandaverat, sancit, ut et ex utroque illius curam ad providentiam disceres, et quemadmodum ubique tuam utilitatem requirat.

JOAN. HIEROSOL. *Comment. in Matth. cap.* 5. *pag.* 163. Sed et alii aliter interpretantur hunc locum. Vult, inquiunt, Christus, ut non solùm de periculo nostri peccati curemus, abstinentes nos ab omni concupiscentia mala; sed etiam ne vel propinqui nostri, vel aliqui ad nos pertinentes, turpe aliquid agant. Ut putà habes aliquem vel filium, vel fratrem, vel amicum, qui sic benè aspicit res tuas, quasi proprius oculus tuus, et habes eum pro oculo dextro; aut habes aliquem qui sic procurat res tuas quasi propria manus tua, et est tibi quasi dextra manus : et illum talem si cognoveris aliquid turpiter agere, præcide eum ab anima tua, et projice longè abs te : quia non solùm pro peccato nostro, sed etiam pro peccato proximorum nostrorum, quod tamen possumus cohibere, nisi aut cohibuerimus, aut repulerimus à nobis, dabimus rationem. Et quoniam omnes Christiani *unum corpus sumus, et alter alterius membra* (*Rom.* XII. 5.), melius est ut sine uno aut altero membro tali salvemur, quàm ut volentes illos tales habere, et ipsi pereamus cum eis.

S. MAXIM. *Confess. Quæst. et dubia, Interr.* 35. *Quid sibi vult quod ait Dominus*, (*Matth.* V. 29.) Si oculus tuus, vel manus aut pes scandalizat te, abscinde eos et projice abs te?

Resp. Licet quidem et de amicis, tanquam oculis, deque illis qui de familia sunt, qui nobis haud secùs ac manus necessarii sint; necnon de sodalibus qui velut pedes nobis ministrent, procliviore sensu intelligi, quod per parabolam obscurè designatur : quos si offendiculo sint, animoque noceant, abscindendos Scriptura jussit.

S. HILAR. Episc. *cap.* 4. *Comment. in Matth. cap.* V. *v.* 29. *Quòd si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et projice abs te, etc.* Fit innocentiæ

gradus celsior, et profectum fides sumit. Carere enim non solùm propriis vitiis, sed extrinsecùs incidentibus admonemur. Non enim ex causis peccantium membrorum, corporis damna præcepta sunt : dextro enim oculo non minùs sinister erraret. Certè pes sensu concupiscentiæ carens damno inutilis est, in quem pœnæ causa non incidet. Sed quia diversa invicem membra, corpus tamen omnes unum sumus (*Rom.* XII. 5.), abjicere à nobis, vel potiùs eruere propinquitates charissimorum nominum admonemur, si in illis aliquid tale cernamus, ne in consortium criminis eorum de familiaritate veniamus : rectiùs utilibus et maximè necessariis tanquam oculi et pedis membris carentes, quàm usque in societatem gehennæ, vitiosæ propinquitatis teneamur affectu.

S. HIERON. *lib.* 1. *Comment. in Matth. cap.* V. In dextero oculo, et in dextera manu, fratrum, uxorum, et liberorum, atque affinium et propinquorum monstratur affectus : quos si ad contemplandam veram lucem nobis impedimento esse cernimus, debemus truncare istiusmodi portiones : nè dum volumus lucri cæteros facere, ipsi in æternum pereamus. Unde dicitur et de Sacerdote magno, cujus animæ Dei cultui dedicata est : *super patre et matre et filiis non polluetur* * (*Levit.* XXI. 2.), id est, nullum affectum sciet, nisi ejus cujus cultui dedicatus est.

VEN. BEDA Presb. *Comment. in Matth. cap* V. *v.* 29. *lib.* I. *Quòd si oculus tuus dexter scandalizat te*, usque, *quàm totum corpus tuum eat in gehennam.* Non incongruè enim dexter oculus potest accipi dilectus amicus, et in rebus divinis consiliarius, cui non est parcendum ne abjiciatur, si nos vult scandalizans in hæresim ducere. *Et si dextra manus tua scandalizat te*, et reliqua. In dextera accipitur adjutor dilectus et minister in divinis operibus, ita in sinistra intelliguntur, quæ sunt corpori necessaria : quia sicut in oculo contemplatio, ita in manu significatur actio. Possumus etiam in oculo dextro quoslibet intelligere propinquos, qui etiam sunt causâ scandali amputandi.

HRABAN. MAUR. *Comment. in Matth. lib.* 2. *pag.* 33. Videtur mihi non incongruè accipi debere hoc loco oculum, dilectissimum amicum. Nam hoc est utique quod membrum rectè possimus appellare, quod vehementer diligimus, et ipsum consiliarium, quia oculus est tanquam demonstrans iter. Et in rebus divinis, quia dexter est, ut sinister sit dilectus quidem consiliarius, sed in rebus terrenis ad necessitatem corporis pertinentibus. De quo scandalizante superfluum erat dicere, quandoquidem nec dextro parcendum sit. In rebus autem divinis consiliarius scandalizans est, si in aliquam perniciosam hæresim nomine religionis atque doctrinæ conatur inducere. *Et si dextra manus tua scandalizat, abscinde eam, et projice abs te. Expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum eat in gehennam.* (*Matth.* V. 30.) Ergo et dextera manus accipitur dilectus adjutor, et minister in divinis operibus. Nam quemadmodum in oculo contemplatio, sic in manu actio rectè intelligitur. Ut sinistra manus intelligatur in operibus, quæ huic vita corpori sunt necessaria. Possumus quoque in dextro oculo, et dextra manu, fratrum et uxoris et liberorum, atque affinium et propinquorum intelligere affectus. Quos si ad contemplandam veram lucem impedimento esse cernimus, debemus truncare istiusmodi portiones ; ne dum volumus cæteros lucrifacere, ipsi in æternum pereamus. Unde dicitur et de Sacerdote magno, cujus anima Dei cultui dedicata est : *supra matrem et patrem et filios non polluetur* (*Levit.* XXI. 2.), id est, nullum affectum sciet, nisi ejus cujus cultui dedicatus est.

RUPERT. *in Matth. cap.* 5. *de glor. et honor. Filii hom. lib.* 5. *pag.* 42. Ut sis in castitate perfectus, non solùm sinistrum oculum eruere, verùm etiam dextrum debes projicere abs te, si tamen scandalizat te, id est, non solùm adulterini concubitûs concupiscentiam fugere, verùm etiam licitum amorem, licitam conjugii copulam solvere, et abjicere, si duntaxat tecum non consentit mulier habitare, aut si propter cohabitationem ejus periculum tibi subeundum est vitæ vel salutis æternæ. Nam hoc modo reverà dexter oculus tuus scandalizat te, si vel te virum mulier, vel te mulierem vir conjux non patitur in fide Christi permanere. Huic fundamento fideliter insistens Apostolus, *infidelis*, ait, *si*

I. Quid si omninò tolli peccati occasio non potest; si ab ea fieri separatio nequit; ut aliquando usuvenit iis, qui sub alterius potestate sunt; quid tum facto opus ?

R. Tunc magnâ contentione, singulari vigilantiâ et cautione, assiduis precibus et gemitibus, continuo tandem timore et tremore enitendum est pro viribus, ut fugiatur quantùm fieri potest occasio peccandi. Deinde quod prudens et peritus Rector animarum præscripserit id ad amussim servandum. Id si fiat, fortè Deo miserante, non erit ampliùs peccandi occasio quod hactenùs fuit. (F)

§. 6. De Confessione, ejusque necessitate.

I. Quid est confessio sacramentalis ?

R. Confessio sacramentalis est accusatio et declaratio peccatorum facta per pœnitentem Sacerdoti jurisdictionem habenti, ut det Sacerdos satisfactionis modum et peccati remedia, et Absolutionem impertiatur.

I. Estne necessaria prorsùs peccatorum confessio ?

R. Institutam esse à Domino integram peccatorum confessionem, et omnibus post baptismum lapsis jure divino necessariam existere (*Conc. Trid. Sess.* 14. *cap.* 5.), certissimum est.

Nam (*Id. ibid.*) *Dominus noster Jesus Christus è terra ascensurus ad cœlos, Sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tanquam præsides et judices : ad quos omnia peccata mortalia deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint ; quo pro potestate clavium remissionis aut retentionis peccatorum, sententiam pronuntient.* ACCIPITE SPIRITUM SANCTUM, inquit, QUORUM REMISERITIS PECCATA REMITTUNTUR EIS, ET QUORUM RETINUERITIS RETENTA SUNT. (*Joan.* XX. 22. 23.) Quibus verbis patet necessitas confessionis. *Constat enim Sacerdotes judicium hoc incognitâ causâ exercere non posse, nec servare posse æquitatem in pœnis et remediis injungendis, si in genere duntaxat et non potiùs in specie ac sigillatim peccata declarentur.* (*Concil. Trid. loco suprà allato.*)

Et hoc quidem sensu Ecclesia verba hæc Christi semper interpretata est, et manifestà traditione constat his verbis institutum à Christo fuisse, ut jam diximus, pœnitentiæ

discedit, discedat. (1. *Cor.* VII. 5.) Non est enim servituti subjectus frater aut soror ejusmodi : exempli gratiâ, Pone Judæum sive Gentilem, virum sive mulierem converti velle ad Christum, sive jam credidisse in Christum, et de conjugali copula pati hominem scandalum, ut aut solvendum conjugium, aut fidei subeundum sit dispendium : Nonne huic incunctanter, et certissimè dicas, *Expedit tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam?* (*Matth.* 5, 29.) Sic et fratrum et liberorum atque affinium et propinquorum in causa hac nescire debemus affectum, imò truncare expedit homini portiones, ne dum volumus lucrifacere cæteros, ipsi in æternum pereamus. Unde et de Sacerdote magno dicitur, cujus anima cultui Dei dedicata est; *super patre et matre et filiis non polluetur,* (*Lev.* XXI. 2.) id est, nullius affectum sciet nisi ejus cujus cultui dicatus est.

Idem adstruunt SS. Patres et Interpretes tam antiqui quàm recentiores, qui in hunc Matthæi locum scripserunt, quos consulere poteris.

(F) S. CAROLUS *locis suprà allatis hocce* §. *litt.* (D)

sacramentum, et introductam confessionis necessitatem. Id ex Antiquiorum Patrum testimoniis, quibus à nemine contradictum est, et ex perpetuo usu Ecclesiæ, probatur invictissimè. (A)

(A) ORIGENES *Homil.* 2. *in Ps.* XXXVII. *pag.* 293. *Quoniam iniquitatem meam pronuntio.* * (*Ps.* XXXVII. 19.) Pronuntiationem iniquitatis, id est, confessionem peccati, frequentius diximus. Vide ergo quid edocet nos Scriptura divina, quia oportet peccatum non celare intrinsecùs: fortassis enim sicut ii qui habent intùs inclusam escam indigestam, aut humores vel phlegmata stomacho graviter et molestè imminentia, si vomuerint relevantur: etiam hi qui peccaverint, si quidem occultant, et retinent intra se peccatum, intrinsecùs urgentur, et promodum suffocantur à phlegmate, vel humore peccati. Si autem ipse sui accusator fiat, dum accusat semetipsum, et confitetur, simul evomit et delictum, atque omnem morbi digerit causam.

S. BASIL. *in Reg. brevior. Interr.* 229. Nunquid flagitiosè facta abjectà omni verecundià enuntiari apud omnes debeant, an apud aliquos tantummodo? et si hoc, apud quos, et cujusmodi?

Resp. Omninò in peccatum confessione eadem ratio est, quæ etiam in apertione vitiorum corporis. Ut igitur vitia corporis nequaquam quibusvis temerè homines aperiunt, sed iis tantummodò, qui rationem, quà ea curanda sint, teneant: eodem modo etiam peccatorum confessio fieri debet, apud eos videlicet, qui ea possint curare: consentaneum in modum illi, quod scriptum est, (*Rom.* XV. 1.) *Vos qui firmiores estis, imbecillitates infirmiorum portate*, hoc est, tollite diligentiâ et curâ vestrâ.

S. JOAN. CHRYSOST. *Homil.* 9. *in Epist. ad Hebr. in morali.* Dedit pœnitentiæ medicinam, quæ possit omnia peccata nostra delere et exterminare.... Quale ergo est istud medicamentum pœnitentiæ, et qualiter conficitur? Primò condemnando et confitendo propria peccata. *iniquitatem*, inquit, *meam non celavi: et pronuntiabo adversùs me iniquitatem meam Domino, et tu abstulisti impietatem cordis mei* * (*Ps.* XXXI. 5.); et iterùm, * (*Isai.* XLIII. 26.) *Dic iniquitates tuas prior, ut justificeris*: et iterùm, *Justus seipsum accusat in initio sermonis.* (*Prov.* XVIII. 17.)

S. HIERON. *in Eccles. cap.* X. *tom.* 2. *pag.* 774. Si quem serpens diabolus occultè momorderit, et nullo conscio eum peccati veneno infecerit; si tacuerit qui percussus est, et non egerit pœnitentiam, nec vulnus suum fratri et magistro voluerit confiteri, magister et frater qui linguam habent ad curandum, facilè ei prodesse non poterunt. Si enim erubescat ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat medicina non curat.

In Matth. cap. XVI. *tom.* 4. *pag.* 75. *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum in cœlis: et quodcunque solveris super terram, erit solutum in cœlis.* Istum locum Episcopi et Presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Pharisæorum assumunt supercilio: ut vel damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur; cùm apud Deum non sententia Sacerdotum, sed reorum vita quæratur. Legimus in Levitico de leprosis: (*Levit.* XIII. 2. 7. *et seq.*) ubi jubentur, ut ostendant se Sacerdotibus; et si lepram habuerint, tunc à Sacerdote immundi fiant: non quò Sacerdotes leprosos faciant et immundos; sed quò habeant notitiam leprosi, et non leprosi; et possint discernere qui mundus quive immundus sit. Quomodo ergo ibi leprosum Sacerdos mundum vel immundum facit: sic et hic alligat, vel solvit Episcopus et Presbyter, non eos qui insontes sunt vel noxii: sed pro officio suo, cùm peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, quive solvendus.

S. AUG. *Serm.* 392. *aliàs* 49. *inter Homil.* 50. *cap.* 3. *n.* 3. Qui post uxores vestras vos illicito concubitu maculastis,.... agite pœnitentiam, qualis agitur in Ecclesia, ut oret pro vobis Ecclesia. Nemo sibi dicat, Occultè ago, apud Deum ago: novit Deus qui mihi ignoscat, quia in corde meo ago. Ergo sine causa dictum est, *Quæ solveritis in terra, soluta erunt in cœlo?* (*Matth.* XVIII. 18.) Ergo sine causa sunt claves datæ Ecclesiæ Dei?

In Ps. LXVI. *n.* 6. Ipsa cantatio confessio est, confessio peccatorum tuorum et virtutis Dei. Tuam iniquitatem confitere, gratiam Dei confi-

Ex his colligitur oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia.... in Confessione recenseri. (*Concil. Trid. Sess.* 14. *cap.* 5.)

Venialia autem, quibus à gratia Dei non excludimur, et in quæ frequentiùs labimur, quanquam rectè et utiliter, citraque omnem præsumptionem in Confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat; tacèri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt. (B) (*Id. ibid.*)

tere : te accusa, illum glorifica : te reprehende, illum lauda : ut et ipse veniens inveniat te punitorem tuum, et exhibeat se tibi salvatorem tuum. Quid enim timetis confiteri, qui invenistis hanc viam in omnibus gentibus ? Quid timetis confiteri, et in confessione vestra cantare canticum novum cum omni terra, in omni terra, in pace catholica ? Confiteri times Deo, ne confessum damnet ? Si non confessus lates, confessus damnaberis. Times confiteri, qui non confitendo esse non potes occultus : damnaberis tacitus, qui posses liberari confessus.

N. 7. *Lætentur et exsultent gentes.* (*Ps.* LXVI. 5.) Unde ? Per ipsam confessionem. Quare ? Quia bonus est cui confitentur : ad hoc exigit confessionem, ut liberet humilem ; ad hoc damnat non confitentem, ut puniat superbum. Ergo tristis esto antequam confitearis ; confessus exsulta, jam sanaberis. Conscientia tua saniem collegerat, apostema tumuerat, cruciabat te, requiescere non sinebat : adhibet medicus fomenta verborum, et aliquando secat, adhibet medicinale ferrum in correptione tribulationis : tu agnosce medici manum ; confitere, exeat in confessione et defluat omnis sanies : jam exsulta, jam lætare : quod reliquum est facilè sanabitur.

Serm. 67. *aliàs* 8. *de verbis Dom. cap.* 1. *n.* 1. In hoc ipso quod sonuit, *Confiteor*, pectora tutudistis. Tundere autem pectus quid est, nisi arguere quod latet in pectore, et evidenti pulsu occultum castigare peccatum ?... Si, *Confiteor* Christus dixit (*Matth.* XI. 25. *Luc.* X. 21.), à quo longè est omne peccatum ; non solius est peccatoris, sed etiam aliquando laudatoris. Confitemur ergo, sive laudantes Deum, sive accusantes nos ipsos. Pia est utraque confessio, sive cùm te reprehendis, qui non es sine peccato ; sive cùm illum laudas, qui non potest habere peccatum.

N. 2. Mortuus est autem peccator, maximè ille quem moles consuetudinis premit, quasi sepultus est Lazarus. Parum enim erat, quia mortuus : etiam sepultus. Quisquis igitur malæ consuetudinis, malæ vitæ, terrenarum scilicet cupiditatum mole premitur, ita ut in illo jam factum sit, quodam Psalmo miserabiliter dicitur, *Dicit stultus in corde suo, Non est Deus* (*Ps.* XIII. 1.) : fit talis, de quali dictum est, *A mortuo, velut qui non sit, perit confessio.* (*Eccli.* XVII. 26.) Quis cum suscitabit, nisi qui remoto lapide *clamavit*, dicens, *Lazare, prodi foras ?* (*Joan.* XI. 43.) Quid est autem foràs prodire, nisi quod occultum erat foràs prodere ? Qui confitetur, foràs prodit. Foràs prodire non posset, nisi viveret : vivere non posset, nisi resuscitatus esset. Ergo in confessione sui accusatio, Dei laudatio est.

Cap. 2. *n.* 3. Dicit ergo aliquis, Quid prodest Ecclesia, si jam confessor voce Dominicà resuscitatus prodit ? Quid prodest Ecclesia confitenti, cui Dominus ait, *Quæ solveritis in terra, soluta erunt et in cœlo ?* (*Matth.* XVIII. 18.) Ipsum Lazarum attende : cum vinculis prodit. Jam vivebat confitendo ; sed nondum liber ambulabat, vinculis irretitus. Quid ergo facit Ecclesia, cui dictum est, *Quæ solveritis, soluta erunt ?* (*Matth.* XVIII. 18.) nisi quod ait Dominus continuò ad Discipulos, *solvite illum, et sinite abire.* (*Joan.* XI. 44.)

Vide Momenta Patrum quæ jam exscripsimus hujusce Capitis §. 2. *litt.* (B), (C) *et* (H), *et quæ adducemus infrà hocce* §. *litt.* (C)

(B) *Vide quæ exscripsimus suprà hujusce Capitis* §. 2. *litt.* (I)

S. AUG. *Serm.* 352. *aliàs* 27. *inter Homil.* 50. *cap.* 2. *n.* 7. Itaque admonemur jam de altera loqui pœnitentia : triplicem quippe ejus considerationem in sancta Scriptura esse proposui. Illa prima competentium est et ad Baptismum venire sitientium,... est alia quippe quotidiana. Et ubi illam ostendimus pœnitentiam quotidianam ? Non habeo ubi meliùs ostendam,

I. Cui facienda peccatorum confessio est ?

R. Sacerdoti cujus jurisdictioni subjiciamur; sive pastor ille sit, sive alius quivis sacerdos approbatus ad audiendas confessiones. (C)

I. Quicunque approbati sunt ad confessiones audiendas, possuntne quorumvis confessiones excipere?

R. Habenda ratio est approbationis, siquidem illa ad certum tempus locumve, vel ad certas personas determinari potest. Videndum ergo ne quis potestatis suæ limites transgrediatur; de his infrà fusiùs dicemus. (*Hujusce Cap.* §. 23. *et seq.*)

I. Solisne Sacerdotibus approbatis licet peccatorum confessionem sacramentalem excipere ?

R. Extra casum extremæ necessitatis nulla esset prorsùs quàm in Oratione quotidiana, ubi Dominus orare nos docuit, quid ad Patrem dicamus ostendit, et in his verbis posuit : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* (*Matth.* VI. 12.) Quæ debita, Fratres ? Quandoquidem debita hic intelligi non possunt nisi peccata ; quæ debita dimisit in Baptismo, iterùm ut dimittat oramus ? Certè mortuus est omnis Ægyptius qui sequebatur. (*Exod.* XIV, 28.) Si nihil de sequentibus hostibus residuum factum est, quid oramus ut dimittatur, nisi propter manus deficientes contra Amalech ? (*Exod.* XVII. 11.) *Dimitte nobis, sicut et nos dimittimus.* (*Matth.* VI. 12.) Constituit medicinam, firmavit pactum. Hic preces dictat, ibi precanti respondet: novit quo jure res agatur in cœlo, quomodo impetrari possint desiderata. Dimitti vis ? Dimitte, ait. Quid enim habes quod Deo præstes, à quo vis ut præstetur tibi. Nunquid jam Christus Salvator in terra ambulat? Nunquid suscipit illum modò in domum gaudens Zacchæus ? (*Luc.* XIX. 6.) Nunquid ei hospitium et epulas præparat Martha ? (*Luc.* X. 40.) Nihil horum indiget, ad dexteram Patris sedet. Sed *quando uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* (*Matth.* XXV. 40.) Hæc est extensio manuum, sub qua defecit Amalech, etc. (*Exod.* XVII. 11.)

(C) S. HIERONYM. *Epist.* 5. *aliàs* 1. *ad Heliod. pag.* 10. Presbyteri Apostolico gradui succedentes Christi corpus sacro ore conficiunt ; per quos et nos Christiani sumus. Qui claves regni cœlorum habentes, quodammodo ante judicii diem judicant.... Mihi ante Presbyterum sedere non licet : illi, si peccavero, licet *tradere* me *Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit.* (1. *Cor.* V. 5.) Et in veteri quidem lege, (*Deut.* III. 12.) quicunque Sacerdotibus non obtemperasset, aut extra castra positus, lapidabatur à populo ; aut gladio cervice subjectà, contemptum expiabat cruore. Nunc verò inobediens, spirituali mucrone truncatur : aut ejectus de Ecclesia rabido dæmonum ore discerpitur.

S. AUG. *lib.* 20. *de Civit. Dei, cap.* 9. *n.* 2. *Et vidi*, inquit, *sedes et sedentes super eas, et judicium datum est illis.* (*Apoc.* XX. 4.) Non hoc putandum est de ultimo judicio dici : sed sedes Præpositorum, et ipsi Præpositi intelligendi sunt, per quos Ecclesia nunc gubernatur. Judicium autem datum nullum melius accipiendum videtur, quàm id quod dictum est, *Quæ ligaveritis in terra, ligata erunt et in cœlo ; et quæ solveritis in terra, soluta erunt et in cœlo.* (*Matth.* XVIII. 18.)

S. GREGOR. MAGN. *Homil.* 26. *in Evang.* Discipuli.... ecce non solùm de semetipsis securi fiunt, sed etiam alienæ obligationis potestatem relaxationis accipiunt : principatumque superni judicii sortiuntur, ut vice Dei quibusdam peccata relinquant, quibusdam relaxent.... Horum profectò nunc in Ecclesia Episcopi locum tenent. Ligandi atque solvendi auctoritatem suscipiunt, qui gradum reginiinis sortiuntur.

Vide quæ diximus suprà hujusce Operis Parte 2. *Sect.* 4. *Cap.* 4. *et hujusce Capitis* 2. 2. *litt.* (B) *denique hocce* §. *litt.* (A)

confessio facta Sacerdoti non approbato, nec habenti jurisdictionem, essetque proindè iteranda. (D)

§. 7. De Delectu Confessarii.

I. Expeditne confiteri peccata sua cuicunque Sacerdoti, modò sit ex approbatis?

R. Non expedit. Imò maximâ cautione opus est in diligendo Confessario : hinc enim pendet æterna salus ut plurimùm; et experientiâ constat, magnam Christianorum partem ideò perire, quia cæci ducem cæcum et imperitum sequuntur : nec quærunt sanari à medico, sed foveri; voluntque audire placentia non utilia. Id ipsum sæpissimè Judæis usuvenisse constat ex Prophetis. (A)

(D) Concil. Trident. *Sess.* 14. *cap.* 7. Quoniam igitur natura et ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos duntaxat feratur; persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem. Magnoperè verò ad Christiani populi disciplinam pertinere, sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quædam et graviora crimina non à quibusvis sed à summis duntaxat Sacerdotibus, absolverentur, unde meritò Pontifices Max. pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare. Neque dubitandum est, quando omnia, quæ à Deo sunt, ordinata sunt, quin hoc idem Episcopis omnibus in sua cuique Diœcesi, in ædificationem tamen, non in destructionem liceat, pro illis in subditos tradita supra reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate, præsertim quoad illa, quibus excommunicationis censura annexa est. Hanc autem delictorum reservationem, consonum est divinæ auctoritati, non tantùm in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere. Verumtamen piè admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis : atque ideò omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes, à quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt : extra quem articulum Sacerdotes cùm nihil possint in casibus reservatis, id unum pœnitentibus persuadere nitantur, ad superiores et legitimos Judices pro beneficio absolutionis accedant.

Vide quæ diximus suprà hujusce Operis Parte 1. *Sect.* 2. *Cap.* 3. §. 13. *Quisquis verò ea quæ ad Confessionem spectant, penitiùs nosse cupiet, adeat eximium* J. B. Morini *opus* de Pœnitentia, *præsertim hujusce operis libr.* 2. R. P. D. Sam-Marthani, *Congreg. S. Mauri nunc Præpositi Generalis, Tractatum* de Confessione *Gallicè scriptum :* Natalis Alexandri Ord. FF. Prædicat. *opus* de Confessione adversùs Dallæum; *denique librum cui titulus, Instructio ad administrationem sacramenti Pœnitentiæ :* Instruction sur l'administration du sacrement de Pénitence, in-12. *chez Simart.*

(A) Isai. lvi. 10. Speculatores ejus cæci omnes, nescierunt universi : canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes et amantes somnia. 11. Et canes impudentissimi nescierunt saturitatem : ipsi Pastores ignoraverunt intelligentiam.

Jerem. x. 21. Quia stultè egerunt Pastores, et Dominum non quæsierunt : propterea non intellexerunt : et omnis grex eorum dispersus est.

xxiii. 1. Væ Pastoribus, qui disperdunt et dilacerant gregem pascuæ meæ, dicit Dominus. 2. Ideò hæc dicit Dominus Deus Israel ad Pastores, qui pascunt populum meum : Vos dispersistis gregem meum, et ejecistis eos, et non visitastis eos : ecce ego visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum, ait Dominus.

Thren. ii. 14. Prophetæ tui viderunt tibi falsa, et stulta, nec aperie-

I. Si quis bonâ fide Confessarium adeat imperitum, ejusque consiliis obtemperet, nihil de ejus vel peritia vel imbant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent : viderunt autem tibi assumptiones falsas, et ejectiones.

Ezech. III. 17. Fili hominis speculatorem dedi te domui Israël : et audies de ore meo verbum, et annuntiabis eis ex me. 18. Si dicente me ad impium : Morte morieris ; non annuntiaveris ei, neque locutus fueris ut avertatur à via sua impia, et vivat ; ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram. 19. Si autem tu annuntiaveris impio, et ille non fuerit conversus ab impietate sua, et à via sua impia, ipse quidem in iniquitate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti. 20. Sed et si conversus justus à justitia sua fuerit, et fecerit iniquitatem ; ponam offendiculum coram eo, ipse morietur, quia non annuntiasti ei : in peccato suo morietur, et non erunt in memoria justitiæ ejus, quas fecit : sanguinem verò ejus de manu tua requiram. 21. Si autem tu annuntiaveris justo ut non peccet justus, et ille non peccaverit : vivens vivet, quia annuntiasti ei, et tu animam tuam liberasti.

XXXIV. 2... Væ Pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos : nonne greges à pastoribus pascuntur ? 3. Lac comedebatis et lanis operiebamini, et quod crassum erat occidebatis : gregem autem meum non pascebatis. 4. Quod infirmum fuit non consolidastis, et quod ægrotum non sanastis, quod confractum est non alligastis, et quod abjectum est non reduxistis, et quod perierat non quæsistis : sed cum austeritate imperabatis eis et cum potentia. 5. Et dispersæ sunt oves meæ, eo quòd non esset Pastor : et factæ sunt in devorationem omnium bestiarum agri, et dispersæ sunt. 6. Erraverunt greges mei in cunctis montibus, et in universo colle excelso : et super omnem faciem terræ dispersi sunt greges mei, et non erat qui requireret, non erat, inquam, qui requireret. 7. Propterea Pastores, audite verbum Domini : 8. Vivo ego dicit Dominus : quia pro eo quòd facti sunt greges mei in rapinam, et oves meæ in devorationem omnium bestiarum agri, eò quòd non esset Pastor ; neque enim quæsierunt Pastores mei gregem meum, sed pascebant Pastores semetipsos, et greges meos non pascebant : 9. Propterea Pastores, audite verbum Domini. 10. Hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego ipse super Pastores requiram gregem meum de manu eorum, et cessare faciam eos ut ultrà non pascant gregem, nec pascant amplius Pastores semetipsos : et liberabo gregem meum de ore eorum, et non erit ultrà eis in escam.

Osee IV. 5. Et corrues hodie, et corruet etiam Propheta tecum.... 6. Conticuit populus meus, eo quòd non habuerit scientiam : quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi : et oblita es legis Dei tui, obliviscar filiorum tuorum et ego. 7. Secundùm multitudinem eorum sic peccaverunt mihi : gloriam eorum in ignominiam commutabo. 8. Peccata populi mei comedent, et ad iniquitatem eorum sublevabunt animas eorum. 9. Et erit sicut populus, sic Sacerdos : et visitabo super eum vias ejus, et cogitationes ejus reddam ei.

Zachar. XI. 4. Hæc dicit Dominus Deus : Pasce pecora occisionis, 5. quæ qui possederant, occidebant, et non dolebant, et vendebant ea, dicentes : Benedictus Dominus, divites facti sumus : et Pastores eorum non parcebant eis. 6. Et ego non parcam ultrà super habitantes terram, dicit Dominus : Ecce ego tradam homines, unumquemque in manu proximi sui, et in manu regis sui : et concident terram, et non eruam de manu eorum. 7. Et pascam pecus occisionis propter hoc, ò pauperes gregis... 8. Et succidi tres Pastores in mense uno, et contracta est anima mea in eis : si quidem et anima eorum variavit in me. 9. Et dixi : Non pascam vos : quod moritur, moriatur : et quod succiditur, succidatur : et reliqui devorent unusquisque carnem proximi sui... 15. Et dixit Dominus ad me : Adhuc sume tibi vasa Pastoris stulti. 16. Quia ecce ego suscitabo Pastorem in terra, qui derelicta non visitabit, dispersum non quæret, et contritum non sanabit, et id quod stat non enutriet, et carnes pinguium comedet, et ungulas eorum dissolvet. 17. O Pastor, et idolum, derelinquens gregem : gladius super brachium ejus, et super oculum dextrum ejus : brachium ejus ariditate siccabitur, et oculus dexter ejus tenebrescens obscurabitur.

peritia cogitans, nunquid is veniet in discrimen salutis? An non potiùs eum sua fides salvabit?

R. Cæcus si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadent, inquit Christus (*Matth.* XV. 14. *Luc.* VI. 39.); neutrum bona fides à fovea extrahet. Itaque valdè timendum est, ne bona fides ab æterna perditione non eximat, si quem fortè fallat imperitia Confessarii. In iis tamen rebus in quibus foret inculpabilis ignorantia, certum est, non esse quod reprehendantur homines imperiti et rudes, qui bonâ fide obtemperant monitis Confessarii parùm periti, de cujus nequeunt imperitiâ judicare.

I. Vereor ne scrupulum injicias temerè conscientiis hâc tuâ responsione: nonne fidelibus satis esse videatur, si stent Episcoporum judicio, quorum auctoritate delecti sunt et probati Confessarii?

R. Experientiâ constat deludi hac în parte sæpiùs Episcoporum vigilantiam. Hinc meritò vult S. Franciscus Salesius Genevensium Episcopus, peritum animæ moderatorem inter decem millia unum seligi oportere. Si quis gravi morbo laboret, vocat ad se quem novit inter Medicos peritiorem, nec satis esse putat si quemlibet advocet modò doctorali laureâ donatus sit. Animarum salus multò pretiosior est corporum salute, morborum animæ curatio multò difficilior. Væ illis qui sibi ipsis hac in re variis quæsitis coloribus fucum facere non verentur? Qui falsi et insipientes Prophetæ dicuntur in veteri testamento, illi ut plurimùm habebant et nomen et auctoritatem ad docendum, utpote Sacerdotalis vel saltem Levitici generis. (B)

I. Qualem decet esse Confessarium?

R. Hunc decet esse doctum, prudentem, pium, misericordem, secreti tenacissimum. Doctum, ut calleat et Ecclesiæ Canones et Evangelica præcepta, et quidquid ad mores rectè componendos pertinet. Prudentem, ut nihil temerè faciat præ nimia vel indulgentia vel severitate: sed teneat in omnibus modum rectæ rationis. Pium, ut omnes moveat ad pietatem. Misericordem, ut peccatorum infirmitatibus compatiatur et ipse circumdatus infirmitate. Deni-

(B) 1. Reg. II. 12. Porrò filii Heli, filii Belial, nescientes Dominum, 13. neque officium Sacerdotum ad populum... 17. Erat ergo peccatum puerorum grande nimis coram Domino: quia retrahebant homines a sacrificio Domini.

Osee v. 1. Audite hoc Sacerdotes, et attendite domus Israël, et domus Regis auscultate: quia vobis judicium est, quoniam laqueus facti estis speculationi, et rete expansum super Thabor. 2. Et victimas declinastis in profundum.

Mich. III. 11. Principes ejus in muneribus judicabant, et Sacerdotes ejus in mercede docebant, et Prophetæ ejus in pecunia divinabant: et super Dominum requiescebant, dicentes: Nunquid non Dominus in medio nostrùm? non venient super nos mala. 12. Propter hoc causâ vestri, Sion quasi ager arabitur, et Jerusalem quasi acervus lapidum erit, et mons templi in excelsa sylvarum.

que tenacissimum secreti, cujus quanta debeat in Confessoribus esse religio nemo nescit. (C)

(C) S. Grecor. Magn. *Regul. Pastor. lib.* 1. *c.* 1. Nulla ars doceri præsumitur, nisi intentâ priùs meditatione discatur. Ab imperitis ergo pastorale magisterium quâ temeritate suscipitur, quando ars est artium regimen animarum. Quis autem cogitationum vulnera occultiora esse nesciat vulneribus viscerum? Et tamen sæpè qui nequaquam spiritalia præcepta cognoverunt, cordis se medicos profiteri non metuunt; dum qui pigmentorum vim nesciunt, videri medici carnis erubescunt... Ipsa quippè in magisterio lingua confunditur, quando aliud discitur et aliud docetur... Pastorum imperitia voce veritatis increpatur, cum per Prophetam dicitur: *Ipsi Pastores ignoraverunt intelligentiam.* (*Isaï.* LVI. 11.) Quod rursùm Dominus detestatur, dicens: *Et tenentes legem nescierunt me.* (*Jerem.* II. 8.) Et nesciri ergo se ab eis veritas queritur, et nescire se principatum nescientium protestatur: quia profectò hi qui ea quæ sunt Domini nesciunt, à Domino nesciuntur, Paulo attestante, qui ait, *si quis autem ignorat, ignorabitur.* (1. *Cor.* XIV. 38.) Quæ nimirùm Pastorum sæpè imperitia meritis congruit subjectorum: quia quamvis lumen scientiæ suâ culpâ exigente non habeant; districto tamen judicio agitur, ut per eorum ignorantiam hi etiam qui sequuntur offendant. Hinc namque in Evangelio per semetipsam veritas dicit: *si cæcus cæco ducatum præbeat, ambo in foveam cadunt.* (*Matth.* XV. 14.) Hinc Psalmista non optantis animo, sed prophetantis ministerio denuntiat, dicens: *obscurentur oculi eorum ne videant, et dorsum illorum semper incurva.* (*Psal.* LXVIII. 24.) Oculi quippè sunt, qui in ipsa honoris summi facie positi, providendi itineris officium susceperunt: quibus hi nimirùm qui subsequenter inhærent, dorsa nominantur. Obscuratis ergo oculis dorsum flectitur; quia cùm lumen scientiæ perdunt qui præeunt, profectò ad portanda peccatorum curvantur onera qui sequuntur.

Lib. 2. *cap.* 3. Sit Rector operatione præcipuus, ut vitæ vitam subditis vivendo denuntiet, et grex qui Pastoris vocem moresque sequitur, per exempla meliùs quàm per verba gradiatur. Qui enim loci sui necessitate compellitur summa dicere, hac eadem necessitate compellitur summa monstrare. Illa namque vox libentiùs auditorum cor penetrat, quam dicentis vita commendat: quia quod loquendo imperat, ostendendo adjuvat ut fiat. Hinc enim per Prophetam dicitur: *super montem excelsum ascendè tu, qui evangelizas Sion.* (*Isaï.* XL. 9.) Ut videlicet qui cœlesti prædicatione utitur, ima jam terrenorum operum deserens, in rerum culmine stare videatur: tantoque faciliùs subditos ad meliora pertrahat, quantò per vitæ meritum de supernis clamat.

Cap. 5. Sit Rector singulis compassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus: ut et per pietatis viscera in se infirmitatem cæterorum transferat, et per speculationis altitudinem semetipsum quoque invisibilia appetendo transcendat: ne aut alta petens, proximorum infirma despiciat, aut infirmis proximorum congruens, appetere alta derelinquat. Hinc est namque quòd Paulus in paradisum ducitur, (2. *Cor.* XII. 4.) cœlique tertii secreta rimatur, et tamen illà invisibilium contemplatione suspensus, ad cubile carnalium aciem mentis revocat, atque in occultis suis qualiter debeant conversari dispensat... Ecce jam cœlestibus secretis inseritur, et tamen per condescensionis viscera carnalium cubile perscrutatur: et quem sublevatus ad invisibilia erigit, hunc miseratus ad secreta infirmantium oculum cordis flectit. Cœlum contemplatione transcendit, nec tamen stratum carnalium sollicitudine deserit: quia compage charitatis summis simul et infimis junctus, et in semetipso virtute spiritûs ad alta valenter rapitur, et pietate in aliis æquanimiter infirmatur. Hinc etenim dicit: *Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror?* (2. *Cor.* XI. 19.) Hinc rursùs ait: *Factus sum Judæis tanquam Judæus.* (1. *Cor.* IX. 20.) Quod videlicet exhibebat non amittendo fidem, sed extendendo pietatem: ut in se personam infidelium transfigurans, ex semetipso disceret qualiter aliis misereri debuisset: qualenùs hoc illis impenderet, quod sibi ipse, si ita esset,

impendi rectè voluisset. Hinc iterùm dicit : (2. *Cor.* v. 13.) *sive mente excedimus, Deo : sive sobrii sumus, vobis :* quia et semetipsum noverat contemplando transcendere, et eumdem se auditoribus condescendendo temperare.... Tales autem sese qui præsunt exhibeant, quibus subjecti occulta quoque sua prodere non erubescant : ut cùm tentationum fluctus parvuli tolerant, ad Pastoris mentem quasi ad matris sinum recurrant : et hoc quod se inquinari pulsantis culpæ sordibus prævident, exhortationis ejus solatio, ac lacrymis orationis lavent..... Et fit plerumque, ut dum Rectoris animus aliena tentamenta condescendendo cognoscit, auditis tentationibus etiam ipse pulsetur : quia et hæc eadem per quam populi multitudo diluitur, aqua proculdubio luteris inquinatur. Nam dum sordes diluentium suscipit, quasi suæ mundiliæ serenitatem perdit. Sed hæc nequaquam Pastori timenda sunt, quia Deo subtiliter cuncta pensante, tantò faciliùs à sua eripitur, quantò misericordiùs ex alienâ tentatione fatigatur.

Cap. 9. Scire etiam Rector debet quòd plerumque vitia virtutes se esse mentiuntur. Nam sæpè sub parcimoniæ nomine se tenacia palliat, contraque se effusio sub appellatione largitatis occultat. Sæpè inordinata remissio pietas creditur, et effrenata ira spiritalis zeli virtus æstimatur. Sæpè præcipitata actio velocitatis efficacia, atque agendi tarditas gravitatis consilium putatur. Unde necesse est ut Rector animarum, virtutes ac vitia vigilanti curâ discernat, ne aut cor tenacia occupet, et parcum se videri in dispensationibus exsultet : aut cùm effusè quid perditur, largum se quasi miserando glorietur : aut remittendo quod ferire debuit, ad æterna supplicia subditos pertrahat; aut immaniter feriendo quod delinquitur, ipse graviùs delinquat : aut hoc quod agi rectè ac graviter potuit, immaturè prævenions leviget; aut bonæ actionis meritum differendo, ad deteriora permutet.

Act. Eccles. Mediolan. CONCIL. PROVINC. I. *sub S. Carolo, Part.* 2. *Quæ pertinet ad Sacrament. Pœnit. adm.* Qui Parochialem Ecclesiam non obtinent, etiamsi regulares fuerint, confessiones ne audiant, quemadmodum statuit Tridentina Synodus, nisi Episcopi scripto approbati fuerint : qui contra fecerit, excommunicationis pœnam subeat....

In iis probandis hanc rationem habeant Episcopi, ut pii, benè morati, docti, prudentes, patientes, de animarum salute solliciti, et fideles custodes sint eorum, quæ in confessione dicuntur; provectâ etiam ætate, præsertim illi, quibus confessiones mulierum erunt audiendæ.

Part. 4. *in instruct. Pœnitent.* Animadvertet Parochus, et Confessarius, ne, dum hoc sacramento vulneribus aliorum medetur, ipse telo peccati se configat. Quamobrem caveat, ne mortifero peccato inquinatus, ad sacramenti ministrationem accedat; neque enim censurâ Ecclesiasticâ, aut alio canonico impedimento irretitus. Immò verò ita sanctè vivere studeat, ut pœnitentes non verbis solùm, sed exemplis quoque ad virtutum Christianarum officia erudire possit : neque ejus dicta à factis ullo modo dissentiant; quantò enim magis omni virtute, præcipuèque charitate paternâ, zeloque salutis animarum ipse præcellentior erit, tantò aptiùs erit instrumentum bonitatis Dei.... Quoniam confessionis minister, judicis, et medici simul personam gerit : ut et quod ad judicem attinet, ex variis peccatorum generibus, quæ gravia, quæ levia sint, quove modo corrigenda, pro cujusque hominis ordine et gênere judicare possit : et tanquam medicus ea remedia ægroto adhibeat, quæ ad illius animam sanandam, et in posterum contra vim morbi muniendam aptiora videantur : opus est, ut is tum scientiam atque eruditionem, tum prudentiam studeat sibi, quantam potest, comparare; tum ex divina gratia, quam assiduâ precatione supplex à Deo petat; tum ex auctoribus probatis, qui eam materiam piè, plenèque tractarunt.

In Instruct. Confessorum, pag. 656. Confessor imprimis caveat, ne verbis, aut quibuscunque signis pœnitentem connotet, aut peccatum, aliudque, unde noxæ particeps cognoscatur; nec denique quidquam loquatur, unde vel minimum peccatum, ex confessione innolescat. Quare juvat ut cum aliis de auditis in confessione nunquam loquatur. Quòd si loqui cum pœnitente necessum sit petitâ ab ipso licentiâ, tum eâdem secreti religione ac in confessione se teneri noverit.

Petr. Blesensis, *lib. de Pœnitent. vel satisfact.* ad *H'*. Nimia tui rigoris austeritas quam exerces in tuorum confessionibus fratrum, sicut dicitur ex eorum querela communi, enormium generat materiam scandalorum. Susceptos enim ad pœnitentiale remedium, post confessionem publicè dehonestas. Nam, licèt infirmitates eorum verbo non publices, quadam tamen superciliosâ et notabili despectione opinionem eorum apud alios sinistrâ suspicione contaminas. Novisti quàm gravi animadversione plectatur trangressio Sacerdotis peccata sibi confitentium revelantis. Nec multum interest utrum voce vel signo, vel quodam vultuoso contemptu, ut aliàs nimiâ severitate satisfactionis secreta conscientiæ alienæ vulgentur. Tales equidem canonica censura deponit, ac depositos perpetuò et ignominiosè peregrinationi addicit. Sicut scribit B. Gregorius, (1. *Part. Pastor. Curæ, cap.* 1.) *Ars est artium regimen animarum.* Spiritualis ergo medicus in recipienda confessione multâ cautelâ utatur. Oportet enim, sicut in Pœnitentiali Romano docemur, ut Sacerdos in multa mansuetudine et benignitate suscipiat pœnitentem. Oret imprimis pro eo, nec se peccatorem profiteri dubitet, ut ad compunctionem provocet pœnitentis affectum proprio humilitatis exemplo. Nullum omninò despiciat peccatorem, quia sicut B. Hieronymus scribit : « Ille » nullum despicit peccatorem, qui peccatores redimere venit. *Et adjun-* » *git :* si pœnitens post confessionem contemnitur à Prælato, facilè in » desperationis foveam detruditur : quod quidem peccatum adeò damnabile est, ut Deum ad iram provocet, nec veniam mereatur. » Sicut ergo confitenti necessaria est humilis et sincera devotio, sic Pœnitentiali, id est, Sacerdoti necesaria est diligens et circumspecta discretio, ut discernat inter *lepram et lepram* (*Deut.* XVII. 8.) ut habeat in se tria, bonitatem, scientiam, disciplinam : bonitatem in sanctitate, scientiam in eruditione, disciplinam in correctione. Hæc tria quidam postulabat dicens : *Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me.* (*Ps.* CXVIII. 66.) Sit Samaritanus *infundens oleum* misericordiæ, *vinumque* justitiæ. (*Luc.* X. 34.) Habeat conscientia ejus, quasi arca fœderis, manna et virgam, (*Hebr.* IX. 4. *etc.*) ut sciat compati et ignoscere, arguere et monere. Gaudeat de primitivis fructibus pœnitentis, sicut bonus agricola compatiatur infirmo, dubiumque confortet recolens illud Apostoli : *Quis infirmatur, et ego non infirmor?* (2. *Cor.* XI. 29.) Et audiens tentationes illius, suam infirmitatem cogitans, apud se dicat : Si in tanta tentatione fuissem, graviùs cecidissem. Nihil dicatur aut fiat cum indignatione et ira. *Ira enim viri justitiam Dei non operatur.* (*Jacob.* I. 20.) Medium autem teneat, ne nimia remissio, vel nimia austeritas sit in eo, certumque pœnitentiis modum, juxta sanctorum Patrum instituta præscribat. Beatus enim Gregorius falsas pœnitentias vocat, quæ non secundùm auctoritatem sanctorum, et pro qualitate criminum imponuntur. (*Greg. in c.* XV. *Lib.* 1. *Reg. et Hom.* 26. *in Evang.*) Sunt equidem, qui peccatis gravibus leves et inusitatos injungunt pœnitentiæ modos, *consuentes*, juxta verbum Prophetæ, *pulvillos sub omni cubito manûs, et cervicalia sub capite universæ ætatis.* (*Ezech.* XIII. 18.) Hieronymus super Danielem : *Quamobrem consilium meum placeat tibi, peccata tua eleemosynis redime, si forte ignoscat tibi Deus.* (*Dan.* IV. 24.) Cùm beatus Daniel præscius futurorum de sententia Dei dubitet, rem temerariam faciunt, qui audacter veniam peccantibus pollicentur. Isidorus de summo bono. (*Lib.* 3. *cap.* 13.) « Sunt qui pœnitentibus securitatem citò pollicentur, quibus benè per » Prophetam dicitur ; *Curabant contritionem filiæ populi mei cum ignomi-* » *nia, dicentes : Pax, pax ; et non est pax.* (*Jer.* VI. 14.) Cum ignominia, » inquit, curant contritionem, qui citò pœnitenti promittunt securitatem. » Sunt qui austeritate jugum Domini suave exasperant, et onus ejus leve aggravant, *alligantes onera importabilia, digito autem suo nolunt ea movere.* (*Matth.* XXIII. 4.) Isti sunt, qui contra præceptum legis infirmo fratri commodant ad usuram : usura enim est, quidquid satisfactionis supra debitum regulare injungis. (*Exod.* XXII. 25. *et Levit.* XXV. 35. 36.) Isti exercent zelum justitiæ in fermento, et non in azymo, ut iracundiæ satisfaciant, non ut Christo fructificent. De talibus scriptum est : *Concupiscentia spadonis devirginavit juvenculam, ita et qui per vim judicium facit.* (*Eccli.* XX. 2. *et* 3.) Anima siquidem pœnitentis scandalizata cor-

rumpitur, nec ex correctione illa fructus justitiæ generatur. De talibus dicit Dominus per Prophetam : *Mortificabant animas, quæ non moriuntur, et vivificabant animas, quæ non vivunt.* (*Ezech.* XIII. 19.) Ad Pastores perversos dicit Dominus per Prophetam : *Vos cum austeritate imperabatis eis.* (*Ezech.* XXXIV. 4.) Sed juxta verbum Sapientiæ : *Horrendè et citò judicium his, qui præsunt, fiet.* (*Sap.* VI. 6.) Recta igitur et sine animi turbatione oportet esse judicia, sicut Eliu in libro Job dicit : *Non te supprimat ira, ut aliquem opprimas.* (*Job.* XXXVI. 18.)

GUILL. PARIS. *de sacr. Pœnit. cap.* 21. Post hæc nominabimus, et numerabimus officia Confessoris. Horum ergo omnium primum, atque præcipuum est officium sanctificationis. Ex quo officio quò ad absolutionem et benedictionem ipsius, divinique nominis invocationem vincula peccatorum disrumpuntur in cordibus pœnitentium, maculæ absterguntur, gratiæ infunduntur, veniæ, et remissiones pœnarum gehennalium, et etiam pœnitentialium de divinæ largitatis munificentia tribuuntur. Propter hoc maximè congruit eidem, ut sanctus ipse, et immaculatus sit, cujus ministerio, et per quem pœnitentes, et confitentes sanctificari et sperant, et quærunt. Congruit etiam, ut in loco sacro, si fieri potest, et sacrâ stolâ ornatus confessiones audiat, propter reverentiam, et sanctitatem sancti ministerii, ut devotionem aut augeat, aut excitet confitentibus. Ex isto officio incumbit eidem longè facere pœnitentes non solùm ab exsecrationibus peccatorum; sed etiam à mundo, et de his quæ mundi sunt; Deoque illos proximos facere, et inseparabiliter adhærentes, et quoties potest, quæ illorum sunt, in honorem et obsequium ejus convertere. Secundum officium est officium judicandi, ex quo incumbit ei, ut sciat singulorum terminorum justitiationes; et ipsa crimina ab invicem dignoscere, atque distinguere, videlicet, ut sciat exurendum esse apostatam spiritualem, mactandum esse Domino sacrilegum, exhæredandum esse cum tota posteritate reum majestatis, lapidandum esse adulterum, et suspendendum, seu crucifigendum latronem, submergendum esse piratam, vexandum illusionibus ac contumeliis alieni honoris raptorem, refligandum esse servum fugitivum, et sepeliendum esse vivum proditorem. Apostatam autem spiritualem intelligimus omnem peccatorem Christianum, eò quòd post susceptum ritum Christianum, et participationem sacramentorum, à Deo recedens per mortale peccatum, Diabolo adhæret, factus servus ipsius; hunc exurendum diximus igne iræ sanctæ, quâ adversùs semetipsum excandescere debet, totusque conflagrari, donec apostasia hujusmodi in eo penitùs consumatur, vel igne tribulationis pœnitentialis, vel igne Spiritûs sancti, qui propriè charitas nuncupatur.... Tertium officium Confessoris, officium est pacifici inter Deum et pœnitentem mediatoris. Ex hoc autem officio incumbit ipsi primùm nosse modos, et vias, quibus pax reformari solet etiam apud homines inter se discordes, qui sunt septem in universo. Primùm est judicio, sicut legitur Proverb. (XXVI. 10.) *Judicium determinat causas.* Si quidem si pœnitens pareat in foro pœnitentiali, et judicio illius stet secundùm omnes partes illius judicii, quas in præcedentibus nominavimus, et numeravimus, pacem habebit cum Deo; nihil enim ultra id, quod jure Deo adjudicandum est, à pœnitente requirere potest. In quibus omnibus primum est, ut Deo possessionem fundi, quo ipsum pœnitens iniquissimè spoliavit, restituat : fundus autem iste ipsemet pœnitens est. Secundò, ut de fructibus in medio, hoc est, toto peccati tempore, amissis, ante ingressum litis, Deo per cautionem, sive satisfactionem, cùm aliàs non possit, satisfiat. Hæc autem cautio intelligenda est firmitas boni propositi, non votum, non juramentum, nec etiam promissio simplex; nullum enim horum trium exigendum est à pœnitente, ne fiant laqueus majoris ruinæ.... Secundus modus reformationis pacis, dicitur vulgariter legitima inquisitio, per quam jure utriusque partis litigantium consistit, ubi utramque partem eo contentam esse oportet, quod per inquisitionem ad eam pertinere inventum fuerit : sic inter Deum, et pœnitentem, inquisitione de utriusque jure per fidelem, ac veridicam attestationem ipsius pœnitentis diligentissimè factâ, nihil ampliùs sibi vendicet pœnitens, quàm quod eidem inquisitio donaverit, hoc est, solam confusionem in facie, solamque culpam, atque

pœnam culpæ debitam, et generaliter omnia bona Deo tribuat, sibi mala, sicut legitur Daniel (IX. 7.) *Nobis confusio faciei, tibi autem domino Deo nostro misericordia et propitiatio.* Nihil enim ampliùs ad se pertinere miser peccator inveniet, per arctissimam examinantissimamque inquisitionem, quàm culpam, et pœnam meritam, quibus si contentus esse voluerit, et in omnibus Dei bonis nihil se prorsùs juris habere recognoscens, ea Deo dimiserit, nullum de cætero, nisi de mandato ejus, aut beneplacito usurpaturus, pacem habet cum Deo; vel jure suo contentus, et jus divinum, quantum est de proposito ejus et voluntate, non invasuris. Tertius modus reformandæ pacis dicitur per consensum, sive corde ad cor: fit autem pax per hanc viam inter pœnitentem et Deum, cùm pœnitens ad consentiendum divinæ voluntati inducitur, videlicet ut facere velit, sive consentiat pro recuperanda Dei pace et amore, quod eum facere sciverit divinæ beneplacitum voluntatis. Confessoris autem est nosse in parte voluntatem divinam, hoc est, quam satisfactionem ab unoquoque pœnitente pro peccatis Deus gratam habeat, et acceptam. Quartus modus est arbitrio complacito per quem pax inter pœnitentem, et Deum reformatur, quoties pœnitens arbitrio, hoc est, beneplacito Confessoris omninò se subdit, committit et tradit: prudentis enim ac fidelis Confessoris voluntati et beneplacito causas, quas adversùs eum habet, Deus similiter commisit et ut ita dicamus, in ejus beneplacitum irritabiliter ac irrevocabiliter compromisit, sigillique proprii appensione, hoc est, Filii proprii suspensione, qui est figura, et character substantiæ suæ ex primo ad Hebræos, ac litteris Evangelicis compromissionem formavit, Matth. XVI. *Quodcunque ligaveris, quodcunque solveris.* Quintus modus est tradere, sive reddere miserationem ejus, contra quem peccatum est, seu delictum. Sic pœnitens Deo pacificatur, cùm beneplacito divinæ miserationis omninò se tradit. Sextus modus dono, vel pretio, interdum enim projicit quis pecuniam, ut redimat sibi pacem, quoniam pax fit inter Deum et pœnitentem, et cùm ipse pœnitens de consilio Confessoris, aliquid eorum, quæ voti sunt, Domino Deo offert, dat, sicut est ingressus religionis, assumpsio Hierosolymitanæ peregrinationis, et hujusmodi alia, quæ dona ideò vocamus, quia gratuitò, et non ex debito offeruntur. Quæ verò mandatorum sunt, sive in præcepto, non dona, sed reddita sunt dicenda. Septimus modus est victoria, quæ interdùm bellis finem pacis imponit, et inimicos in subditos et servos convertit. Sic interdùm vincit Deus pœnitentes, aut beneficiis, aut flagellis, aut simul utriusque, ita ut rebellare adversùs eum de cætero non velint, quin potiùs Deo serviant subjugati. Ad pacem verò pœnitentes inducere urgentissimum, ac efficacissimum est eisdem ostendere quantâ instantiâ per legatos suos, Doctores scilicet et Prædicatores rogare non cessat ea, quæ pacis sunt, ac si rebellione nostrâ vinci formidaret, ac si de nobis vindicare non posset; nec rogare solùm contentus est, sed etiam redimere, et emere toto pretio divitiarum cœlestium, et regni sui. In tantam autem insolentiam, immò dementiam nonnulli peccatorum abalienati sunt, ut nec verbum de pace ista, hoc est, sacras exhortationes audire dignentur. Et attende quòd omnes isti modi pacificationum re unum sunt, facicbus atque respectibus diversi. Quartum officium Confessoris est officium medici, sive medicantis, ex quo etiam convenit ei nosse distinctionem, et diversitatem pulsuum, id est, motuum cordis, qui sunt desideria; ejus enim est nosse, si desiderium revertendi ad Deum in pœnitente forte est, ac validum; si vitalis calor, hoc est, vivificatio, et dilecti, quæ Deus est, fortis est in eo, aut debilis; si sudor lacrymarum multus, an paucus, si universalis, hoc est, omnia membra lavans, omnibusque superfluens, ac superinundans, ut pro omnium membrorum malè administratis officiis fluat, quod est, cùm ipse pœnitens luget sigillatim peccata, quæ oculis perpetravit, quæ auribus, et ita de aliis membris. Ampliùs: si ipse sudor fortis fuerit, ut causam et radicem morbi spiritualis expulerit, ita ut nullum ejus vestigium in corde pœnitentis remanserit. Postmodum incumbit ei scire de ipsa satisfactione, quæ dicta debet esse, et medicina pariter pœnitentis, de quo aliquid suprà diximus. Quintum officium Confessoris est officium obstetricis, de quo Job (XXVI. 13.) *obstetricante manu Dei eductus est coluber*

I. Quid facto opus ut talis habeatur Confessarius?

R. Petendus est et accipietur, quærendus est et invenietur. Sed eâ mente postulandus à Domino, ut agatur ex animo pœnitentia. (D)

tortuosus. Hebrææ si quidem *mulieres obstetricandi habent scientiam :* sicut legitur Exod. (I. 19.) Hæ mulieres intelliguntur Confessores propter familiaritatem, per quam secretissima absconditissimorum peccatorum eisdem creduntur, ac revelantur, sicut obstetricibus parientes mulieres ea, quæ maximè erubescunt, maximèque abscondita esse volunt, detegunt, et committunt. Secundò propter suavitatem contrectandi et educendi partum lenellum. Tertiò propter insitam mulieribus benignitatis, et compassionis dulcedinem. Hîc ergo totâ vigilantiâ studendum est Confessoribus, ut cautissima sit eorum suavitas, suavissimaque cautela in educendis horrendissimorum peccatorum monstris in lucem confessionis, et præcipuè ignominiæ passionibus, id est, extraordinariis peccatis carnis, et generaliter omnibus illis, quæ maximè erubescentiâ, et confusione ora pœnitentium obstruunt, et per confessionem ea egredi non sinunt. Sextum officium est amantissimi patris : sic enim excipiendus est pœnitens à Confessore, ut ab amantissimo patre filius recidivus, hoc est, toto gaudio, et aggratulatione, toto applausu, atque festivitate : sic enim illum recipit Pater misericordiarum, quemadmodum legitur Lucæ (XV. 20. *et seq.*) de filio prodigo revertente. Septimum officium est matris dilectæ, et munusculis parvulo blandientis, et ad bona quælibet invitantis. De hoc Osee, (II. 14.) *Lactabo eum, et adducam in solitudinem :* Et iterùm Isai. (LXVI. 12. 13.) *Ad ubera portabimini, et superblandietur vobis, quomodò sicut mater blandiatur filio, ita ego consolabor vos.*

CONCIL. LATER. IV. *ann.* 1215. *can.* 21. Caveat autem omninò, ne verbo, vel signo, vel alio quovis modo prodat aliquatenùs peccatorem : sed si prudenti consilio indiguerit, illud absque ulla expressione personæ cautè requirat: quoniam qui pèccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solùm à Sacerdotali officio deponendum decernimus, verùm etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam, in arctum monasterium detrudendum.

(D) ORIGENES, *Homil.* 2. *in Psal.* XXXVII. Circumspice diligentiùs cui debeas confiteri peccatum tuum, proba priùs medicum, cui debeas causam languoris exponere, qui sciat infirmari cum infirmante, flere cum flente (*Rom.* XII. 15.), qui condolendi et compatiendi noverit disciplinam : ut ita demùm si quid ille dixerit, qui se priùs et eruditum medicum ostenderit et misericordem, si quid consilii dederit, facias et sequaris.

CATECH. CONCIL. TRIDENT. *Part.* 2. *de sacram. Pœnit.* §. 73. Cuivis maximo studio curandum est, ut eum sibi Sacerdotem deligat, quem vitæ integritas, doctrina, prudens judicium commendet, qui et quantum in eo officio, cui præest, ponderis ac momenti sit, et quæ cuique sceleri pœna conveniat, et qui solvendi vel ligandi sint, optimè noverit.

S. FRANÇOIS DE SALES, *Vie dévote, chap.* 4. Le jeune Tobie commandé d'aller en Rages: Je ne sais nullement le chemin, dit-il. Va donc, repliqua le père, et cherche quelque homme qui te conduise. Je vous en dis de même, ma Philothée, voulez-vous à bon escient vous acheminer à la dévotion ? Cherchez quelque homme de bien qui vous guide et vous conduise.

C'est ici l'avertissement des avertissemens : quoi que vous cherchiez, dit le dévot Avila, vous ne trouverez jamais si assurément la volonté de Dieu, que par le chemin de cette humble obéissance tant recommandée et pratiquée par tous les anciens dévots.... Et voici l'un des avis que le grand saint Louis fit à son fils avant que de mourir : Confesse-toi souvent, élis un Confesseur idoine, qui soit preud'homme, et qui te puisse sûrement enseigner à faire les choses qui te sont nécessaires.

L'ami fidèle, dit l'Ecriture Sainte, est une forte protection : celui qui l'a trouvé, a trouvé un trésor. L'ami fidèle est un médicament de vie et d'immortalité : ceux qui craignent Dieu, le trouvent. Ces divines paroles regardent principalement l'immortalité, comme vous voyez, pour laquelle il faut sur toutes choses avoir cet ami fidèle, qui guide nos actions

par ses avis et conseils, et par ce moyen nous garantir des embûches et tromperies du malin ; il nous sera comme un trésor de sapience en nos afflictions, tristesses et chutes : il nous servira de médicament, pour alléger et consoler nos cœurs ès maladies spirituelles ; il nous gardera du mal, et rendra notre bien meilleur ; et quand il nous arrivera quelque infirmité, il empêchera qu'elle ne soit à la mort, car il nous en relèvera.

Mais qui trouvera cet ami ? Le Sage répond, Ceux qui craignent Dieu, c'est-à-dire les humbles, qui désirent fort leur avancement spirituel. Puisqu'il vous importe tant, Philothée, d'aller avec une bonne guide en ce saint voyage de dévotion ; priez Dieu avec une grande instance, qu'il vous en fournisse d'une qui soit selon son cœur : et ne doutez point ; car quand il devrait envoyer un ange du Ciel, comme il fit au jeune Tobie, il vous en donnera une bonne et fidèle.

Or ce doit toujours être un Ange pour vous : c'est-à-dire, quand vous l'aurez trouvée, ne la considérez pas comme un simple homme, et ne vous confiez point en icelle, ni en son savoir humain ; mais en Dieu, lequel vous favorisera, et parlera par l'entremise de cet homme, mettant dedans le cœur et dedans la bouche d'icelui, ce qui sera requis pour votre bonheur : si que vous le devez écouter comme un Ange qui descend du Ciel pour vous y mener. Traitez avec lui à cœur ouvert, en toute sincérité et fidélité, lui manifestant clairement votre bien et votre mal, sans feintise, ni dissimulation : et par ce moyen votre bien sera examiné et plus assuré, et votre mal sera corrigé et remédié ; vous en serez allégée et fortifiée en vos afflictions ; modérée et réglée en vos consolations : ayez en lui une extrême confiance mêlée d'une sacrée révérence, en sorte que la révérence ne diminue point la confiance, et que la confiance n'empêche point la révérence ; confiez-vous en lui avec le respect d'une fille envers son père ; respectez-le avec la confiance d'un fils envers sa mère. Bref, cette amitié doit être forte et douce ; toute sainte, toute sacrée, toute divine, et toute spirituelle.

Et pour cela choisissez-en un entre mille, dit Avila ; et moi je dis entre dix mille : car il s'en trouve moins que l'on ne saurait dire, qui soient capables de cet office : il le faut plein de charité, de science et de prudence : si l'une de ces trois parties lui manque, il y a du danger : mais je vous dis derechef, demandez-le à Dieu, et l'ayant obtenu, bénissez sa divine Majesté, demeurez ferme et n'en cherchez point d'autres ; ainsi allez simplement, humblement, et confidemment ; car vous ferez un très-heureux voyage.

D'Avila, *Avis pour vivre d'une manière Chrét. n.* 9. Quant à ce qui regarde le fond de notre conscience, il faut choisir pour directeur et pour guide quelque Prêtre savant et expérimenté dans les choses de Dieu, étant nécessaire, pour ne se point tromper, que ces deux qualités se rencontrent ensemble. Que si après avoir instamment demandé à Dieu de nous le donner, il nous accorde cette grâce, nous devons prendre une grande confiance en lui sans lui rien cacher de ce qui se passe en nous, afin qu'en ayant une entière connaissance il nous fortifie par ses conseils dans ce que nous ferons de bien, et nous corrige dans ce que nous ferons de mal. Il ne faut rien faire d'important sans son conseil : et nous devons être persuadés que l'obéissance étant une vertu si agréable à Dieu, il lui mettra dans le cœur et dans la bouche ce qui sera nécessaire pour notre salut. C'est le moyen d'éviter de tomber dans l'une ou l'autre de ces deux extrémités : l'une de ceux qui disent n'avoir point besoin du conseil des hommes, parce que Dieu lui-même les conduit, et que cela leur doit suffire ; et l'autre de ceux qui suivent si aveuglément les conseils des hommes sans rapport à Dieu, qu'ils tombent dans cette malédiction prononcée par un Prophète : *Maudit soit l'homme qui se confie entièrement en l'homme.* (*Jer.* xvii. 5.) Car l'on évite le premier de ces deux périls, en se mettant sous la conduite d'un homme : Et on se garantit du second, en ne mettant pas sa confiance dans sa sagesse et sa conduite, mais en Dieu qui nous parle et nous conduit par son entremise. Nul autre chemin n'est sans doute plus assuré pour accomplir la volonté de Dieu que cette humble obéissance, si recommandée par tous les saints et si pratiquée par eux, comme les vies des saints Pères des déserts nous le font

I. Quid facto opus si fortè talis Confessor haberi nequeat, ut usuvenit non rarò illis qui ruri vitam agunt ?

R. Tunc faciendâ peccatorum confessio Sacerdoti qui præstò est quisquis ille sit, modò necessariam habeat jurisdictionem vel approbationem : sed simul orandus Dominus vehementer, ut ipse dux noster sit, detque nobis tandem Pastorem juxta cor suum. Denique seriò discenda et meditanda præcepta Evangelica ; legendi libri qui tradunt christianæ vitæ regulas, ut mores nostros ad isthæc præcepta Deo duce componamus. (E)

I. Quid facto opus si Dominus tandem concessit Pastorem et Ducem juxta cor suum ?

voir. Mais parce qu'il est fort difficile de trouver de si excellens directeurs, si Dieu nous fait la grâce d'en rencontrer un entre mille, il faut, sans mal juger des autres ni les blâmer, lui obéir en son nom avec une grande humilité.

Traité du lang. de la chair, chap. 8. Une Epouse de Jésus-Christ, et particulièrement si elle est encore jeune, ne saurait trop prendre garde à bien choisir un Confesseur. Il faut que sa vie et ses mœurs soient irréprochables, et qu'il soit en bonne réputation et assez âgé. Par ce moyen votre conscience sera en repos devant Dieu, et votre réputation sans tache devant les hommes, qui sont deux choses nécessaires pour répondre à la pureté d'un état aussi parfait que doit être celui d'une vierge.

Lorsque vous aurez trouvé un Confesseur tel que je viens de le dire, rendez-en grâces à Notre-Seigneur : obéissez lui : aimez-le, et considérez-le comme un présent que vous avez reçu de sa main.

Traité des fausses révélat. chap. 55. Vous devez de même en ce qui regarde votre conscience vous défier de vous. Je ne prétends pas néanmoins que vous vous confiiez indifféremment à qui que ce soit ; mais il faut que vous choisissiez pour guide et pour directeur un homme savant et expérimenté dans les choses de Dieu. Car la science ne suffit pas : elle doit être accompagnée de l'expérience, pour savoir de quelle sorte on se doit conduire dans la prospérité, l'adversité, la tentation, et les autres choses qui arrivent à ceux qui embrassent la vie spirituelle.... C'est à ceux-là, ma fille, que vous pouvez vous confier, quoiqu'ils ne soient pas fort savans, puisque leur expérience suffit pour bien conseiller ceux qui veillent avec attention sur eux-mêmes. Ainsi comme cela vous importe de tout, demandez instamment à Notre-Seigneur de vous donner un de ces sages directeurs. Que s'il vous accorde cette grâce, confiez-vous en lui sans rien craindre, et ne lui cachez rien de tout ce que vous ferez de bien ou de mal, afin qu'il puisse par ses avis vous fortifier dans l'un et vous corriger de l'autre. Ne faites rien d'important sans son conseil, et assurez-vous que Dieu, à qui l'obéissance est si agréable, lui mettra dans l'esprit et dans le cœur les sentimens nécessaires pour vous bien conduire. Par ce moyen vous éviterez de tomber dans deux très grandes fautes ; l'une de ceux qui disent qu'ils n'ont point besoin du conseil des hommes, parce que Dieu lui-même les conduit, et que cela leur doit suffire : l'autre de ceux qui suivant entièrement l'avis des hommes, en tant qu'hommes, tombent dans la malédiction prononcée par un Prophète : *Maudit soit l'homme qui se confie en l'homme.* (*Jer.* XVII. 5.) Vous vous garantirez du premier de ces deux dangers en vous assujettissant à un homme ; et vous éviterez le second en ne vous confiant ni en sa science ni en sa sagesse, mais seulement en Dieu, qui vous instruira par son moyen de ce que vous aurez à faire.

(E) *Lege ea de re Librum cui titulus, Director spiritualis eorum qui Directorem non habent :* Le Directeur spirituel pour ceux qui n'en ont point: *et Instructionem de administratione sacramenti Pœnitentiæ :* Instruction sur l'administration du sacrement de Pénitence, *Paris, Simart.*

R. Agendæ gratiæ Deo, et Pastoris illius seu spiritualis medici monitis et præceptis obtemperandum omninò. (F)

§. 8. De prævio Examine conscientiæ ad Confessionem necessario.

I. Quid facto opus ut ad confessionem ritè faciendam nos disponamus?

R. Sedulò discutienda conscientia (A), ut ipsi habito nobiscum diligenti hoc examine, possimus peccata nostra Sacerdoti omnia et singula, quantùm in nobis est, declarare.

I. Estne necessaria prorsùs illa discussio?

R. Tanta est ejus necessitas, ut si quis fortè prætermissà per negligentiam hâc conscientiæ discussione, declarationem vel unius peccati mortalis omitteret, cujus potuisset haberi facilè recordatio adhibito diligenti examine; hujus nulla et sacrilega foret confessio. (B) Sed cave ne propterea nimiam

(F) S. Carol. *Eccles. Mediol. Actor. part.* 4. *Instruct. Confess. pag.* 647. Si aliqui sine causa Confessorem ordinarium, ipsi ad animæ salutem admodum utilem cognitum, reliquerint; quo poterit modo ad eumdem remittantur; et in eorum negligentiam Confessor insectabitur, qui pro Confessore virum spiritualem et peritum non solent eligere, aut qui damno suo frequenter adeò mutant... Nam sicut medici, qui naturam, et infirmorum temperamentum, ex praxi norunt, utpote remediorum ad infirmitatem curandam magis utilium peritiores, facilè non mutantur; sic etiam nec pœnitentes suum debent dimittere spiritualem medicum, qui eorum animæ necessitatum periti, opportuniora magisque utilia remedia possunt eis assignare. Si tamen aliqua ex causa admittat aliquem, alteri probo Confessori confiteri solitum, cum hujus participatione id fieri juvat: vel pœnitens, ab eo licentiam priùs obtinuerit, efficiat.

(A) S. Joan. Chrysost. *Homil.* 2. *in Psal.* 1. Ecce, habes codicem, ubi scribas quotidianum expensum: habeto codicem conscientiam tuam, et scribe quotidiana peccata. Quando accubueris super stratum tuum, et neminem infestum pateris, antequam veniat tibi somnus, profer in medium codicem conscientiam tuam, et reminiscere peccata tua, si quid in verbo, seu in facto, vel in cogitatione peccasti: hoc enim dicit Propheta: *irascimini, et nolite peccare: quæ dicitis in cordibus vestris, et in cubilibus vestris compungimini.* (*Psal.* IV. 5.) Per diem non habuisti tempus, sed obseruisti judicio tuo, et injunctum negotium, et confabulatio amicorum, et domestica necessitas, filiorum cura, et uxoris sollicitudo, et militiæ timor, et cæterarum mille te rerum circumdederunt causæ. Quando in lectulum tuum veneris, ut sopori membra concedas ad tranquillum portum, nemo tibi molestus est, nemo pulsat, dicito in corde tuo et in anima tua: Expendimus diem, ô anima: quid boni fecimus; aut quid mali operati sumus? Et si quid boni fecisti, gratias age Deo: si quid mali, de cætero ne facias. Et reminiscens peccatorum tuorum effunde lacrymas, et poteris in lectulo tuo positus ea delere. Roga Deum tuum, et sic permitte animam tuam soporari. Confessus peccata tua, facito tibimetipsi rationem, et ora misericordiam Dei et invenies requiem. Quid grave, aut quid molestum est, positum in lecto quotidiana delere peccata? Cùm reputare tibi cœperis, tanquam in equuleo suspende cogitationes tuas, et ungulâ timoris Dei radito eas. Propone tibi timorem gehennæ, superducito ei secturæ ictum non habentem dolorem. Judicium facito tibimetipsi terribile, leviorem præpara confessionem cogitatuum tuorum, ut non in futuro die ignavior sis ad perscrutanda peccata.

(B) Catech. Concil. Trident. *part.* 2. *Tital. de sacram. Pœnit.* §. 66. In quo tamen animadvertendum est, ne fortè nimis dissolutè, et remissè conscientiam nostram scrutati simus, adeoque negligenter peccata admissa memoriâ repetere studuerimus, ut ea né recordari quidem voluisse meritò videri possimus; id enim si factum fuerit, confessionem iterare omninò oportebit.

in explorandis conscientiæ latebris religionem adhibeas. Sufficit enim hìc talem adhibuisse diligentiam qualis adhiberi solet in rebus magni momenti. Magis minusve temporis in ea discussione ponendum est pro minori vel majori singulorum indigentia : consulendus ea de re Confessarius : videndum ne quid nimis. Neque enim confessio conscientiarum carnificina est, ut temerè et impiè dixerunt Hæretici. (C)

I. Quâ ratione ritè fieri potest illa conscientiæ discussio?

R. 1. Implorandum auxilium Spiritûs sancti, ut illo afflante examen hoc ritè fiat.

2. Revocanda sunt in mentem peccata capitalia, Præcepta Dei, et Ecclesiæ, Præcepta Evangelica, officia omnia vitæ Christianæ, revocandæ virtutes omnes. Neque solùm in genere isthæc animo revolvere satis est ; attendendum est prætereà ad ea quæ spectant ad statûs et conditionis uniuscujusque rationem, quid Deus à nobis specialiùs exigat, quæ sint vitia nobis familiariora, quibus rebus maximè propendeamus. Quid in his omnibus et singulis à nobis peccatum sit sedulò investigandum. Cùm enim omnia et singula detegenda sint Sacerdoti, videndum diligenter, quantûm humana fragilitas nosse sinit, quid in singulis peccaverimus.

3. Ut autem habeatur faciliùs peccatorum omnium et singulorum recordatio, notandum quibus in locis fuerimus, quorum usi simus consuetudine et consortio, quid muneris exercuerimus, quæ negotia tractaverimus, quæ sint nobis affectiones animi, quid placere, quid displicere soleat, etc.

4. In eâ discussione habenda ratio peccatorum quæ cogitatione, verbo, opere, omissione commissa sunt : attingendus quantùm fieri potest singulorum lethalium numerus : attendendæ circumstantiæ quæ gravitatem cujuslibet peccati vel augent vel minuunt : investigandæ peccatorum causæ, videndum quâ occasione singula commissa sint, quid indè secutum sit quod vel ad nos vel ad proximos spectet. Si diligenti hâc discussione *nosmetipsos dijudicaverimus*, *non utique judicabimur* à Domino condemnandi, ut innuit Apostolus. (1. *Cor.* II. 31.) (D)

CONCIL. TRIDENT. *Sess.* 14. *cap.* 5. Itaque dum omnia, quæ memoriæ occurrunt, peccata Christi fideles confiteri student, procul dubio omnia divinæ misericordiæ ignoscenda exponunt : qui verò secùs faciunt, et scienter aliqua retinent, nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt. Si enim erubescat ægrotus vulnus medico detegere, quod ignorat medicina non curat.

(C) CATECH. CONCIL. TRIDENT. *part.* 2. *titul. de sacram. Pœnit.* §. 65. At verò, si alia de causa confessioni aliquid defuisse videatur : vel quia conscientiæ suæ latebras non ita accuratè perquisiverit, cùm tamen illud in animo haberet, ut integrè peccata omnia confiteretur, nihil ei opus erit confessionem iterare : satis autem habebit, si quando peccata, quæ oblitus erat, in memoriam reduxerit, ea Sacerdoti alio tempore confiteri.

(D) S. CAROL. *Tom.* 1. *Act. Eccles. Mediol. part.* 4. *pag.* 430. *Instruct.*

I. Quid facto opus cùm absoluta fuerit diligens illa peccatorum et conscientiæ discussio ?

R. 1. Ex toto corde dolendum de peccatis quorum habetur conscientia.

2. Petenda suppliciter à Domino venia.

3. Incundum firmum non peccandi propositum.

4. Sedulò præcavendum ut non peccetur ampliùs, et providendum ut peccata hactenùs perpetrata expientur. (E)

§. 9. Qualis debeat esse Confessio ; ac primùm de illius integritate.

I. Qualis debet esse confessio peccatorum, ut ritè fiat Sacerdoti legitimo ?

R. Debet esse integra, humilis, simplex, prudens et secreta.

I. In quo posita est integritas confessionis ?

Pœnit. Quò diligentiùs (Pœnitens) conscientiam examinet, sibi proponet ob oculos Decalogum, ad cujus singula præcepta se, mores, vitamque suam accurate contemplabitur. Singulaque præcepta ita examinabit, ut perpendat, atque adeò videat sigillatim, si quæ contra unumquodque præceptum, vel cogitatione, vel verbo, vel opere admiserit, commiseritve : aut rursùs si quid eo omiserit. Aliud prætereà examen conscientiæ suæ inibit ex septem peccatis capitalibus singulis, quæ item aut cogitatione, aut verbo, aut opere commiserit, aut omissione etiam.

Instruct. Confessor. pag. 649. (Confessor) pro necessitate in conscientiæ examine pœnitenti sic opitulabitur, dicens quâ ratione peccata cum circumstantiis in memoriam possint revocari, animo scilicet vitam percurrendo, aut per ætates pueritiam, juventutem, et cætera. Vel per status varios, putà quomodo se gesserit ante matrimonium, aut post ipsum ; vel per varios prosperitatis, aut adversitatis, sanæ vel infirmæ valetudinis, casus, per temporum diversitates, per officia quæ administravit, societates quas frequentavit, loca, regiones, domos in quibus conversatus est, in his denique aliisque rebus nunc corde aut linguâ, aut opere peccaverit, examinet.

Pag. 650. (Confessor) cum ordine pœnitentem interrogando procedat, et à præceptis Dominicis incipiat, ad quæ licet omnia possint revocari ; iì tamen, qui rariùs ad Confessionem accedunt, super septem peccatis capitalibus, quinque sensuum usibus, Ecclesiæ præceptis, et misericordiæ operibus sunt examinandi. Confessor prudens esse debet non interrogando, nisi de peccatis pœnitentium statui communibus. Quod spectat ad carnis peccata, summam adhibeat cautelam in eorum interrogatione, ut cùm peccati speciem et circumstantias graviores audierit, à cæteris abstineat.

Rituale Paris. *ann.* 1697. *pag.* 111. Ut verò tam Sacerdos, quàm pœnitens ipse ad clariorem peccatorum cognitionem pervenire possit, hæc quatuor nosse proderit plurimùm :

1. Loca in quibus pœnitens habitavit ;
2. Personas cum quibus conversatur ;
3. Officia seu negotia in quibus exercetur ;
4. Vitia ad quæ magis est propensus.

Insuper et speciem et numerum et circumstantias peccatorum, cum intentione quâ quid factum est, exprimere necessarium erit.

(E) S. Carol. *Tom.* 1. *act. Eccles. Mediol. part.* 4. *pag.* 432. Quotidie, manè saltem vesperique ad præsidium orationis confugiat, ... et facto brevi conscientiæ suæ examine, à Deo totâ mente toloque corde petat misericordiam ac veniam erratorum suorum ; et lumen prætercà ac virtutem, quâ ipse adjutus rectè ambulet, atque adeò progrediatur in via mandatorum divinæ legis... Peccata verò, atque adeò omnem peccandi occasionem fugiat : hisque fugiendis (Confessor) ipse pœnitenti remedia salutaria demonstrabit.

R. In eo ut declarentur, 1. Omnia et singula peccata mortalia, quæ memoriæ occurrunt; 2. eorum numerus; 3. eorum variæ species; 4. circumstantiæ quæ gravitatem peccati multùm augent. (A)

(A) ORIGEN. *Homil.* 3. *in Levit. pag.* 70. *Si peccaverit*, inquit, *unum aliquid de istis, pronuntiet peccatum quod peccavit.* (*Levit.* 5. 1.) Est aliquod in hoc mirabile secretum, quod jubet pronuntiare peccatum. Etenim omni genere pronuntianda sunt, et in publicum proferenda cuncta quæ egerimus, si quod in occulto egerimus, si quod in sermone solo, vel etiam intra cogitationum secreta commisimus, cuncta necesse est publicari, cuncta proferri.

S. AUG. *Serm.* 351. *alias* 50. *inter Homil.* 50. *n.* 9. *Vide* 2. 2. *hujusce Cap. litt.* (B)

CONCIL. CABILON. II. *ann.* 813. *Can.* 32. Sed et hoc emendatione indigere perspeximus, quòd quidam dum confitentur peccata sua Sacerdotibus, non plenè id faciunt. Quia ergo constat hominem ex duabus esse substantiis, animâ videlicet et corpore, et interdum carnis fragilitate peccatur, solerti indagatione debent inquiri ipsa peccata, ut ex utrisque plena sit confessio: scilicet ut et ea confiteantur quæ per corpus gesta sunt, et ea quibus in sola cogitatione delinquitur. Instruendus est itaque peccatorum suorum Confessor, ut de octo principalibus vitiis sine quibus in hac vita difficilè vivitur, confessionem faciat: quia aut cogitatione aut quod est gravius opere eorum instinctu peccavit. Odium etenim, invidia, superbia, vel cæteræ hujusmodi animæ pestes tantò periculosiùs lædunt, quantò subtiliùs serpunt.

S. BERNARD. *Serm.* 40. *de divers. n.* 6. Post cognitionem sui, post pœnitentiam mentis, post dolorem cordis, sequitur confessio oris. In his omnibus *corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem.* (*Rom.* X. 10.) Sed et ipsa triplex est, si virtutem salutis assequitur. Debet enim esse vera, nuda et propria. Veritatem quærit altissimus: et ubi vult falli, qui fallere non intendit?... An tu veram illam putas esse confessionem; quam aut timor extorsit, aut simulatio fecit, cùm *Spiritus sanctus disciplinæ effugiat fictum* (*Sap.* 1. 5.), et gratuitam satisfactionem omnipotens quærat? Illa vera confessio est, quæ de mentis contritione descendens, nec timore cogitur, nec fictione palliatur; sed in spiritu contribulato profert ea quæ sentit. Nudam autem eam esse oportet, et totius absconsionis exutam velamine. Quid enim prodest partem peccatorum dicere, et partem celare: ex parte mundari, et ex parte immunditiæ deservire? Nunquid de uno eodemque vase dulce et amarum, sapidum et insipidum stillare potest? *Omnia nuda et aperta sunt oculis Dei:* (*Hebr.* IV. 13.) et tu illi aliquid abscondis, qui Dei locum in tanto obtinet sacramento? Ostende et denuda quæcunque cor tuum dilacerant: detege vulnus, ut sentias operam medicantis. In simplicitate cordis oportet te quærere Dominum, non in duplicitate: quia *væ illis qui loquuntur in corde et corde, et terram duabus viis ingrediuntur.* (*Eccli.* II. 14.) Debet autem esse et propria. Sunt enim plerique qui aliorum peccata cum magna gravitate numerant, et sociorum excessus multiformi declamatione loquuntur: nesciunt sua, aliena verò perpetuæ memoriæ commendaverunt. Infelices et miseri, quibus datum est aliena plangere, relinquere sua! An non legisti, quia *justus in principio sermonis accusator est sui?* (*Prov.* XVIII. 17.) *Sui*, dicit Scriptura, non alterius. Nunquid oblitus es Apostolum Jacobum dicentem: *Confitemini alterutrum peccata vestra?* (*Jacob.* V. 16.) *Vestra* dixit, non aliena. *Iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper.* (*Ps.* L. 5.) *Meum* dixit Propheta, non tuam.

CONCIL. TRIDENT. *Sess.* 14. *Can.* 7. Si quis dixerit, in sacramento pœnitentiæ, ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino, confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, et quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta, et circumstantias, quæ peccati speciem mutant: sed eam confessionem tantùm esse utilem ad erudiendum, et

I. Cur hæc omnia declaranda sunt ?

R. Ut Sacerdos rectè fungi possit officio medici et judicis, et causâ cognitâ judicet et de remediis congruentibus injungendis, et de pœnis pro modo criminum infligendis, et de sententia ritè pronuntianda.

I. Quid intelligis per varias peccati species ?

R. Intelligo eas circumstantias quæ peccati naturam mutant; verbi gratiâ, si quis furetur in Ecclesia, ad furti scelus sacrilegium addit ; si quis peccet cum conjunge propinqui sui, committit simul incestum et adulterium, quæ duæ sunt peccati species. (B)

I. Quid intelligis per circumstantias quæ gravitatem peccati multùm augent ?

R. Eas intelligo circumstantias, quæ in eadem peccati specie reddunt peccatum multò majus : verbi gratiâ, si quis mille aureos furetur, multò gravius peccat quàm si nummum unum furatus esset : si summam illam auri furatus sit à viro paupere, cui familia multa curanda est, multò atrocius crimen est quàm si prædiviti rapuisset.

I. Certumne est omninò circumstantias quæ peccati gravitatem augent esse in confessione declarandas, non secùs atque illas quæ peccati speciem mutant ?

R. Concilium Tridentinum expressè definivit, aperiendas esse in confessione circumstantias, quæ peccati speciem mutant; nihil de circumstantiis aggravantibus pronuntiavit ; sed ut probet circumstantias quæ speciem mutant esse aperiendas, eo utitur ratiocinio ex quo manifestè colligitur et circumstantias aggravantes esse declarandas ; sic enim loquitur sancta Synodus : (*Sect.* 14. *cap.* 5.) *Qui scienter aliqua retinent, nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt. Si enim erubescat ægrotus vulnus medico detegere, quod ignorat medicina non curat. Colligitur prætereà, etiam eas circumstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant : quòd sine illis peccata ipsa neque à pœnitentibus integrè exponantur, nec judicibus innotescant ; et fieri nequeat, ut de gravitate criminum rectè censere possint, et pœnam quam oportet, pro illis, pœnitentibus imponere.* Hactenùs Tridentina Synodus : ex cujus verbis manifestè eruitur circumstantias aggravantes esse in confessione pendendas. Alioqui pœnitens nec vulnus planè deteget medico, nec exponet omnem peccati malitiam et gravitatem, nec fieri poterit ut judex de gravitate criminum rectè censeat, et pœnam pro illis, pœnitentibus

consolandum pœnitentem, et olim observatam fuisse tantùm ad satisfactionem canonicam imponendam... anathema sit.

Ejusdem Sess. cap. 5. *Vide* §. *superiori litt.* (B) *et infrà in Responsione sequenti : deindè concludit S. Synodus.* Unde alienum à ratione est, docere circumstantias has ab hominibus otiosis excogitatas fuisse : aut unam tantùm circumstantiam confitendam esse, nempe peccasse in fratrem.

(B) Concil. Trident. *Sess.* 14. *cap.* 5. *et Can.* 7. *Vide suprà litt.* (A) *hocce* §.

imponat. His rationibus factum est ut et Catechismus qui Concilii Tridentini dicitur, et S. Carolus Mediolanensis Archiepiscopus docuerit illas circumstantias esse in confessione explicandas, quæ peccati gravitatem in eadem specie multùm augent. (C)

I. Quid si post factam diligentem conscientiæ discussionem, omnia et singula peccata memoriæ non occurrunt?

R. Ea de re sic loquitur Tridentina Synodus. (*Sess.* 14. *cap.* 5.) *Constat*, inquit, *nihil aliud in Ecclesia à pœnitentibus exigi, quàm ut postquam quisque diligentiùs se excusserit, et conscientiæ suæ sinus omnes et latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum et Deum suum mortaliter offendisse meminerit : reliqua autem peccata quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum, eâdem confessione inclusa esse intelliguntur : pro quibus fideliter cum Propheta dicimus :* Ab occultis meis munda me Domine. (*Psal.* XVIII. 13.)

I. Si factâ confessione et suscepto pœnitentiæ sacramento, redeant in memoriam peccata, quæ pœnitenti per oblivionem exciderant, quid facto opus?

R. Illa in sequenti confessione declaranda. (D)

(C) CATECH. CONC. TRID. *part.* 2. *tit. de Sacram. Pœnit.* §. 62. Neque verò solùm peccata gravia narrando explicare oportet, verùm etiam illa, quæ unumquodque peccatum circumstant, et pravitatem valdè augent, vel minuunt.

§. 63. Quædam enim circumstantiæ adeò graves sunt, ut peccati mortiferi ratio ex illis tantùm constet : quare hæc omnia semper confiteri oportet : si quis enim hominem interemit, explicandum est, utrùm ille sacris initiatus, an profanus fuerit. Itemque, si cum muliere concubuit, matrimoniine lege liberâ, aut alterius uxore, aut propinquâ, aut alicujus voti sponsione Deo consecratâ, aperiat necesse est : hæc enim diversa peccatorum genera constituunt ; ita ut primùm quidem simplex fornicatio, alterum adulterium, tertium incestus, quartum sacrilegium à divinarum rerum Doctoribus appelletur. Furtum etiam in peccatis numerandum est; verùm si quis aureum nummum furetur, leviùs omninò peccat, quàm is, qui centum, vel ducentos, vel ingentem aliquam auri vim, præsertim verò qui sacram pecuniam abstulit. Quæ etiam ratio ad locum, et ad tempus pertinet, quorum exempla notiora sunt ex multorum libris, quàm ut à nobis commemorentur.

S. CAROL. *Act. Eccles. Mediol. tom.* 1. *part.* 4. *pag.* 650. *in Instruct. Confess.* Confessor circumstantias peccati speciem mutantes, aut augentes apprimè sciat : nam hæ duæ circumstantiarum species debent necessariò explicari.

(D) AUCTOR. *de vera et falsa pœnit. in Append. tom.* 6. *Oper.* S. AUG. *edit. BB. cap.* 14. *n.* 29. Consideret qualitatem criminis, in loco, in tempore, in perseverantia, in varietate personæ, et quali hoc fecerit tentatione, et in ipsius vitii multiplici exsecutione. Oportet enim pœnitere fornicantem secundùm excellentiam sui statûs aut officii, et secundùm modum meretricis, et in modo operis sui, et qualiter turpitudinem suam peregit. Si in loco sacro, aut cui debuit excellentiam fidei, ut sunt domus dominorum et aliorum multorum. Si in tempore orationi constituto, aut in festivitate Sanctorum, et in tempore jejunii. Consideret quantùm perseveraverit, et defleat quòd perseveranter peccaverit, et quantà victus fuerit impugnatione. Sunt enim qui non solùm non vincuntur, sed ultrò se offerunt peccato : nec exspectant tentationem, sed præveniunt voluntatem, et pertractant secum quàm multiplici actione vitii delectabiliter peccent. Omnis ista varietas confitenda est et deflenda, ut cùm cognoverit quòd peccatum est multum, citò inveniat Deum propitium. In

I. Si quis fortè nullâ factâ conscientiæ discussione vel præ pudore seu malitiâ peccatum mortale retinuerit ; quid facto opus ?

R. Tunc confessio irrita fuit et sacrilega ; tota iteranda est ; et agenda pro tanto sacrilegio pœnitentia. (E)

cognoscendo augmentum peccati, inveniat se cujus fuerit ætatis, cujus sapientiæ, cujus ordinis, et statum omnem alterius non peccantis. Immoretur in singulis istis, et sentiat modum criminis : purgans lacrymis omnem qualitatem vitii, defleat virtutem quâ interim caruit. Dolendum est enim, et dolore purgandum, non solùm quia peccavit, sed etiam quòd se virtute privavit quâ interim caruit. Nam licèt speret se consecuturum veniam, dolere tamen potest quia non promeruit undè remunerari confidat.

(E) PETRUS BLESENSIS *lib. de Confess. sacram. paulò post init.* Tanta est efficacia confitendi, quòd si peccator reatum suum confitendo aperit, Deus illud operit, se accusantem excusat, et peccatum suum agnoscenti ignoscit, testimonio Salomonis, *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur ; qui autem confessus fuerit, misericordiam consequetur.* (*Prov.* XXVIII. 13.) Ex occultatione quidem et oppressione peccati, nascitur quædam lapidea cordis obstinatio, fitque talibus in orationibus suis cœlum æneum et terra ferrea, ut sint quasi montes Gelboë, super quos nec ros nec pluvia cadit (2. *Reg.* I. 21.), quorum malitia rorem misericordiæ, pietatis, et gratiæ fluenta siccavit. Iratus itaque Dominus dimittit eos post desideria sua, ut eant in adinventionibus suis (*Ps.* LXXX. 13.), sibique iram thesaurizent in die tremendi judicii. (*Rom.* II. 5.) Est iterùm conscientia miseri quasi fovea ericii et leænæ, ibique sibi occurrunt dæmonia, ululæ, et pilosi (*Isaï.* XIII. 21.), dum apostata spiritus secum ad habitandum in ea septem spiritus nequiores se assumit. (*Matth.* XII. 45. *Luc.* XI. 26.) Infelix homo ! quare te abscondis à facie Domini in similitudinem prævaricationis Adæ ? Quare dissimulas mortiferum vulnus ? Ulcus pravæ conscientiæ, quod nunc pallias, quandoque in multa tui confusione publicè revelabitur, cùm in conspectu omnium sanctorum ante tribunal tremendi judicis stabis nudus ; nihil enim occultum, quod ibi non reveletur. Tunc hi qui sua scelera suppresserunt, *dicent montibus, Cadite super nos ; et collibus, Operite nos.* (*Matth.* XII. 16. *Marc.* IV. 22. *Luc.* VIII. 17. *Osee* X. 8.) Manifesta enim erunt occulta cordium, et præ confusione et horrendo divinæ majestatis aspectu vellent, si liceret, fugere, demergi etiam in voraginis tenebrosæ abyssum. Filius ergo plorationis æternæ, qui nunc Deum despicit consulentem, monentem, et misericorditer arguentem, audiet indignantem, ulciscentem, judicantem terribiliter, et irremediabiliter condemnantem. Saluberrimum est ergo confiteri Domino, *quoniam bonus, quoniam in seculo misericordia ejus.* (*Psal.* CV. 1.) Propterea B. Job. dicit : *Non parcam ori meo, dimittam adversùm me eloquium meum. Loquar in amaritudine animæ meæ : dicam Deo, Noli me condemnare.* * (*Job.* X. 1. *et* 2.) Sciebat, quòd sicut Deus judex et ultor est culpas suas abscondentium, sic advocatus est confitentium. Nec meliùs causam nostram justificare possumus, quàm si accusando et puniendo nos partes judicis exsequamur. *Si nos*, inquit Apostolus, (1. *Cor.* XI. 31.) *dijudicaremus, non utique judicaremur.* Summum ergo salutis consilium est, humiliari sub potenti manu Dei, et se miserabilem exhibere in oculis misericordiæ ejus, nostram per omnia voluntatem illius subjicere voluntati. Nam *et vita in voluntate ejus.* (*Ps.* XXIX. 6.) Salubre est ergo confiteri ; quia teste Hieronymo, nemo sine confessione salvatur. Et notetur, quòd confessio sine pœnitentia alia est falsa, ut in Esaü et Saül : alia desperata, ut in Caïn et Juda. Salutifera in Petro et Magdalena. Quatuor nimirùm solent confessionis gratiam impedire, pudor, timor, spes, desperatio. Qui autem sub istis quatuor lapidibus jacet, quatriduanus est in sepulcro. *Nam à mortuo tanquam ab eo qui non est, perit confessio.* (*Eccli.* XVII. 26.) Veniat ergo Jesus misericors, et clamet, *Lazare veni foràs.* (*Joan.* XI. 4.) Foràs venit, qui per confessionem interiora cordis aperit. Si verò pudor prohibeat confiteri, recolat quomodo libri conscien-

tiarum aperientur coram omnibus in die judicii, cùm *revelaverit Dominus abscondita tenebrarum.* (1. *Cor.* IV. 5.) Et sicut nunc *nemo se abscondit à calore ejus* (*Ps.* XVIII. 7.), ita tunc non erit, qui se abscondat à splendore illius. Non ergo pudeat dicere, quod non puduit facere: sed utili erubescentiâ confundatur, ut in splendoribus sanctorum de humilitatis suæ merito glorietur. Contra timorem pœnitentiæ, quæ videtur importabilis, objicitur gehennæ memoria, timor ignis inextinguibilis, vermis non moriens, fœtor mortificans, et dolor, cujus non est intermissio, sive finis. Non videatur ei gravior brevis curatio, quàm pœna supplicii gehennalis. *Horrendum est incidere in manus Dei viventis.* (*Hebr.* X. 31.) Ideoque pœna temporalis transigat cum æterna, et sustineat patienter flagella tortoris. Si autem sperat de longitudine vitæ, et de Dei miseratione præsumit; attendat, quàm brevis et incerta sit vita ejus, quicunque in Spiritum sanctum peccat, et quantùm in eo est, summi Judicis justitiam omnia judicantis evacuat. *Existimasti iniquè quòd ero tui similis: arguam te, et statuam contra faciem tuam.* (*Ps.* XLIX. 21.) Qui tales sunt, non præsumant de Dei miseratione, quasi velit Deus eorum ignorare versutias et sub quadam pia dissimulatione transire. Nam propter hoc *irritavit impius Deum: dixit enim in corde suo: Non requiret.* (*Ps.* IX. *in Hebr.* X. 13.) Sed certè *requiret Dominus, et retribuet abundanter* his, (*Ps.* XXX. 24.) *quorum non est memor amplius, et ipsi de manu sua repulsi sunt.* (*Ps.* LXXXVII. 6.) *Mentita est* namque *iniquitas sibi*, (*Ps.* XXVI. 12.) sed damnabit veritas æternaliter, quod mendacium temporaliter occultavit: sicut scriptum est: *Inimici Domini mentiti sunt ei, et erit tempus eorum in secula.* (*Ps.* LXXX. 16.) Desperatio autem miserum hominem in omne desiderium perniciosè præcipitat, ut contemnat tremenda judicia Dei: *peccator enim, cùm venerit in profundum malorum, contemnit.* (*Prov.* XVIII. 3.) Huic opponimus, Domine Deus, *memoriam abundantiæ suavitatis tuæ*, (*Ps.* CXLIV. 7.) quam exhibuisti David homicidæ, adulteræ, proditori, Mariæ peccatrici, Petro neganti, Chananææ clamanti, Latroni seditioso pendenti, ipsis etiam crucifixoribus tuis. *Sperent* ergo *in te, qui noverunt nomen tuum: quoniam non derelinquis quærentes te, Domine.* (*Ps.* IX. 11.) Nullus, quæso, absorbeatur abundatiore tristitiâ, quandiù Christus ad indulgentiam se exponit, et de cruce ad amicabiles nos amplexus invitat... O stulti et tardi ad obtinendum misericordiam Dei! Non præcipitur vobis maria transfretare. *Regnum Dei intra vos est* (*Luc.* XVII. 21.): quibus *prope est verbum in ore* (*Deut.* XXX. 14.), verbum in corde, id est, contritio cordis, et oris confessio; quibus offertur terra viventium, *et pro nihilo habuerunt terram desiderabilem.* (*Ps.* CV. 24.) Ad confitendum te Dominus exspectat, et jam *præparationem cordis tui audivit auris sua. Dixi*, inquit Propheta, *confitebor, et tu remisisti impietatem peccati mei.* (*Psal.* X. 17. *juxta Hebr. Psal.* XXXI. 5.) Nec tuam solummodò confessionem, sed confitendi desiderium Deus miserando præcurrit; prodigum filium redeuntem videt pater à longè: (*Luc.* XV. 20) atque festinantior est indulgere misero, quam miser indulgentiam postulare. Hieronymus ad Rusticum: (*Epist.* 16. 3.) David à Nathan Propheta correptus, respondit, *peccavi*; (2. *Reg.* XI. 13.) statimque audire meruit: *Et Dominus peccatum abstulit à te.* (*Ibid.*) Et idem: Undè scelus commiserunt in morte Nabothæ, Achab et Jezabel. (3. *Reg.* XXI.) Conversione Achab pœna ejus differtur in posteros, et Jezabel impœnitens præsenti judicio condemnatur. Confessionem ergo ne differas: nam *nescis quid ventura pariat dies.* (*Prov.* XXVII. 1.) Nescis, si hac ipsâ die mors repentina te rapiat, et non sit qui eripiat. Frequens est illud judicium cœlestis iræ: ut qui non vult pœnitere quando potest, non possit quando voluerit pœnitere. De his, qui pœnitentiam differunt, donec suis desideriis sabentur, scriptum est: *væ prægnantibus et nutrientibus in illa die.* (*Matth.* XXIV. 19.) Dic ergo iniquitates tuas, ut justificeris. Sicut enim testatur B. Ambrosius, Confessio justificat, omnesque sordes quas negligenter vita congessit, evacuat. Ei quoque non timeas consiliari, quem Deus tibi vice suâ consiliarium delegavit, testimonio Job: *Qui timet pruinam, venient super eum nix.* (*Job.* VI. 16.) Erubesce temporaliter, ne æternaliter erubescas. Si modò confunderis, confusio hæc gloriam adducet. Pro confusione enim hac et rubore, in terra tua duplicia possidebis. Cur timebis in die mala? (*Ps.*

I. Si quis peccatum mortale retinuerit quod ignorabat esse peccatum, eritne confessio irrita ?

R. Si ignorantia mortalis esset, irrita foret et sacrilega confessio. Secùs, si esset ignorantia venialis vel omninò excusabilis.

Mortalis est ignorantia, quando ignorantur res necessariæ et graves, quæ facilè sciri potuerunt et debuerunt ;

XLVIII. 6.) Nonne melius est audire vocem consilii, quàm illius sententiæ judicialis exspectare tonitruum, *Ite maledicti in ignem æternum ?* * (*Matth.* XXV. 41.) Sic autem confessio fiat, ut excurrat per singulas iniquitates, et singulis vulneribus de sacrificio cordis humiliati quasi unguentum ex adipe devotionis infundat. In sacrificio quidem singula intestina hostiæ abluuntur. (*Levit.* I. 13.) Augustinus de Pœnitentia : De universis et singulis pœnitentiam age. Deus septem dæmonia simul ejecit ; simul sanavit surdum et mutum ; legionem etiam simul ejecit ab alio, docens, quòd etiamsi peccata sint mille, de omnibus tamen oportet pœnitere... Omnes autem circumstantias peccatorum, is qui confitetur, aperiat : causam, locum, tempus, modum, et quidquid mensuram realùs exaggerat. Sic enim B. Augustinus in libro de Pœnitentia scribit, dicens : Pœnitens suorum criminum exquirat qualitatem, in loco, in tempore, in perseverantia, in varietate personæ, ut attendatur excellentia officii sui, turpitudo operis, si in sacro loco, si in die festivitati vel orationi consecrata, aut jejunio, quantâ tentatione impulsus sit. Sunt enim qui ultrò se peccato offerunt, nec exspectant tentationem, sed præveniunt voluptatem, et omnia faciunt pro recuperanda vita animæ, quæ facerent pro vitanda corporis morte. Et, ut gratiâ evidentiæ ponamus hujus rei exemplum : qui fornicatur, non solùm suam, sed illius animam perimit, quam in consensum et participium suæ iniquitatis allexit. Porrò animæ tertiæ homicida est, si rogatu ejus aliquis mediator illius turpitudinis intercessit... Turpe reputas, de tam turpi materia loqui : sed turpior est infernus. Si fœdus est sermo, fœdius est putrescere in peccato. Nunquid audebis facere, et ego illud dicere non audebo ? Testis in cœlis Deus, etiam conscius in excelsis, quòd zelo et sitio salutem animæ tuæ ; et tota hæc exhortatio mea procedit ex medullis animæ et adipe charitatis. Sic ergo confessio fiat, ut etiam in tui accusationem peccati veniant, quæcunque videntur illius accessio vel sequela. Vix equidem invenitur peccatum, quod aliud annexum non habeat. Colligatæ namque sibi sunt squamæ Behemoth, *una uni conjungitur* (*Job.* XLI. 6. *et* 7.), et spiraculum vitæ non incedit per eas. Vides, quòd in homicidiis, perjuriis, proditionibus, et detractionibus, commessationibus, ebrietatibus, in verbis turpibus, pravisque consiliis, et in cunctis ferè criminibus, nobiscum participio consensùs innocentiam alienam trahimus in reatum. Tuam igitur conscientiam solerti revolve scrutinio, explora omnes angulos ejus, nihilque in ea remaneat indiscussum. Fode parietem, et abominationes conscientiæ monstruosas revelabit tibi familiare scrutinium. Venialia non negligas. *Qui enim minima contemnit, paulatim defluit* (*Eccli.* XIX. 1.), et ad majora prolabitur. Quid autem adeò veniale est, quod non possit importare timorem, cùm de verbis et cogitationibus otiosis oporteat reddere rationem ? (*Matth.* XII. 36.) Vide ergo ne obruaris arenâ, ne levia te submergant. Nam et guttulæ aquæ, dum in sentinam navis paulatim et occultè influunt, navem quæ procellosos impetus maris antea fortiter sustinuerat, ex improviso submergerunt. Cave igitur ne de radice colubri regulus, et de usu venialium lethifera consuetudo nascatur. Teste siquidem Augustino, ex quodam contemptu peccatum committunt in Spiritum sanctum, qui negligenter venialibus assuescunt. Propterea B. Job omnia opera sua verebatur. (*Job.* IX. 28.) Quis enim confessionis, aut pœnitentiæ beneficio seipsum justificare præsumat ? Ipse Apostolus de se dicit : *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* (1. *Cor.* IV. 4.) *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* (*Ps.* CXLII. 2.) Ergo non propter meritum meum, sed *propter nomen tuum propitiaberis peccato meo : multum est enim.* (*Psal.* XXIV. 11.)

tunc enim ignorantia crassa dicitur et supina ; et peccatum auget, nedum minuat, *si sit per se et directè voluntaria.* (*S. Thom.* I. 2. *quæst.* 76. *art.* 4. *in corp.*)

Venialis est ignorantia, quando non est crassa et supina, vel quando non magni momenti est quod ignoratur.

Excusabilis est prorsùs, quando nullo modo vinci potuit.

His positis, fateor, horret animus, dum cogito quot Christiani torpeant et jaceant in ignorantia crassa et supina, quâ fit ut valdè timendum sit ne sacrilegi redeant à confessione et communione. Mirùm quàm levis, quàm parùm accurata sit plerorumque confessio, qui tamen vitam agunt, si spectes Evangelica præcepta, valdè criminosam. Ipsi Confessarios imperitos temerè adeunt, qui nullâ factâ peccatorum discussione, pœnitentes ultrò absolvunt. Nulla est et irrita absolutio. Hinc inde sacrilegium : manet semper peccatorum reatus. Posthæc ad sacram mensam temerè acceditur : novum sacrilegium.

I. Non parva est, ut video, confessionis ritè faciendæ difficultas, vereor ne multi hâc ipsâ difficultate deterreantur à confessione ?

R. Ipsa hujusmodi confessionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia gravis quidem videri posset, nisi tot tantisque commodis et consolationibus levaretur, quæ omnibus, dignè ad hoc sacramentum accedentibus, per absolutionem certissimè conferuntur. Verba sunt Concilii Tridentini. (*Sess.* 14. *cap.* 5.)

§. 10. Explicantur reliquæ conditiones Confessionis. Tùm de Confessionibus Generalibus.

I. Jam alteram confessionis conditionem exponas velim : Confessio, inquis, debet esse humilis : Quid hoc rei est ?

R. Hoc est, faciendam esse peccatorum confessionem cum magna cordis contritione, cum magna mentis confusione, cum ea denique humilitate, quæ deceat peccatorem criminum suorum pondere oppressum, verè pœnitentem, et paratum ad quamlibet satisfactionem. (A)

(A) S. Bernard. *Serm.* 16. *in Cant. n.* 8. Omne ergo quod remordet conscientiam confitere humiliter, purè, fideliter.... Sunt *qui gloriantur cùm malè fecerint et exsultant in rebus pessimis.* (*Prov.* II. 14.) Quos notans Propheta, *Peccata sua*, inquit, *prædicaverunt sicut Sodoma.* (*Isai.* III. 9.)

N. 9. Nonnulli talia, quasi dolendo et pœnitendo rememorant; sed gloriam intentione captantes, commissa sua non diluunt, sed se ipsos illudunt. Nam *Deus non irridetur.* (*Galat.* VI. 7.) Veterem hominem non exuerunt, sed novo palliant. Non proditur aut projicitur vetus fermentum illâ confessione; sed statuitur, secundùm illud : (*Psal.* XXXI. 3.) *inveteraverunt ossa mea, dum clamarem totâ die.*

N. 10. Sed confessio eò periculosiùs noxia, quò subtiliùs vana; cùm ipsa etiam inhonesta et turpia de nobis detegere non veremur, non quia humiles sumus, sed ut esse putemur. Appetere autem de humilitate laudem, humilitatis est non virtus, sed subversio. Verus humilis vilis vult reputari, non humilis prædicari. Gaudet contemptu sui, hoc solo sanè superbus, quòd laudes contemnit. Quid perversius, quidve indignius, quàm ut humilitatis custos confessio superbiæ militet, et inde velis

I. Quo maximè argumento constare potest confessionem non esse humilem ?

R. Si quis nullo tactus dolore, nullâ verecundiâ et confusione, peccata sua confiteatur, non secùs ac si narraret rei cujuslibet gestæ historiam. Si quis peccata sua vel excuset vel in alios rejiciat mentiendo, si quis periti Confessarii præcepta et monita parvipendat, hujus confessionem humilem non fuisse constat. (B)

videri melior, unde videris deterior ? Mirabile jactantiæ genus, ut non possis putari sanctus, si non appareas sceleratus. At talis confessio speciem habens humilitatis, non virtutem, non solùm veniam non meretur, sed et provocat iram.

(B) S. AUG. *Enarr.* 2. *in Ps.* XXXI. *n.* 15. Ergo, *quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua : conversus sum in ærumna mea, dum configeretur spina.* (*Ps.* XXXI. 4.) Ex ipsa aggravatione manûs tuæ, ex ipsa humiliatione conversus sum in ærumna mea, factus sum miser, confixa est mihi spina, compuncta est conscientia mea. Quid factum est cùm configeretur spina ? Datus est ei sensus doloris, invenit infirmitatem suam. Et ille qui tacuerat confessionem peccati sui, ut clamando in defensione peccati sui inveterasceret, virtus ejus, id est, ossa ejus converterentur in vetustatem, modò quid fecit confixâ spinâ ? *Peccatum meum cognovi.* (*Ibid.* 5.) Ergo jam cognoscit. Si ille cognoscit, ille ignoscit. Audite quid sequitur : videte si non ipse dicit : *Peccatum meum cognovi, injustitiam meam non operui.* (*Ibid.*) Hoc jam dudum dicebam : Noli operire tu, et operit Deus. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata.* (*Ibid.* 1.) Qui tegunt peccata, nudantur : iste autem nudavit, ut cooperiretur : *Iniquitatem meam non operui.* (*Ibid.* 5.) Quid est, *non operui* ? Jam dudum tacueram : modò quid ? *Dixi :* Quiddam contrarium illi taciturnitati. *Dixi :* Quid dixisti ? *Pronuntiabo adversùm me injustitiam meam Domino ; et tu dimisisti impietatem cordis mei.* (*Ibid.*) *Dixi :* Quid dixisti ? Non jam pronuntiat, promittit se pronuntiaturum ; et ille jam dimittit.

N. 16. Non sine causa dixit, *Pronuntiabo adversùm me :* et hoc interest. Multi enim pronuntiant iniquitatem suam, sed adversùs ipsum Dominum Deum : quando inveniuntur in peccatis dicunt, Deus hoc voluit.... Ita ille injustus, tu justus : quia nisi ille fecisset, tu non peccasses. Tolle istas excusationes in peccatis : memento illius Psalmi (*Psal.* CXL. 4.), *ne declines cor meum in verba maligna ad excusandas excusationes in peccatis, cum hominibus operantibus iniquitatem.*

Serm 29. *aliàs de diversis* 3. *cap.* 3. *n.* 3. Est etiam salubris confessio peccatorum. Unde audivimus in Psalmo qui primò lectus est. (CXL. 3. *et* 4.) *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium continentiæ circum labia mea, ut non declines cor meum in verba maligna, ad excusandum excusationes in peccatis.* Rogat Deum, ut custodiam det ori suo : et cujus rei custodiam exponit, et dicit : Sunt enim homines qui valdè abundant ; qui cùm cœperint accusari, currunt se excusare. Excusare autem est causas quærere, et causationes innectere, quare ad se non videatur pertinere peccatum. Alius dicit, Diabolus mihi fecit ; alius, Fato compulsus sum : nemo ad se. Cùm vis esse excusator tuus, triumphat de te accusator tuus. Vis ergo facere quòd doleat et gemat accusator tuus, id est, Diabolus ? Fac quod audisti, fac quod didicisti, et dic Deo tuo, *Ego dixi, Domine, miserere mei, sana animam meam, quoniam peccavi tibi.* (*Ps.* XL. 5.) *Ego*, inquit, *ego dixi :* non Diabolus, non fortuna, non fatum. *Ego dixi :* non me excuso, sed accuso. *Domine miserere mei : sana anima meam.* Unde enim ægrotat ? *Quoniam peccavi tibi.* (*Ibid.*)

S. BERNARD. *Serm.* 16. *in Cant. n.* 11. Oportet autem (confessionem) et esse simplicem. Non intentionem (fortè quia latet homines) excusare delectet, si sit rea ; nec levigare culpam quæ gravis est : nec alieno adumbrare suasu, cùm invitum nemo coëgerit. Primum illud non

I. Quid facto opus ut confessio sit humilis ?

R. Ante confessionem ponderanda gravitas peccatorum, et sedulò attendenda ea omnia quæ movere debent ad contritionem. Tùm orandus Deus, ut *in spiritu humilitatis et in animo contrito nos suscipere dignetur*, et *sic fiat sacrificium* confessionis nostræ *in conspectu ejus, ut ipsi placeat.* (*Daniel* III. 39. *et* 40.)

I. Confessio, inquis, debet esse simplex. Hanc tertiam conditionem posuisti : Quid hoc rei est ?

R. Id est, non augenda, non minuenda peccata ; sed eo modo esse in confessione declaranda quo à pœnitente cognoscuntur. Ita ut quales nos esse existimamus in conspectu Dei, tales exhibeamus nos Confessario.

I. Quo maximè argumento constare potest confessionem non esse simplicem ?

R. Si quis non se talem exhibeat Sacerdoti qualem esse se novit ; si quis iis verborum ambagibus confessionem obtegat, ut vix intelligere queat Sacerdos qui sit status animæ pœnitentis, hujus confessionem constat non esse simplicem et nudam. Quod quidem vitium frequens est maximè in adolescentioribus. (C)

I. Cur confessio debet esse simplex et nuda ?

R. Quia ideò instituta confessio est, ut pateat status animæ Sacerdoti, hincque intelligere possit quæ sint adhibenda remedia peccatis, quæ sit sententia pronuntianda : solvendusne sit an ligandus peccator. At non potest Sacerdos cognitâ causâ judicare, nisi status animæ nudè et simpliciter detegatur à pœnitente. (D)

I. Confessio debet esse prudens, inquis, quæ quarta conditio est : Quid hoc rei est ?

R. Id est, cavendum ne peccata confitendo peccetur vel contra honestatem vel contra charitatem ; sed videndum ut omnia cautè, prudenter, *honestè et secundùm ordinem fiant.* (1. *Cor.* XIV. 40.) Rem explico.

Si quis, verbi gratiâ, verbis obscœnis utatur in peccatorum confessione, is imprudenter aget peccando contra honestatem. Si quis nullâ necessitate cogente inter confiten-

confessio est, sed defensio ; nec placat, sed provocat. Sequens monstrat ingratitudinem ; et quò minor reputatur culpa, eò minuitur et gloria indultoris... Veniam proinde sibi adjudicat, qui munus largitoris attenuat. Quod quidem omnis qui reatum suum verbis alleviare conatur, facit.... Genus excusationis est, cùm argueris tu, alium incusare. Porrò excusare te velle quando corriperis, quàm sit non modò minimè fructuosum, sed et perniciosum, sanctum David interroga. (*Ps.* CXL. 4.) *Verba*, nempe *malitiæ*, *excusationes in peccatis* appellat, ne in ea declinet cor suum rogans et supplicans. Meritò quidem : in animam etenim suam peccat qui se excusat, repellens proinde à se indulgentiæ medicinam, et sic vitam sibi proprio ore intercludens. Et quænam major malitia, quàm propriam armari in salutem, et linguæ tuæ temetipsum mucrone confodere ?

(C) S. BERNARD. *Serm.* 16. *in Cant. n.* 11. *Vide suprà hocce* §. *litt* (B)

(D) CONCIL. TRID. *Sess.* 14. *cap.* 5. *Vide suprà* §. 9. *litt.* (A) *et in Textu.*

dum aliena peccata detegat, imprudenter aget peccando contra charitatem. Et sic de cæteris.

Nullâ, inquam, *necessitate cogente;* nam quandoque necessarium est aliena peccata detegere, si, verbi gratiâ, non possit peccati gravitas omninò patefieri, quin particeps sceleris detegatur : cùm orietur in mente Sacerdotis perversa suspicio de homine innocente, nisi reum patefeceris, etc.

I. Quid tandem intelligis dum ais confessionem secretam esse oportere ?

R. Intelligo confessionem secretò faciendam esse, adeò ut Sacerdos solus confitentem solum audiat.

I. Si quis peccata sua palàm et publicè confiteretur præ majori humilitate, foretne irrita confessio ?

R. Ea de re sic loquitur Concilium Tridentinum (*Sess.* 14. *cap.* 5.) : *Quoad modum confitendi secretò apud solum Sacerdotem, etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, et sui humiliationem, cùm ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem, delicta sua publicè confiteri possit : non est tamen hoc divino præcepto mandatum, nec satis consultè humanâ aliquâ lege præciperetur, ut delicta, præsertim secreta, publicâ essent confessione aperienda.*

I. Fuitne jam pridem usurpata secreta peccatorum confessio ?

R. Secretâ confessione sacramentali ab initio Ecclesia sancta usa est, et utitur etiamnum, et fuit illa à sanctissimis et antiquissimis Patribus magno unanimique consensu semper commendata (*Concil. Trid. Ibid.*), (ut suprà probavimus.) (*Hujusce Cap.* §. 1. *et.* 2.)

Unde manifestè refellitur inanis eorum calumnia, qui eam à divino mandato alienam et inventum humanum esse, atque à Patribus in Concilio Lateranensi congregatis, initium habuisse docere non verentur. Neque enim per Lateranense Concilium (*Can.* 21. Omnis, *etc.*) *Ecclesia statuit ut Christi fideles confiterentur, quod jure divino necessarium et institutum esse intellexerunt; sed ut præceptum confessionis, saltem semel in anno ab omnibus et singulis, cùm ad annos discretionis pervenissent, impleretur.* (*Concil. Trid. Ibid.*)

Unde jam in universa Ecclesia cum ingenti animarum fidelium fructu, observatur mos ille salutaris confitendi sacro illo, et maximè acceptabili tempore Quadragesimæ : quem morem sancta Synodus (Tridentina) *maximè probat, et amplectitur, tanquam piam, et meritò retinendum.* Hactenùs Concilium Tridentinum.

I. Si quis fortè non confessus est peccata sua ut decet, vel sine dolore confessus est, vel non integrè, vel alio quovis modo confessionem irritam fecit et sacrilegam, quâ ratione potest ille corrigere quod hoc sacrilegio peccatum est ?

R. Declarandum in confessione sacrilegium, iteranda

confessio sacrilega, et cæteræ omnes quæ exinde sunt; et agenda pro modo culpæ pœnitentia salutaris.

I. Quid si nulla confessio facta est unquam, vel nonnisi sacrilega?

R. Facienda confessio generalis omnium peccatorum, quæ à suscepto baptismate commissa sunt; quæ nisi fiat, et ritè quidem, nunquam haberi poterit remissio peccatorum, ubi aderit copia confitendi.

I. Si quis fundamentum habeat legitimum dubitandi de validitate confessionum quas fecit hactenùs?

R. Faciat et ille generalem peccatorum confessionem; et hac confessione generali conjunctà cum cæteris sacramenti pœnitentiæ conditionibus, consulat omninò saluti suæ.

I. Si quis præ nimio scrupulo, præ nimia religione velit confessionem generalem jam factam iterare, dubitans vel de contritione, vel de confessionis jam factæ validitate?

R. Si nullus adsit legitimus dubitandi locus, et Sacerdos intelligat mero scrupulo laborare pœnitentem, non audienda est hujus confessio generalis. Videat Sacerdos pro sua prudentia cui utilis, cui necessaria, cui superflua, vel noxia futura sit generalis peccatorum confessio, et prout expedire judicaverit, vel præcipiat, vel consulat, vel prohibeat fieri hujusmodi confessionem.

§. 11. De Confessionis faciendæ ritu.

I. Quo ritu facere debet Pœnitens sacramentalem Confessionem?

R. Sacerdote sedente in confessionali, Pœnitens fusis ad Deum precibus pro obtinenda contritione et cognitione peccatorum, ad latus Sacerdotis flexis genibus prosternitur, et capite nudo, si sit vir, manibus junctis ante pectus, iisque nudis non tectis chirothecâ, posito priùs ense, si eo fortè accinctus fuerit, primùm signat se signo crucis, deinde petit à Sacerdote benedictionem his verbis, vel aliis hujusmodi: *Benedic mihi, Pater, quia peccavi.*.

Acceptâ benedictione, peccata sua in genere confitetur hoc ritu.

Confiteor Deo omnipotenti, beatæ Mariæ semper virgini, beato Michaëli Archangelo, beato Joanni Baptistæ, sanctis Apostolis Petro et Paulo, omnibus sanctis, et tibi, Pater, quia peccavi nimis cogitatione, verbo et opere.

His dictis debet pœnitens exprimere tempus ultimæ confessionis, deinde rationem reddere de pœnitentia in superiori confessione imposita, an eam, ut par est, impleverit: tum peccata sua declarare sigillatim ut potest, clarè, distinctè, ut suprà dictum est, incipiendo à prætermissis in superiori confessione, si quæ per oblivionem exciderunt.

Omnibus declaratis, prout memoria suggesserit, humiliter postulatâ pœnitentiâ et finitâ interrogatione Sacerdotis,

ubi ille faciendum duxerit, pœnitens paululùm se recolligit, ad concipiendum dolorem de peccatis : tum pectus ter percutiens ait :

Meâ culpâ, meâ culpâ, meâ maximâ culpâ. Ideò precor beatam Mariam semper virginem, beatum Michaëlem Archangelum, beatum Joannem Baptistam, sanctos Apostolos Petrum et Paulum, omnes Sanctos, et te, Pater, orare pro me ad Dominum Deum nostrum.

Denique pœnitens Sacerdotis monita, præcepta, correptiones reverenter excipit, injunctam sibi pœnitentiam acceptat, et subdit se tandem judicio Sacerdotis, sive ille concedat, sive differat absolutionem.

Sacerdos autem auditâ confessione pœnitentis, perpendens peccatorum quæ ille admisit magnitudinem et multitudinem, pro eorum gravitate et pœnitentis conditione, opportunas correptiones, ac monitiones, prout esse viderit paternâ charitate adhibet, et ad dolorem et contritionem verbis efficacibus adducere conatur, atque ad vitam emendandam ac meliùs instituendam inducit, et tradit remedia peccatorum. Deinde salutarem injungit satisfactionem et convenientem habitâ ratione statûs, conditionis, sexûs, ætatis et dispositionis pœnitentis. Denique vel differt, vel concedit absolutionem. Hìc fungitur Sacerdos et medici et judicis officio. Ut medicus, monita dat salutis, et tradit remedia peccatorum. Ut judex, debitam injungit satisfactionem, et nomine Christi sententiam dicit, quâ vel solvitur peccator vel ligatur.

Hæc omnia ex Rituali Romano ferè desumpta sunt.

§. 12. De Satisfactione, ejusque necessitate.

I. Cur Sacerdos pœnitenti post confessionem injungit satisfactionem, quæ pœnitentia dicitur ?

R. Quia necesse est peccatorem satisfacere Deo pro peccatis post baptismum admissis. (A)

(A) CONCIL. TRIDENT. *Sess.* 14. *cap.* 8. Demùm quoad satisfactionem (quæ ex omnibus pœnitentiæ partibus, quemadmodum à Patribus nostris Christiano populofuit perpetuo tempore commendata, ita una maximè nostrà ætate, summo pietatis prætextu, impugnatur ab iis qui speciem pietatis habent, virtutem autem ejus abnegarunt :) sancta Synodus declarat, falsum omninò esse, et à verbo Dei alienum, culpam à Domino nunquam remitti, quin universa pœna condonetur : perspicua enim et illustria in sacris litteris exempla reperiuntur, quibus, præter divinam traditionem, hic error quàm manifestissimè revincitur. Sanè, *etc. Vide infrà in ipso Textu.*

TERTULL. *lib. de Pœnit. cap.* 9. Hujus igitur Pœnitentiæ secundæ et unius, quantò in arcto negotium est, tantò operosior probatio est ; ut non solà conscientià præferatur, sed aliquo etiam actu administretur. Is actus qui magis Græco vocabulo exprimitur et frequentatur, exomologesis est, quà delictum Domino nostrum confitemur, non quidem ut ignaro, sed quatenùs satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia nascitur, pœnitentiâ Deus mitigatur Itaque exomologesis prosternendi et humilificandi hominis disciplina est, conversationem injungens misericordiæ illicem, de ipso quoque habitu atque victu mandat, sacco et cineri

incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus dejicere, illa quæ peccavit tristi tractatione mutare : cæterùm, pastum et potum pura nosse, non ventris scilicet, sed animæ causâ : plerumque verò jejuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari, mugire dies noctesque ad Dominum Deum suum, Presbyteris advolvi, et charis Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ injungere. Hæc omnia exomologesis, ut pœnitentiam commendet, ut de periculi timore Dominum honoret, ut in peccatorem ipsa pronuntians pro Dei indignatione fungatur, et temporali afflictione æterna supplicia non dicam frustretur, sed expungat.

Cap. 10. In quantum non peperceris tibi, in tantum tibi Deus, crede, parcet.... Malo enim ad miseriam pervenitur : sed ubi pœnitendum est, desinit miserum, quia factum est salutare. Miserum est secari, et cauterio exuri, et pulveris alicujus mordacitate cruciari : tamen quæ per insuavitatem medentur, ea et emolumento curationis offensam sui excusant, et præsentem injuriam superventuræ utilitatis gratiâ commendant.

Cap. 11. Quid si præter pudorem, quem potiorem putant, etiam incommoda corporis reformident, quòd illotos, quòd sordulentos, quòd extra lætitiam oportet deversari, in asperitudine sacci, et horrore cineris, et oris de jejunio vanitate?.... Deliqui dicito in Deum, et periclitor in æternum perire : itaque nunc pendeo, et maceror, et excrucior, ut Deum reconciliem mihi quem delinquendo læsi.

Cap. 12. Cùm scias adversùs gehennam, post prima illa intinctionis Dominicæ munimenta, esse adhuc in exomologesi secunda subsidia, cur salutem tuam deseris ? cur cessas aggredi, quod scias mederi tibi ? Mutæ quidem animæ et irrationales medicinas sibi divinitùs attributas in tempore agnoscunt.... Peccator restituendo sibi institutam à Domino exomologesin sciens, præteribit illam, quæ Babylonium Regem in regna restituit ? (*Dan.* IV. 31.) Diù enim pœnitentiam Domino immolarat, septenni squalore exomologesin operatus, unguium aquilinum in morem efferatione, et capilli incuriâ horrorem leoninum præferente.

S. CYPRIAN. *Lib. de lapsis*, *pag.* 92. Dominus orandus est, Dominus nostrâ satisfactione placandus est.

Pag. 96. Ad Dominum toto corde redeamus, iram et offensam ejus jejuniis, fletibus, planctibus, sicut admonet ipse, placemus... Ecce pejora adhuc peccandi vulnera, ecce majora delicta : peccasse, nec satisfacere, delíquisse, nec delicta deflere.

Pag. 98. Quàm magna deliquimus, tam granditer defleamus. Alto vulneri diligens et longa medicina non desit ; pœnitentia crimine minor non sit... Orare oportet impensiùs et rogare, diem luctu transigere, vigiliis nocles ac fletibus ducere, tempus omne lacrymosis lamentationibus occupare : stratos solo adhærere cineri, in cilicio et sordibus volutari : post indumentum Christi perditum, nullum hîc jam velle vestitum : post diaboli cibum malle jejunium : justis operibus incumbere, quibus peccata purgantur : eleemosynis frequenter insistere, quibus à morte animæ liberentur. Quod adversarius auferebat, Christus accipiat, nec teneri jam nec amari patrimonium debet, quo quis et deceptus et victus est. Pro hoste vitanda res, pro latrone fugienda ; pro gladio metuenda possidentibus et veneno. Ad hoc tantum profuerit quod remansit, ut inde crimen et culpa redimatur.

S. PACIAN. Barcil. Episc. *Paren. ad Pœnit. tom.* 4. *Biblioth. PP.* Mementote, fratres, quia apud inferos Exomologesis non est (*Psal.* VI. 6.) ; nec pœnitentia tunc tribui poterit, consumpto tempore pœnitendi. Festinate dum in vita estis ; dum cum adversario iter facitis. (*Matth.* V. 25.) Seculares ecce ignes timemus : et carnificum ungulas expavescimus : comparate cum his æternas torquentium manus, apicesque flammarum nullâ ætate morientium. Per rogo vos Ecclesiæ fidem, fratres, per sollicitudinem meam, per communes omnium animas obtestor et deprecor, ne pudeat in hoc opere ; ne pigeat, opportuna quamprimùm remedia salutis invadere ; dejicere mœroribus animum, sacco corpus involvere, cinere perfundere, macerari jejunio, mœrore confícere, multorum

I. Potestne homo satisfacere Deo ?

R. Non potest quidem per se et ex propriis meritis ; sed potest per merita et satisfactionem Christi, qui sic satisfecit Patri pro nobis, ut possimus dehinc et ipsi per Christum et in Christo satisfacere. Id egregiè explicat Tridentina Synodus his verbis : (*Sess.* 14. *cap.* 8.) *Dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit*, ex quo omnis nostra sufficientia est, *conformes efficimur ; certissimam quoque inde arrham habentes, quod si compatimur, et conglorificabimur.* (*Rom.* VIII. 17.) *Neque verò ista nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exsol-*

precibus adjuvari. In quantum pœnæ vestræ non pepercitis, in tantum vobis Deus parcet. Est *mitis et patiens, et multæ miserationis* (*Ps.* LXXXV. 5.), et qui sententiam flectat adversùs malitias rogatam. Ecce promitto, polliceor, si ad patrem vestrum verâ satisfactione redeatis, nihil ulterius errando, nihil pristinis adjiciendo peccatis, dicendo etiam humile aliquid et flebile : Peccavimus in conspectu tuo pater ; jam non sumus digni nomine filiorum (*Dan.* XIII. 23. *Luc.* XV. 21. *et seq.*), continuò de vobis et pecus illud recedet immundum, et siliquarum esca deformis. Continuò revertentes, et stolâ vestiti, et annulus honorabit, et paternus iterùm complexus accipiet. *Totus liber hic esset exscribendus, quem Lector adire potest.*

S. AMBROS. *lib.* 2. *de Pœnit. cap.* 10. *n.* 92. Videat te Christus mœrentem, ut dicat : *Beati tristes ; quia gaudebitis....* * (*Matth.* V. 5. *Luc.* VI. 21.) Ideò ipsi Petro statim remisit, quia amarissimè flevit. (*Matth.* XXVI. 73. *etc. Luc.* XXII. 62.) Et tu si amarissimè fleas, Christus ad te respiciet, culpa discedet. Usus enim doloris ablegat luxuriam criminis, erroris delicias. Ita dum dolemus admissa, admittenda excludimus, et fit quædam de condemnatione culpæ disciplina innocentiæ.

N. 93. Nihil ergo te revocet à pœnitentia, hæc tibi communis cum sanctis est : utinamque imitanda talis, qualis Sanctorum deploratio. David *manducabat sicut panem cinerem, et potum suum cum lacrymis temperabat ;* (*Ps.* CI. 10.) ideò nunc ampliùs gaudet, quia ampliùs flevit.

S. AUG. *Serm.* 351. *aliàs* 50. *inter Homil.* 50. *cap.* 5. *n.* 12. Non enim sufficit mores in melius commutare, et à factis malis recedere ; nisi etiam de his quæ facta sunt, satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus elcemosynis. *Beati* enim *misericordes, quoniam ipsorum* miserebitur Deus. (*Matth.* V. 7.) Non enim dictum est, ut tantùm abstineamus à peccatis : *sed et de præteritis*, inquit, *deprecare Dominum, ut tibi dimittantur.* (*Eccli.* XXI. 1.)

S. INNOCENT. PP. I. *Epist. ad Decent. Tom.* 2. *Concil. Labb. cap.* 7. *pag.* 1247. Cæterum de pondere æstimando delictorum, Sacerdotis est judicare, ut attendat ad confessionem pœnitentis, et ad fletus atque lacrymas corrigentis, ac eum jubere dimitti cùm viderit congruam satisfactionem.

S. LEO MAGN. *Epist.* 83. *aliàs* 91. *ad Theodor. cap.* 2. *Mediator* enim *Dei et hominum homo Christus Jesus* (1. *Tim.* II. 5.) hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut et confitentibus actionem pœnitentiæ darent ; et eosdem salubri satisfactione purgatos, ad communionem sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.

S. CÆSAR. *Homil.* 8. *tom.* 5. *Bibl. PP.* Pro capitalibus verò criminibus non hoc solùm sufficit, sed addendæ sunt lacrymæ, et rugitus et gemitus, continuata et longo tempore procrastinata jejunia, largiores elcemosynæ, etiam plusquam nos ipsi valere possumus erogandæ, ultrò nos ipsos à communione Ecclesiæ removentes, in luctu et tristitia multo tempore permanentes, et pœnitentiam etiam publicè agentes : quia justum est, ut qui cum multorum destructione se perdidit, cum multorum ædificatione se redimat.

vimus, ut non sit per Christum Jesum : nam qui ex nobis tanquam ex nobis nihil possumus (2. *Cor.* III. 5.), *eo cooperante* qui nos confortat, omnia possimus. (*Philip.* IV. 13.) *Ita non habet homo unde glorietur : sed omnis gloriatio nostra in Christo est : in quo vivimus, in quo meremur, in quo satis facimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ : qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, et per illum acceptantur à Patre.*

I. Si Christus satisfecit pro nobis, satisfactiones nostræ sunt ergo superfluæ saltem et inutiles ?

R. Nego id ex eo sequi. Ut enim habeatur peccatorum remissio non sufficit Christum pro nobis satisfecisse, necesse est præterea ut Christi satisfactio nobis applicetur, quod fit per Sacramenta. At satisfactio Christi applicatur nobis per Pœnitentiæ sacramentum eâ solùm lege et conditione, ut, adimplendo quod deest passioni Christi, compatiamur et nos Christo, et simul cum ipso pro peccatis nostris satisfaciamus, quantùm in nobis est. (B)

I. Nonne videtur bonitati et misericordiæ Dei, imò et satisfactionis Christi merito consentaneum magis, si dixerimus tam abundantem fuisse Christi satisfactionem, ut per eam nobis peccata planè dimittantur, nullâ nobis impositâ necessitate satisfaciendi pro peccatis ?

R. Potest Deus : utique omnipotens, remissioni peccatorum eas apponere leges et conditiones quas voluerit. Potest eximere à lege satisfaciendi, potest et præscribere nobis satisfactionis legem. In baptismo nullam imposuit peccatoribus satisfaciendi legem. In pœnitentia noluit dimitti peccatum, nisi eâ solùm lege ut pœnitens satisfaciat, quantùm in se est, pro peccatis : Et justè quidem : nam sacramentum pœnitentiæ institutum est in gratiam filiorum rebellium, qui pactum in sacramento Baptismi cum Deo initum violarunt. Æquum est ingratos et rebelles filios pœnas dare; æquum est pro pœna æterna quam meruerunt, imponi saltem illis necessitatem subeundi pœnas et labores temporales, atque ita ad plenam et omnimodam peccatorum remissionem eos pervenire.

Audienda est ea de re Tridentina Synodus, quæ doctrinam hanc egregiè pro more explicavit, additis multis rationibus gravissimis.

Sanè, inquit (*Sess.* 14. *cap.* 8.), *et divinæ justitiæ ratio exigere videtur ut aliter à Deo in gratiam recipiantur, qui ante baptismum per ignorantiam deliquerint, aliter verò, qui semel à peccati et dæmonis servitute liberati, et accepto Spiritûs sancti dono, scientes templum Dei violare* (1. *Cor.* III. 17.), *et Spiritum sanctum contristare non formidaverint.* (*Ephes.* IV. 30.) *Et divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut occasione acceptâ, peccata leviora putantes, velut injurii et contumeliosi Spiritui sancto, in gra-*

(B) *Vide* CONC. TRID. *suprà hocce* §. *litt.* (A) *et in ipso Textu.*

viora labamur, thesaurizantes *nobis* iram in die iræ. (*Rom.* II. 5.) *Proculdubiò enim magnoperè à peccato revocant, et quasi freno quodam coërcent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautiores quoque et vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt; medentur quoque peccatorum reliquiis; et vitiosos habitus malè vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt. Neque verò securior ulla via in Ecclesia Dei unquam existimata fuit, ad amovendam imminentem à Domino pœnam, quam ut hæc pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent. Accedit ad hæc, quòd dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu qui pro peccatis nostris satisfecit*, ex quo omnis nostra sufficientia est (2. *Cor.* III. 5.), *conformes efficimur, certissimum quoque inde arrham habentes, quòd si compatimur, et conglorificabimur.* (*Rom.* VIII. 17.) Hactenùs Tridentina Synodus.

Hinc colligitur complures esse fructus satisfactionis.

1. Hæc probat peccata post baptismum commissa graviora esse peccatis ante baptismum admissis, quoniam graviùs plectuntur.

2. Satisfactio à peccato nos revocat, et freno quodam coërcet, et pœnitentes reddit in futurum cautiores et vigilantiores.

3. Medetur peccatorum reliquiis.

4. Vitiosos habitus contrariis virtutum actionibus tollit.

5. Amovet imminentes à Domino pœnas.

6. Reddit nos conformes Christo patienti et satisfacienti.

7. Dat nobis arrham quod compatientes Christo et conglorificabimur, simulque cum Christo regnabimus.

I. Quid igitur discriminis intercedit inter Baptismum et Pœnitentiam, quòd spectat ad remissionem peccatorum?

R. In Baptismo non solùm omnis culpa, quæcunque tandem illa sit, remittitur, sed etiam omnis pœna condonatur: Nulla à peccatore satisfactio exigitur. In sacramento Pœnitentiæ omnis culpa post baptismum commissa remittitur, adeoque condonatur et pœnæ æternæ reatus; Sed pœna temporalis non semper remittitur. Relinquitur peccatori debitum satisfaciendi plus minus pro peccatorum minori vel majori gravitate. (C)

(C) S. Gregor. Nazianz. *Orat. Quadrages. paulò post initium*, p. 632. Grave enim est facilioris medicinæ loco difficiliorem et molestiorem adhibere, ac projectâ misericordiæ gratiâ, suppliciis seipsum obnoxium reddere, atque admissa peccata correctione vitæ compensare. Quantam enim lacrymarum vim impendemus, ut ea cum Baptismi fonte exæquari possit? Quis autem nobis præstabit fore ut vita finis curationem exspectet, ac non potiùs adhuc ære alieno pressos, atque ignis illius ardore opus habentes, tribunal illud suscipiat? Tu quidem fortasse, bone et humane agricola, Dominum supplex rogabis, ut ficulneæ adhuc parcat, nec eam sterilitatis accusatam adhuc succidat, verùm tibi permittat, ut stercora undique in eam injicias, hoc est, lacrymas, gemitus, preces, chameunias, vigilias, animæ et corporis macerationem, ac denique correctionem eam, quæ ex peccati confessione, contemptiorique vitæ genere existit.

Alius est Baptismi, alius Pœnitentiæ fructus, inquit Concilium Tridentinum. (*Sess.* 14. *cap.* 2.) *Per Baptismum enim Christum induentes*, (*Galat.* III. 27.) *novâ prorsus in illo efficimur creatura* (2. *Cor.* V. 17.), *plenam et integram peccatorum omnium remissionem consequentes*; *ad quam tamen novitatem et integritatem per sacramentum pœnitentiæ sine magnis nostris fletibus et laboribus, divinâ id exigente justitiâ pervenire nequaquam possumus: ut meritò pœnitentia laboriosus quidam baptismus à sanctis Patribus dictus fuerit.*

§. 13. Exemplis è Scriptura petitis probatur necessitas satisfactionis.

I. Exstantne in Scripturis exempla quibus probetur remissa fuisse in Scripturis peccata, et simul impositam hominibus necessitatem satisfaciendi.

R. Exstant, et multa quidem. Imò vix reperias aliâ ratione ante Christum peccata fuisse condonata, quamvis nonnisi per Christum et virtute ejus satisfactionis tunc peccata remitterentur, nec aliter remitti potuerint, ut fusè probavimus in prima Parte hujus Operis.

1. Primi Parentes obtinuerunt à Domino veniam peccati, pro cujus tamen expiatione quot pœnas dederint nemo nescit, et satis superque jam diximus.

2. Postquam Populus Israëliticus egressus est de Ægypto sæpè peccavit, sæpè veniam obtinuit à Domino. Tamen in illorum peccatorum expiationem, quadraginta annis in deserto exulare coactus est, et nunquam introductus est in terram patribus suis promissam. (A)

3. Maria soror Moysi peccavit in Deum, murmurando contra Moysen. Impetravit à Domino veniam, sed eâ lege, ut leprâ percussa et septem dies à populo separata maneret. (B)

CONCIL. TRIDENT. *Sess.* 6. *cap.* 14. Docendum est, Christiani hominis pœnitentiam post lapsum multò aliam esse à baptismali; eaque contineri non modò cessationem à peccatis, et eorum detestationem, aut cor contritum et humiliatum, verùm etiam eorumdem sacramentalem Confessionem saltem in voto, et suo tempore faciendam, et Sacerdotalem absolutionem; itemque satisfactionem per jejunia, eleemosynas, orationes, et alia pia spiritualis vitæ exercitia; non quidem pro pœna æterna, quæ vel sacramento, vel sacramenti voto unà cum culpa remittitur, sed pro pœna temporali; quæ, ut sacræ litteræ docent, non tota semper, ut in Baptismo fit, dimittitur illis, qui gratiæ Dei quam acceperunt, ingrati Spiritum sanctum contristaverunt, et templum Dei violare non sunt veriti.

Et Sess. 14. *cap.* 8. *lege in Respons. præced. etc.*

(A) NUM. XIV. 13. Ait Moyses ad Dominum.... 19. Dimitte, obsecro, peccatum populi hujus secundùm magnitudinem misericordiæ tuæ, sicut propitius fuisti egredientibus de Ægypto usque ad locum istum. 20. Dixitque Dominus: Dimisi juxta verbum tuum. 21. Vivo ego: et implebitur glorià Domini universa terra. 22. Attamen omnes homines qui viderunt majestatem meam, et signa quæ feci in Ægypto et in solitudine, et tentaverunt me jam per decem vices, nec obedierunt voci meæ, 23. non videbunt terram pro qua juravi patribus eorum, nec quisquam ex illis qui detraxit mihi intuebitur eam.

(B) NUM. XII. 1. Locutaque est Maria et Aaron contra Moysen.... 10. Et

4. Moyses ipse peccavit ad aquas contradictionis ; veniam obtinuit, et tamen in pœnam peccati non introduxit populum in terram Chanaan. (C)

5. David adulterii et homicidii reus monente Prophetâ Pœnitentiam egit, veniam exoravit. Sed in pœnam hujus duplicis peccati jam remissi, hæc verba audiit à Propheta (2. *Reg.* XII. 13. *et* 14.) : *Transtulit Dominus peccatum tuum : non morieris. Verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini ,.... filius qui natus est tibi, morte morietur.* Suprà dixerat (*Ibid.* 9. *et* 10.) : *Uriam Hethæum percussisti gladio, et uxorem illius accepisti in uxorem tibi.... Quamobrem non recedet gladius de domo tua....* (*Ibid.* 11.) *Suscitabo super te malum de domo tua, tollam uxores tuas in oculis tuis, et dabo proximo tuo, etc.*

6. Cùm præ superbia David numerasset populum, monitus à Propheta Gad veniam precatus est, et exoravit quidem ; sed eâ lege, ut pestilentiam triduo sustineret. (D)

ecce Maria apparuit candens leprâ quasi nix. Cumque respexisset eam Aaron, et vidisset perfusam leprâ, 11. ait ad Moysen : Obsecro, Domine mi, ne imponas nobis hoc peccatum quod stultè commisimus, 12. ne fiat hæc quasi mortua, et ut abortivum quod projicitur de vulva matris suæ : ecce jam medium carnis ejus devoratum est à lepra. 13. Clamavitque Moyses ad Dominum, dicens : Deus, obsecro, sana eam. 14. Cui respondit Dominus : Si pater ejus spuisset in faciem illius, nonne debuerat saltem septem diebus rubore suffundi ? Separetur septem diebus extra castra, et posteà revocabitur. 15. Exclusa est itaque Maria extra castra septem diebus : et populus non est motus de loco illo, donec revocata est Maria.

(C) NUM. XX. 11. Cumque elevasset Moyses manum, percutiens virgâ bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ, ita ut populus biberet et jumenta. 12. Dixitque Dominus ad Moysen et Aaron : Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram Filiis Israël, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis... 23. Locutus est Dominus ad Moysen : 24. Pergat, inquit, Aaron ad populos suos : non enim intrabit terram, quam dedi filiis Israël, eò quòd incredulus fuerit ori meo, ad aquas contradictionis.

DEUTER. XXXII. 48. Locutusque est Dominus ad Moysen in eadem die, dicens : 49. Ascende in montem istum Abarim, id est, transituum, in montem Nebo, qui est in terra Moab contra Jericho : et vide terram Chanaan, quam ego tradam filiis Israël obtinendam, et morere in monte. 50. Quem conscendens jungeris populis tuis, sicut mortuus est Aaron frater tuus in monte Hor, et appositus populis suis : 51. quia prævaricati estis contra me, in medio filiorum Israël, ad aquas contradictionis in Cades deserti Sin : et non sanctificastis me inter filios Israël. 52. E contra videbis terram, et non ingredieris in eam, quam ego dabo filiis Israël.

(D) 1. PARALIP. XXI. 1. Consurrexit autem Satan contra Israël : et concitavit David ut numeraret Israel.... 7. Displicuit autem Deo quod jussum erat, et percussit Israël. 8. Dixitque David ad Deum : Peccavi nimis ut hoc facerem : obsecro, aufer iniquitatem servi tui, quia insipienter egi. 9. Et locutus est Dominus ad Gad Videntem Davidis, dicens : 10. Vade, et loquere ad David, et dic ei : Hæc dicit Dominus : Trium tibi optionem do ; unum, quod volueris elige, et faciam tibi. 11. Cumque venisset Gad ad David, dixit ei : Hæc dicit Dominus : Elige quod volueris : 12. aut tribus annis famem : aut tribus mensibus te fugere hostes tuos, et gladium eorum non posse evadere : aut tribus diebus gladium Domini, et pestilentiam versari in terra, et Angelum Domini interficere in universis finibus Israël : nunc igitur vide quid respondeam ei, qui misit me. 13. Et dixit David ad Gad : Ex omni parte me angustiæ premunt : sed melius mihi

I. Constat quidem his exemplis toleranda nobis esse flagella Deo inflicta in pœnam scelerum; sed inde non colligitur præter hæc flagella pœnas esse sponte à nobis pro vindicandis peccatis suscipiendas.

R. Exstant in Scripturis et exempla non pauca voluntariæ satisfactionis ultrò à peccatoribus susceptæ in ultionem scelerum.

David peccata sua flevit jugiter, jejunavit ad illorum expiationem, indutus est cilicio, mediâ nocte surrexit semper ad orandum. Et tamen ipse Rex erat, et Propheta, et, Deo per alium Prophetam revelante, noverat dimissa sibi fuisse peccata. (E)

Nec minùs celebris est historia Ninivitarum. Missus est à Deo Jonas Ninivem, ut prædicaret ascendisse malitiam Ninivitarum coram Deo, et post dies quadraginta civitatem eorum esse subvertendam. Hoc audito Ninivitæ cooperuerunt se saccis, cinere et cilicio; triduùm abstinuerunt ab omni cibo; clamaverunt ad Dominum; misericordiam postularunt, et impetrarunt. Surgent illi adversùs nos in die judicii, inquit Christus, nisi eorum exemplo pœnitentiam egerimus. (F) Ergo Christo ipse vindice et hortatore, debemus ultrò susceptis pœnis et laboribus satisfacere pro peccatis.

est, ut incidam in manus Domini, quia multæ sunt miserationes ejus, quàm in manus hominum. 14. Misit ergo Dominus pestilentiam in Israël: et ceciderunt de Israël septuaginta millia virorum.

(E) PSAL. VI. 7. Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum: lacrymis meis stratum meum rigabo.

XXXI. 3. Inveteraverunt ossa mea, dum clamarem totâ die... 5... Et tu remisisti impietatem peccati mei.

XXXVII. 7. Miser factus sum et curvatus sum usque ad finem: totâ die contristatus ingrediebar.... 18.... Ego in flagella paratus sum: et dolor meus in conspectu meo semper.

LXVIII. 11. Operui in jejunio animam meam :.... 12. Et posui vestimentum meum cilicium.

CI. 5. Percussus sum ut fœnum, et aruit cor meùm: quia oblitus sum comedere panem meum. 6. A voce gemitûs mei adhæsit os meum carni meæ. 7. Similis factus sum pellicano solitudinis: factus sum sicut nycticorax in domicilio. 8. Vigilavi, et factus sum sicut passer solitarius in tecto.

CXVIII. 61. Funes peccatorum circumplexi sunt me: et legem tuam non sum oblitus. 62. Mediâ nocte surgebam ad confitendum tibi, super judicia justificationis tuæ.

1. PARAL. XXI. 16.... Et ceciderunt, tam ipse quàm majores natu vestiti ciliciis, proni in terram.

(F) JONÆ III. 4. Jonas.... clamavit, et dixit: Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur. 5. Et crediderunt viri Ninivitæ in Deum: et prædicaverunt jejunium, et vestiti sunt saccis à majore usque ad minorem. 6. Et pervenit verbum ad Regem Ninive: et surrexit de solio suo, et abjecit vestimentum suum à se, et indutus est sacco, et sedit in cinere. 7. Et clamavit, et dixit in Ninive ex ore Regis et principum ejus, dicens: Homines, et jumenta, et boves, et pecora non gustent quidquam: nec pascantur, et aquam non bibant. 8. Et operiantur saccis homines, et jumenta, et clament ad Dominum in fortitudine, et convertatur vir à via sua malâ, et ab iniquitate, quæ est in manibus eorum. Quis scit si convertatur et ignoscat Deus: et revertatur à furore iræ suæ, et non

Legi possunt in Scripturis exempla similia Manassis Regis, Judæorumque habitantium in urbe Bethulia (G), quibus constat oratione, jejunio, eleemosynâ, aliisque piis operibus posse et debere iram Dei placari, propitium fieri Deum, expiari peccata, nec timendum esse ne illis operibus fiat injuria Christi satisfactioni. Christus caput nostrum supplicia pertulit in suo corpore pro peccatoribus, passus est *justus pro injustis* (1. *Petr.* III. 18.) ; debent et membra noxia exemplo capitis pati, et simul cum ipso crucifigi; debent adimplere (*Coloss.* I. 24.), voluntariè patiendo, quod deest passionibus Christi. Huic Apostoli doctrinæ Prophetica præcepta præiverant. *Convertimini ad me in toto corde vestro*, inquit Joël (II. 12.), *in jejunio et in planctu.... Egrediatur sponsus de cubili suo, et sponsa de thalamo suo.* (*Ibid.* 16.) Id est, contincant se conjugati *ad tempus*, pœnitentiæ causâ, quod tamen ex mutuo *consensu* faciendum monet Apostolus. (1. *Cor.* VII. 5.)

§. 14. De Satisfactione juxta veteres Pœnitentiæ leges : ac præcipuè de quatuor gradibus Pœnitentiæ Publicæ.

I. Injunxitne semper Ecclesia satisfactionem peccatoribus accedentibus ad pœnitentiæ sacramentum ?

R. Injunxit et plus minùs graves et diuturnas pro majori vel minori peccatorum gravitate. Id constat ex omnibus antiquitatis ea de re monumentis. (A)

I. Quomodo agebatur olim pœnitentia injuncta à Sacerdote post Confessionem ?

R. Certis peccatorum generibus injungebatur pœnitentia

peribimus ? 10. Et vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala : et misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat ut faceret eis, et non fecit.

MATTH. XII. 41. Viri Ninitivæ surgent in judicio cum generatione ista, et condemnabunt eam : quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ. *Idem legitur* LUC. XI. 32.

XIII. 3. *et* 5. Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.

(G) 2. PARALIP. XXXIII. 9. Manasses seduxit Judam, et habitatores Jerusalem, ut facerent malum.... 12. Qui postquam coangustatus est, oravit Dominum Deum suum : et egit pœnitentiam valdè coram Deo patrum suorum. 13. Deprecatusque est eum, et obsecravit intentè : et exaudivit orationem ejus.

JUDITH. IV. 8. Clamavit omnis populus ad Dominum instantiâ magnâ, et humiliaverunt animas suas in jejuniis, et orationibus, ipsi et mulieres eorum. 9. Et induerunt se Sacerdotes ciliciis, et infantes prostraverunt contra faciem Templi Domini, et altare Domini operuerunt cilicio : 10. et clamaverunt ad Dominum Deum Israël unanimiter, ne darentur in prædam infantes eorum, et uxores eorum in divisionem, et civitates eorum in exterminium, et Sancta eorum in pollutionem, et fierent opprobrium Gentibus... 15... Permanebant in conspectu Domini, 16. ita ut etiam hi, qui offerebant Domino holocausta, præcincti ciliciis offerrent sacrificia Domino, et erat cinis super capita eorum. 17. Et ex toto corde suo omnes orabant Deum.

(A) *Id abundè probant Momenta Patrum toto hocce Capite à nobis allata, et amplius probabitur auctoritatibus quas hoc* §. *et sequentibus excripturi sumus, præsertim* §. 16. *ubi* de Canonibus Pœnitentialibus *agemus.*

palàm et publicè agenda (B) : aliis secreta pœnitentia injungebatur. (C)

(B) *De publica Pœnitentia Testes locupletes habemus.* TERTULL. *Apol. cap.* 39. Ibidem etiam (*in synaxi* seu *conventu solemni*) exhortationes, castigationes, et censura divina. Nam et judicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conspectu ; summumque futuri judicii præjudicium est, si quis ita deliquerit, ut à communicatione orationis, et conventûs, et omnis sancti commercii relegetur.

Lib. de Pœnit. cap. 9. *etc. Lege sup.* §. 12. *litt.* (A)

Lib. de Pudicit. cap. 13. Et tu quidem pœnitentiam mœchi ad exorandam fraternitatem in Ecclesiam inducens, conciliatum et concineratum eum dedecore et horrore compositum prosternis in medium ante viduas, ante presbyteros, omnium lacinias invadentem, omnium vestigia lambentem, omnium genua delinentem, etc.

S. AUGUST. *Serm.* 232. *aliàs de temp.* 144. *in diebus Paschal.* 3. *cap.* 7. *n.* 8. Abundant hîc pœnitentes : quando illis imponitur manus, fit ordo longissimus. Orate pœnitentes, et eunt orare pœnitentes.... Aliqui ipsi sibi pœnitentiæ locum petierunt ; aliqui excommunicati à nobis in pœnitentiæ locum redacti sunt : et qui sibi petierunt, hoc volunt facere quod faciebant ; et qui à nobis excommunicati in pœnitentiæ locum redacti sunt, nolunt inde surgere, quasi electus sit locus pœnitentium. Qui debet esse locus humilitatis, fit locus iniquitatis.

S. GREG. NAZIANZ. *Orat.* 39. *circa finem.* Novatus, inquis, persecutionis tempore lapsos non recepit. Quid hoc ? si quidem illi pœnitentiâ minimè ducebantur, optimo jure eos repulit : (nam ne ipse quidem eos recipio, qui vel nullo modo, vel non satis deprimuntur, nec patrato crimini parem vitæ emendationem afferunt : cùmque recipio, convenientem ipsis locum assigno) ; sin autem lacrymis confectos, haudquaquam istud imitabor.

Plura ea de re testimonia quæ ubique occurrunt afferre hîc nihil juvat ; cùm abundè id probent MORINUS *Libro* 4. 5. 6. *et* 7. de Pœnit.... EDM. MARTENNE de ant. Eccles. rit. *Lib.* 1. *cap.* 6. *nosque id fusius evincemus infrà hocce* §. *ex* GREGOR. THAUMAT. *Epist. canon.* S. BASIL. *Epist.* 2. *can. ad Amphil.* S. GREG. NYSS. *Epist. ad Letoium etc. et ex variis Conciliis.*

(C) S. GREGOR. NYSS. *Epist. can. ad Letoium pan.* 6. Qui autem latenti ablatione, sibi alienum usurpat, si deindè per enuntiationem peccatum suum Sacerdoti aperuerit, vitii studio in contrarium mutato ægritudinem curabit. Dico autem largiendo quæ habet pauperibus, ut dum quæ habet profundit, se ab avaritiæ morbo liberum apertè ostendat.

Forsan de secreta pœnitentia, certè de secreta confessione loquitur S. CYPRIAN. *Lib. de lapsis pag.* 95. Homo videt in facie, Deus autem in corde.... Perspicit ille abdita ; et secreta atque occulta considerat. Nec Dei oculos potest aliquis evadere dicentis : *Ego Deus approximans, et non Deus de longinquo.* (*Hier.* XXIII. 23. *et* 24.) Si absconditus fuerit *homo in absconditis, ergo ego non videbo eum ? Nonne cœlum et terram ego impleo ?* Videt ille corda et pectora singulorum, et judicaturus est non tantùm de factis, sed et de verbis et de cogitationibus nostris, omnium mentes voluntatesque conceptas in ipsis adhuc clausi pectoris latebris intuetur. Denique quantò et fide majores et timore meliores sunt, qui quamvis nullo sacrificii, aut libelli facinore constricti ; quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud Sacerdotes Dei dolenter et simpliciter confitentes, exomologesin conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam parvis licèt et modicis vulneribus exquirunt.

S. LEO MAGN. *Epist.* 136. *cap.* 2. *pag.* 356. Modis omnibus constituo submoveri : ne videlicet de singulorum peccatorum genere, libello scripta professio publicetur : cùm reatus conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus indicari, confessione secretâ. Quamvis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubescere non veretur ; tamen quia non omnium hujusmodi sunt peccata, ut ea, qui pœnitentiam poscunt, non timeant publicare ; removeatur tam improbabilis consuetudo : ne multi à pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis sua facta reserari, quibus

(Multa de hac quæstione dicenda consultò prætermittò, ne transgrediar limites quos mihi in hocce Opere præfixi.)

I. Quomodo agebatur olim pœnitentia publica?

R. Constat tum ex antiquis Canonibus, tum ex Scriptis sanctorum Patrum, multa pœnitentibus præscripta olim fuisse, et durissima illa quidem, agenda per annos plures, quin et quandoque toto vitæ tempore. Non una erat ea de re ubique disciplina. Id maximè solemne fuit et ubique ferè receptum, ut pœnitentes quatuor agerent pœnitentiæ gradus. Primus fuit Flentium; alter Audientium; tertius Prostratorum; quartus Consistentium. (D)

possint in legum constitutione percelli. Sufficit enim illa confessio, quæ primùm Deo offertur, tum etiam Sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit. Tunc enim demum plures ad pœnitentiam poterunt provocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis.

(D) Joan. Bona S. R. E. Card. *Rerum Liturgic. Lib. cap.* 17. *n.* 1. In exordio Christianæ Religionis tantum erat pietatis studium, tantum odium improbitatis, ut quibusdam sceleribus, quæ atrociora visa sunt, omnis prorsùs veniæ spes, omnis pœnitentia denegaretur; adeò ut, qui ea commisisset, quamvis à divina misericordia eorum remissionem veræ contritionis subsidio obtineret, nunquam tamen posset cum Ecclesia reconciliari. Ea erant idololatria, homicidium, et adulterium. Constat ex Tertulliano lib. de Pudicitia, ubi jam factus Montani assecla acriter invehitur adversùs decretum Zephyrini Papæ, quo adulteros ad pœnitentiam admitti edixerat. Idem liquet ex Concilio Illiberitano, et ex Epistola Innocentii Primi ad Exuperium cap. 2. in qua ait, « duriorem fuisse ob» servationem tempore persecutionum, ne communionis concessa faci» litas, homines de reconciliatione securos non revocaret à lapsu, red» ditâ autem Ecclesiis pace rigorem illum in misericordiam commutatum » esse. » An verò priori, ac severiori vigente disciplinâ, prædictorum criminum reis in fine vitæ, sive in periculo mortis constitutis reconciliatio concessa fuerit, dubiæ quæstionis est. A Patribus enim Concilii Illiberitani sancitum fuit, ut nec quidem in fine daretur eis communio; et ex nonnullis Epistolis Cypriani patet, hunc usum tunc viguisse in Ecclesia Africana. Alii ex adverso removere ab Ecclesia etiam illius temporis hunc feralem rigorem satagunt, nec ullum unquam in fine vitæ verè pœnitentem exclusum fuisse asserunt à venia et reconciliatione. Et quidem si veniæ nomine sacramentalem duntaxat à peccatis absolutionem intelligant, non est hæc sententia improbabilis: sed plenam reconciliationem, quæ in publicarum precum participatione, et in jure offerendi munera in synaxi, ac percipiendæ Eucharistiæ consistebat, illis concessam nego, et hic saltem est sensus antiquorum Canonum statuentium, ut nec in fine eis communio concederetur. Quòd si aliquis absolutionem sub mortem consecutus convaluisset, intra cœtum Fidelium non admittebatur, nisi priùs peractâ pœnitentiâ illorum consortio dignus redderetur.

N. 2. Postquam autem rigidioris disciplinæ emollitâ duritie omnibus criminibus, etiam tribus supradictis, indulgentiæ, et misericordiæ janua aperta est; non tamen facilè quibuslibet petentibus facultas concedi solebat agendi in Ecclesia pœnitentiam, nisi priùs constaret, admissa flagitia eos seriò detestari, et verè optare dignos facere pœnitentiæ fructus, ac mores emendare. Ideò in area ultra omne Ecclesiæ tectum diù ante porticum permanebant, ubi sacco induti, et cinere aspersi omnium fidelium Ecclesiam ingredientium pedibus provoluti rogabant, ut pro ipsis apud Episcopum, et Presbyteros, ac universam fraternitatem intercederent, et jus agendæ pœnitentiæ impetrarent. Hùc alludit Tertullianus lib. de Patientia cap. 12. *Hæc exspectat, hæc exoptat, hæc exorat, pœnitentiam quandoque inituris, salutem.* et de Pudicit. cap. 3. *Assistit pro foribus, et de notæ suæ exemplo cæteros admonet, et lacrymas fratrum sibi*

quoque advocat, et redit plus utique negotiata, compassionem scilicet, quàm communicationem. Nec amittit, sed præparat fructum. Cyprianus quoque Lib. de lapsis, Casti et Æmilii, qui tormentis vexati lapsi erant, pœnitentiam commemorans ait; *Sic Casto et Æmilio aliquando Dominus ignovit: sic in prima congressione devictos, victores in secundo prœlio reddidit, ut fortiores ignibus fierent, qui ignibus antè cessissent, et unde superati essent, inde superarent. Deprecabantur illi non lacrymarum miseratione, sed vulnerum, nec solâ lamentabili voce, sed laceratione corporis et dolore.* Eusebius item in fine lib. 5. Historiarum, petitam et obtentam à Natali confessore, qui ab hæreticis deceptus Episcopatum apud illos acceperat, pœnitentiam enarrat, dicens, ad pedes Zephyrini Episcopi sese cum lacrymis indutum sacco et conspersum cinere abjecisse: nec solùm cleri, sed et secularium vestigiis advolutum, multisque precibus usum, ostensis etiam vibicibus plagarum, quas pro Christi confessione pertulerat, Ecclesiam tandem suis fletibus commovisse. Ipsa verò pœnitentiæ opera Tertullianus eleganter commemorat lib. de Pœnit. cap. 9. *Exomologesis prosternandi et humilificandi hominis disciplina est, conversationem injungens misericordiæ illicem, de ipso quoque habitu atque victu mandat sacco et cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus dejicere, illa quæ peccavit tristi tractatione mutare: cæterùm pastum et potum pura nosse, non ventris scilicet, sed animæ causâ: plerumque verò jejuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari, et mugire dies noctesque ad Dominum Deum suum, Presbyteris advolvi, et charis Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ injungere.* Idem de Pudicitia cap. 13. pœnitentem depingit conciliciatum et concineratum, cum dedecore et horrore compositum, omnium lacinias invadentem, omnium vestigia lambentem, omnium genua delinentem. Simili modo Cyprianus lib. de lapsis, hæc esse ait pœnitentium exercitia, *impensius orare, diem luctu transigere, vigiliis ac fletibus noctem ducere, stratos solo cineri adhærere, in cilicio et sordibus volutari.* Sic Pacianus Parænesi de pœnit. *Dejicere mœroribus animum, sacco corpus involvere, cinere perfundere, macerare jejunio, mœrore conficere, multorum precibus adjuvari.*

N. 3. Observant eruditi, in scriptis Tertulliani, Cypriani, et aliorum Patrum, qui ducentis et quinquaginta annis post Christum floruerunt, nullam reperiri pœnitentium in varias classes distinctionem, sive Episcoporum prudentiæ commissa tunc fuerit, sive reverà post Novati hæresim incœperit, quod probabilius existimo. Cùm enim Novatiani perperàm assererent, non esse in Ecclesia potestatem peccata post baptismum dimittendi, in quo, teste Paciano, eorum hæresis sita erat, non quòd simpliciter negarent lapsis pœnitentiam: visum est Patribus, modum et ordinem pœnitendi certis legibus stabilire; atque ideò quatuor pœnitentium gradus sive stationes constituerunt; quarum prima dicebatur *fletus*, secunda *auditio*, tertia *substratio*, quarta *consistentia*. Has Græci propriè idiomate vocant *Proclausin*, *Acroasin*, *Hypoptosin*, et *Systasin*.

N. 4. Primus itaque gradus, seu prima statio flentium erat, qui admissi ad pœnitentiam in porticu extra Ecclesiam commorabantur peccata sua publicè confitentes et deplorantes, cilicio et cinere sordidati, et ad misericordiam excitandam omni ex parte compositi. Nihil ad istos pertinebat Missa Catechumenorum, nullæ super eos manuum impositiones erant, nullæ orationes recitabantur: sed fideles privatim Deum orabant, ut veram illis pœnitentiam largiretur. Hâc veluti fibulâ, ut Pacianus in Parænesi ait, cum Ecclesia nectebantur: à templi enim vestibulo exclusi ne prædicationem quidem audire poterant, pietatem duntaxat ingredientium implorabant, ut pro ipsis apud Episcopum et Clerum intercederent. In hac statione manebant quidam per annum, alii per biennium, alii etiam per plures annos pro criminum varietate et fervore pœnitentiæ.

Secundus gradus auditio est: stabant audientes intra fores Ecclesiæ in propylæo, sive intra portam in narthece, ubi lectionem Scripturarum earumque interpretationem et sermonem audiebant, ab illa lugubri et humili deprecatione absoluti: sed nullæ erant super eos manuum impositiones, nullæ orationes, eò quòd istarum expiationum nondum capaces æstimarentur. Statio autem, seu locus auditionis, præter hos pœni-

tentes, quinque hominum genera complectebatur, Ethnicos, Judæos, Hæreticos, Schismaticos, et primi generis Catechumenos. Pro ratione autem contritionis et humiliationis citiùs vel tardiùs transitus ab hac classe ad tertiam concedebatur.

In tertio gradu erant substrati, manentes intra ambitum Ecclesiæ usque ad ambonem, ultra quem progredi nefas illis erat. Hi jejuniis, precibus, humicubationibus, aliisque operibus laboriosis affligebantur, atque in singulis synaxibus preces super illos in genua procumbentes cum manuum impositione fundebantur : idque per longum tempus, et interdùm per plures annos : atque interim in eorum mores diligens inquisitio fiebat, an verè contriti essent, an sincera eorum conversio. Stabant etiam in hac statione cathecumeni secundi et tertii generis, et energumeni. Hi postremi licèt distincti essent à pœnitentibus, impuri tamen æstimabantur, nec poterant cum fidelibus permisceri, eò quòd essent dæmonis habitaculum. Curabantur autem extra Missarum solemnia ab exorcistis per exorcismos, intra Missam ab Episcopo sive Presbytero per manuum impositionem, cui semper oratio adjungebatur.

Quartus gradus dicitur consistentia, in quo constituti pœnitentes fidelium precibus et sacrificio usque ad finem assistebant, offerre tamen munera ad altare, consequenter communicare non poterant, quia jus offerendi juri communicandi annexum erat, atque his potissimùm fideles ab aliis discernebantur. Sedes consistentium erat ab ambone versùs sanctuarium, sive permixti fuerint cum fidelibus, sive ab illis separati, quæ res obscura est : fuisse tamen sejunctos probabili conjecturâ ex hoc deduco, quia alioquin potuissent cancellis appropinquare, quod illicitum erat non offerentibus et exclusis à communione. In hac quoque statione illi sæpiùs collocabantur, qui ob aliquam leviorem culpam communione aliquando privabantur, nullâ præter hanc pœnâ mulctati. Ita Concilium Illiberitanum cap. 21. *Si quis in civitate positus tres Dominicas Ecclesiam non accesserit, pauco tempore abstineat, ut correptus esse videatur.* Et cap. 50. *Si quis clericus, sive fidelis cum Judæis cibum sumpserit, placuit eum à communione abstinere.* Sunt et alii ejusdem Concilii Canones huc referendi, ex quibus constat sic abstentos solà communione privatos in reliquis fidelium commercio non caruisse. Quidam addunt quintum gradum perfectionis, et malè : quia perfectio non gradus, sed finis erat et fructus pœnitentiæ, cùm eâ plene perfuncti et à peccatis absoluti, id quod perfectum est, corpus scilicet et sanguinem Jesu Christi percipiebant.

N. 5. Mulieribus nunquam publica pœnitentia, saltem primis Ecclesiæ seculis imponi solebat ; sed privatim flebant, jejunabant, et alia pœnitentiæ opera exercebant. Id posteà permissum viduis, quia cessabat metus, ne à viris vexarentur. Exemplum habemus nobilissimæ matronæ Fabiolæ, quæ repudiato viro ob adulterium, alteri incauta nupsit, in se autem reversa post obitum secundi, errorem publicè confessa est, *Et tota urbe Romanâ spectante*, ut in ejus Epitaphio epist. 30. Hieronymus scribit, *ante diem Paschæ in Basilica Laterani stetit in ordine Pœnitentium, Episcopo, Presbyteris, et omni populo collacrymante, sparsum crinem, ora lurida, squalidas manus, sordida colla submittens.* Erant et aliqui Pœnitentes, qui Hiemantes dicti sunt. Nam Synodus Ancyrana cap. 17. leprosos, et eos qui cum brutis rem habuerunt, inter Hiemantes orare præcepit. At, qui fuerint isti, dubiæ quæstionis est. Quidam putant fuisse arreptitios, quos S. Maximus in scholiis ad cap. 6. Eccles. Hier. ita vocari arbitratur, quòd veluti tempestatibus agitati in continua quasi hieme versentur. Horum verò sententiam reprobat Zonaras in notis ad citatum Canonem Ancyranum : *sed qui sint*, inquit, *haud facilè dixerim.* Alii collocant eos in primo ordine pœnitentium, nullumque agnoscunt discrimen inter hiemantes et lugentes. Quibusdam magis placet hiemantium nomine illos intelligi, qui sub dio extra omne Ecclesiæ tectum manebant, cujusmodi erant majori excommunicatione percussi, ab Ecclesia prorsùs præcisi : quo etiam in loco, procul scilicet à porticu, jussi sunt stare leprosi, ne cæteros inficerent, et qui cum brutis atque contra naturam luxuriabantur, quos monstra, portenta, et furias nuncupabant. Horum autem conjecturam ideò censeo probabiliorem, quòd illi favere videatur Tertullianus lib. de Pudicitia, apud quem aliud est limine Ecclesiæ,

1. Statim atque peccator in se reversus pœnitentiam postulabat, vel de canonico crimine convictus adigebatur ad pœnitentiam; tenebatur extra fores Ecclesiæ consistere genibus provolutus, indignum se profiteri qui admitteretur in cœtum fidelium, commendare se intrantium orationibus. Is primus erat pœnitentiæ gradus, qui sæpè per annos plures

aliud toto tecto submoveri. Fornicatores enim et adulteros ad limen seu fores Ecclesiæ inter Pœnitentes admissos, ait cap. 3. quamvis frustrà, ut benè notat Pamelius num. 30. si Ecclesia eis veniam dare non poterat, ut ipse perperàm asseruit: *Reliquas autem*, inquit cap. 4. *libidinum furias impias et in corpora et in sexus ultra jura naturæ, non modò limine, verùm omni Ecclesiæ tecto submovemus, quia non sunt delicta, sed monstra.* Hi ergo qui in area, et flentes qui in porticu morabantur, divini sacrificii nullo modo consortes erant: cæteri omnes qui Ecclesiam ingrediebantur, sed Missæ fidelium interesse non poterant, hoc ordine, prævià Ministri jussione è templo excedebant.

N. 6. Primi omnium voce Diaconi post Evangelium et sermonem admoniti exibant infideles, et post illos Catechumeni primi generis, et Pœnitentes secundi. His egressis monebat Diaconus populum, quid peteret à Deo pro Catechumenis secundæ classis, qui substrati dicebantur, quibus etiam indicebat ut capita inclinarent orationibus Sacerdotum, quibus super illos recitatis, et ipsi exibant. Idem ritus his egressis erga Energumenos servabatur: et his post preces dimissis, vocati aderant Competentes et Electi, et postquam isti oratione item super eos peractà recesserant, item Diaconus Pœnitentes tertiæ classis ad orationem advocabat, iisque procumbentibus manus imponebantur ab Episcopo et Presbyteris, recitatis orationibus, quarum formulæ prolixæ et distinctæ super omnes ab Ecclesia emittendos legi possunt lib. 8. Apostolicarum Constitutionum; ac demùm his dimissis, fores Ecclesiæ claudebantur, quas Ministri custodiebant, ne quis à sacris exclusus denuò ingrederetur, aut aliquis fidelium abscederet, statimque Missa fidelium, quam Ivo Carnotensis epist. 219. Missam sacramentorum vocat, inchoabatur. Sanctus est hic ordo expulsionis, can. 19. Concilii Laodiceni, deque eo agit Theodorus Antiochenus ad can. 5. Concilii Neocæsariensis. Pœnitentes verò quartæ classis usque ad finem Missæ, ut suprà diximus, cum fidelibus morabantur communionis expertes. Quod autem spectat ad sacramentalem absolutionem, an eam Episcopi seu Sacerdotes sub finem consistentiæ, an in fine substrationis impertirentur, cùm ab ea ad consistentiam transibant, diversæ sunt eruditorum sententiæ, quas non est hujus loci examinare. Quòd si specialiter sermo sit de consuetudine Romanæ Ecclesiæ, ex Sozomeno lib. 7. cap. 16. et ex Nicephoro lib. 12. cap. 28. manifestè colligitur dilatam Romæ absolutionem usque ad finem quarti gradùs. De hac enim Ecclesia tractantes, pœnitentes commemorant qui Missæ intererant, nec tamen Eucharistiæ participes erant: et eos, aiunt, peractà Missà in terram cum fletu corruisse, quibus occurrens Pontifex similiter cum lacrymis collabebatur, et eos erigens pro illis orabat, ac deindè dimittebat. Illi verò privatim jejuniis et aliis pœnis se affligebant, ac posteà elapso tempore ab Episcopo constituto à peccatis absolvebantur. Non ergo substratis, qui cum Catechumenis exibant, sed consistentibus, qui usque ad finem Missæ manebant in Ecclesia, absolutio dari solebat. Eumdem morem servatum in Africa, ut intra Missarum solemnia absolverentur pœnitentes proximè ante orationem Dominicam, non obscurè docet Optatus Milevitanus lib. 2. *Etenim inter vicina momenta dum manus imponitis et delicta donatis, mox ad altare conversi Dominicam orationem prætermittere non potestis.* Manuum autem impositio super substratos, quædam tantùm oratio et benedictio erat, quam in terram procumbentes à Sacerdotibus accipiebant. A qua prostratione probabile est ortam adversùs Christianos Paganorum calumniam, asserentium apud Minutium Felicem: *Eos Antistitis ac Sacerdotis colere genitalia, et quasi parentis sui adorare naturam*, eò quod pœnitentes Presbyteris advolvi solerent, *et charis Dei adgeniculari*, ut loquitur Tertullianus.

agebatur, vocabaturque gradus Flentium et Hiemantium; quia plerumque sub dio morabantur pœnitentes. (E)

2. Transacto primo Pœnitentiæ gradu, introducebantur pœnitentes in Ecclesiam, ita tamen ut propè fores subsistere cogerentur : ibique audiebant Catechismos et cæteros sermones sacros. Cæterùm revocabantur ad rudimenta fidei, utpotè qui per peccatum ea non neglexissent solùm, sed et obliti esse censerentur. Non admittebantur illi ad publicas orationes, sed ad audiendum solùm verbum Dei. Hinc dicebatur gradus ille, Audientium gradus. (F)

(E) S. Gregor. Thaumat. *Epist. Canonic. can.* 11. Fletus, seu luctus est extra portam oratorii, ubi peccatorem stantem, oportet fideles ingredientes orare, ut pro se precentur. Auditio est intra portam, in loco quem vocant, in ferula : ubi oportet cum qui peccavit, stare post Catechumenos, usque ad Catechumenos, et illinc egredi. Audiens enim, inquit post Scripturas et doctrinam ejiciatur ; et precatione ne dignus censeatur. Subjectio autem seu substratio est, ut intra Templi portam, stans cum Catechumenis, egrediatur. Congregatio seu consistentia est, ut cum fidelibus consistat, et cum Cathecumenis non egrediatur. Postremò est participatio sacramentorum.

S. Basil. *Epist. can. ad Amphiloch. can.* 56. Qui suâ sponte interfecit, et posteà pœnitentiâ ductus est, 20. annis sacramento non communicabit. Viginti autem anni sic in eo dispensabuntur. Debet quatuor annis deflere stans extra fores oratorii, et fideles ingredientes rogans ut pro eo precentur, suam iniquitatem pronuntians. Post quatuor autem annos inter auditores recipietur, et quinque annis cum ipsis egredietur : septem autem annis cum iis qui in substratione orant egredietur. In quatuor annis solùm stabit cum fidelibus, sed non erit oblationis particeps. Iis autem expletis erit sacramentorum particeps.

Qui non voluntariè interfecit, undecim annis sacramentis non communicabit. Undecim autem anni sic in eo dispensabuntur. Duos quidem annos deflebit, tres autem annos inter auditores perseverabit, in quatuor substratus, et anno solùm consistet, et deinceps ad sacra admittetur.

S. Gregor. Nyss. *Epist. canon. ad Letoium, Can.* 4. Est ergo canon ejusmodi, ut qui in fornicatione polluti sunt, in tribus quidem annis ab oratione omninò expellantur. In tribus autem sint solius auditionis participes; in tribus autem aliis, cum iis qui in conversione substernuntur, precentur, et tunc sint sacramentorum participes.

Cap. 5. *De homicidis.* Ter novem etiam sunt anni, novenario annorum numero in unoquoque gradu præfinito, ut in perfecta quidem segregatione novem annorum tempore versetur ab Ecclesia prohibitus; alios autem tot annos in auditione permaneat, solâ doctorum et Scripturarum auditione et conversatione cum populo dignus habitus ; in tertio autem novenario cum substratis in conversione orans, ut perveniat ad communionem, sacramenti scilicet.

Concil. Ancyr. *ann.* 314. *Can.* 4. De iis, qui vi sacrificaverunt, et præteréà ad idola pransi sunt, quicunque abducti quidem, et lætiore habitu accesserunt, et veste sumptuosiore usi sunt, et parati prandii, non ægrè id ferentes, participes fuerunt, visum est anno audire, tribus autem annis substerni, ac supplices esse, soli autem orationi duobus annis communicare, et tunc ad id quod est perfectum accedere.

(F) *Vide quæ excripsimus suprà litt.* (D)

S. Basil. *Epist.* 2. *Canon. ad Amph. Can.* 22. Ei autem qui mulierem vel vi, vel clàm à se vitiatam habet, necesse est fornicationi pœnas imponere : est autem in quatuor annis præfinitum fornicatoribus supplicium. Oportet autem eos anno primo à precibus expelli, et ipsos deflere ad fores Ecclesiæ. Secundo autem, ad auditionem admitti. Tertio, admitti ad pœnitentiam. Quarto ad congregationem cum populo, abstinentes ab oblatione, deindè eis permitti boni communionem.

3. Transacto secundo pœnitentiæ gradu, admittebantur pœnitentes ad publicas orationes Ecclesiæ, et ad Missam quæ Catechumenorum dicitur, de qua dicemus infrà. (*Hujusce Part. Sect.* 2. *Cap.* 7. §. 21.) Sed ante Missam fidelium solemniter dimittebantur, tanquam indigni participatione sacrosancti sacrificii. Sed antequam dimitterentur, fundebantur solemnes pro illis preces, ipsis interim in media navi Ecclesiæ palàm toto corpore prostratis. Ideoque gradus ille dicebatur substratio, gradus Prostratorum. Qui stabant in illo pœnitentiæ gradu dicebantur propriè Pœnitentes; quia sæpè priores duo prætermittebantur multis in Ecclesiis. (G)

4. Transacto tertio pœnitentiæ gradu, dabatur solemnis absolutio pœnitentibus, ut patet ex multis Conciliis : illamque absolutionem vulgò sacramentalem fuisse censent plerique Theologorum. Aderant deindè pœnitentes omnibus Ecclesiæ precibus, quin et ipsi Missæ sacrificio; sed nec ad communionem corporis Dominici, nec ab oblationem panis et vini admittebantur, nisi transacto hoc quarto pœnitentiæ gradu, qui idcircò dicebatur gradus Consistentium. (H)

Dùm quatuor hos gradus pœnitentiæ transigebant pœni-

(G) *Lege Auctoritates suprà allatas litt.* (D) *hocce* §.

Concil. Nicæn. *Can.* 13. Placuit hoc sancto et magno Concilio, de Catechumenis qui lapsi sunt, ut tribus annis inter audientes verbum sint tantummodò, post hæc verò orent cum catechumenis.

(H) Concil. Ancyr. *ann.* 314. *Can.* 16. *De iis, qui rationis expertia animalia inierunt, vel ineunt.* Quicunque priùs quàm viginti quidem annos nati essent, peccaverunt, postquàm 15. annis substrati ac supplices fuerint, (*adde* et in) communione 5. annis perseveraverint, oblationem attingant. Examinetur autem et eorum in substratione vita, et ita humanitatem consequantur. Si qui autem improbè ac malignè in peccatis fuerunt, longè substrationem habeant. Quicunque autem hanc ætatem transgressi, et habentes uxores, in hoc peccatum inciderunt, 20. annis substrati communionem ad preces exsequantur. Deindè cùm in precum communione 5. annos peregerint, oblationem assequantur. Si qui autem et mulieres habentes, et quinquagesimum annum transgressi, peccaverunt, in vitæ exitu communionem assequantur.

Concil. Agathens. *ann.* 506. *Can.* 60. Lapsis, id est, qui in Catholica fide baptizati sunt, si prævaricatione damnabili post in hæresim transierint, grandem redeundi difficultatem sanxit antiquitas. Quibus nos, annorum multitudine breviatâ, pœnitentiam biennii conditione infrà scriptæ observationis imponimus, ut præscripto biennio tertio sine relaxatione jejunent, et Ecclesiam studeant frequentare. In pœnitentium loco standi et orandi humilitatem ita noverint observandam, ut etiam ipsi, cùm catechumeni egredi commonentur, abscedant. Hoc si observare voluerint, constituto tempore admittendis ad altarium observatio relaxetur. Quòd si ardua vel dura fortè putaverint, statuta præteritorum Canonum implere debebunt.

Concil. Nicæn. *Can.* 11. De his qui negaverunt præter necessitatem, aut præter ablationem facultatum, aut præter periculum, vel aliquid hujuscemodi (quod factum est sub tyrannide Licinii), placuit sanctæ Synodo, licèt indigni sint misericordiâ, tamen aliquid circa eos humanitatis ostendi. Si quos ergo ex animo pœnitet, tribus annis inter pœnitentes (audientes *scilicet*) habeantur : si tamen fideles sunt, septem annis aliis inter pœnitentes (*seu* substratos) sint, duobus autem annis iidem sine oblatione in oratione sola participent populo.

tentes, interim tenebantur abstinere ab omni ludo, ab omni munere publico, ab omni ferè hominum consortio exsulare, sæpissimè pane et aquâ victitare, durum agere jejunium, aliquando per dies singulos, saltem per dies aliquot quâlibet hebdomadâ; eleemosynas erogare, statas preces fundere, omnia prout singulis habitâ ratione peccatorum, doloris, virium et conditionis aliis plus, minus aliis injungebantur. (I)

I. Quibus peccatorum generibus injungebatur olim pœnitentia publica?

R. Non una est ea de re Theologorum sententia. Singulorum opinionem expendere nostri non est instituti. Id dixisse sufficiat, paucis Theologis videri injunctam olim fuisse pœnitentiam publicam omnibus omninò peccatis mortalibus, sive publica illa forent, sive secreta. Alios opinari sola peccata publica, pœnitentiæ publicæ subjacuisse. Alios demùm, quod nobis probabilius videtur, existimare non alia peccata subjecta olim, quatuor scilicet primis Ecclesiæ seculis, pœnitentiæ publicæ fuisse, quàm Idololatriam, homicidium et adulterium; alia deindè his adjecta fuisse minus gravia. Sed ad septimum usque seculum, pœnitentiæ publicæ subjecta fuisse peccata omnia quorum pœnitentia sancita erat Canonibus, sive publica illa forent, sive secreta. Post septimum seculum mos invaluit publicam agendi pœnitentiam pro solis publicis peccatis, secretam pro secretis: et succedente tempore obsolevit tandem mos antiquus solemnium stationum, et graduum pœnitentiæ publicæ. (K)

(I) *Vide quæ attulimus suprà hocce* §. *litt.* (D. E. F. G.)

Concil. Nicæn. *Can.* 12. De his verò qui recedunt ex corpore, antiquæ legis regula observabitur etiam nunc, ita ut si fortè quis recedit ex tempore, necessario vitæ suæ viatico non defraudetur. Quòd si desperatus aliquis receptâ communione supervixerit, *sit inter eos qui in sola oratione communicant.*

S. Basil. *Epist.* 1. *ad Amphil. can.* 4. Oportet autem non eos omninò arcere ab Ecclesia, sed dignari auditione duobus, vel tribus annis: et posteà permittit quidem consistere, seu in fidelium esse congregatione: à boni communione abstinere, et sic postquam pœnitentiæ fructum ullum ostenderint, communionis loco restituere.

Can. 56. In quatuor annis solùm stabit cum fidelibus, sed non erit oblationis particeps. His autem expletis, erit sacramentorum particeps.

S. Cyprian. *Epist.* 16. *alias* 10. In minoribus peccatis agant peccatores pœnitentiam justo tempore, et secundùm disciplinæ ordinem ad exomologesin veniant, et per manûs impositionem Episcopi et Cleri, jus communicationis accipiant.

(K) *De his omnibus consule eximium Opus* R. P. Morini *Cong. Orat. Sacerd.* de Pœnitentia: R. P. Sirmondi *è Societate Jesu Historiam Pœnitentiæ publicæ*, Histoire de la Pénitence publique: *et* Natalis Alexandri Dominicani *Dissertationes in historiam Ecclesiasticam. Hi Auctores pro diversis utrinque opinionibus militant.*

§. 15. Quæ sit et fuerit semper mens Ecclesiæ in satisfactionum injunctione.

I. Cur adeò graves olim Ecclesia satisfactiones injungebat pœnitentibus ?

R. 1. Ut admissa crimina pœnis illis expiarent, solverentque debitam justitiæ divinæ satisfactionem.

2. Ut illis exemplis continerentur Christiani nondum lapsi.

3. Ut hinc major appareret peccati gravitas, et major incuteretur omnium animis horror peccati.

4. Ut qui pravis actibus proximorum conscientiam offenderant, satisfactionis publicæ voluntariâ susceptione prodessent.

5. Ut hâc salutari severitate quasi quodam freno, cohiberentur pœnitentes ab iteratis lapsibus.

6. Ut hâc diuturnâ et laboriosâ probatione pateret evidentiùs veritas conversionis. (A)

(A) S. Cyprian. *De lapsis, pag.* 94. Plectuntur interim quidam, quò cæteri corrigantur. Exempla sunt omnium, tormenta paucorum.

Pag. 96. Convertamur ad Dominum mente totâ, et pœnitentiam criminis veris doloribus exprimentes, Dei misericordiam deprecemur.... Iram et offensam ejus jejuniis, fletibus, planctibus, sicut admonet ipse, (*Joël* II. 12.) placemus.

Pag. 97. Agite pœnitentiam plenam : dolentis ac lamentantis animi probate mœstitiam.

Pag. 98. Superest pœnitentia, quæ satisfaciat.... Justis operibus incumbere, quibus peccata purgantur : eleemosynis frequenter insistere, quibus à morte animæ liberentur. (*Tob.* XII. 9.)

Epist. 30. *aliàs* 31. *versus finem.* Multùm illis proficiet petitio modesta, postulatio verecunda, humilitas necessaria, patientia non otiosa. Mittant legatos pro suis doloribus lacrymas ; advocatione fungantur ex intimo pectore prolati gemitus, dolorem probantes commissi criminis et pudorem.

S. Basil. Magn. *Epist. canon. ad Amphil. Can.* 3. In summa autem verior est medicina, recessus à peccato. Quare qui propter carnis voluptatem gratiam vilipendit, per carnis afflictionem et in omnis generis servitutem, temperantiam à voluptatibus deficiens à quibus fuit oppugnatus, perfectam suæ curationis demonstrationem efficiet. Nos ergo utrumque scire oportet, et quæ sunt summi juris, et quæ sunt consuetudinis : sequi autem in iis quæ summum jus non admittunt, formam traditam.

Can. 7. Eos autem qui in 30. annis propter immunditiam pœnitentiam egerunt, quam in ignorantia fecerunt, nos quidem nec eos esse recipiendos dubitare oportebat. Nam et ignorantia eos venià dignos facit, et spontanea confessio, tanti temporis diuturnitas. Ferè enim totâ hominis ætate Satanæ traditi sunt, ut discant non se turpiter gerere. Quamobrem jube eos absque dilatione suscipi, maximè si lacrymas habeant, quæ tuam clementiam moveant et vitam misericordiâ dignam ostendant.

Can. 75. Qui cum propria ex patre vel ex matre sorore pollutus est, in domum orationis ne permittatur accedere, donec ab iniqua et nefaria actione desistat. Postquam autem in horrendi peccati sensum et animadversionem venerit, triennio defleat, stans propter fores domûs oratoriæ, et rogans populum ingredientem ad orationem, ut unusquisque pro ipso misericorditer ad Dominum intensas fundat preces. Posteà autem alio triennio ad solam auditionem admittatur, et Scripturam ac doctrinam audiens ejiciatur, et nec oratione dignus habeatur. Deindè si quidem illam cum lacrymis exquisivit, et Domino cum cordis contritione et validâ humiliatione suppiex procedit, detur ei substratio in aliis tribus annis : et sic postquam pœnitentiæ fructus dignos ostenderit, decimo

I. Debentne etiamnum tam graves injungi satisfactiones ?

R. Non debent ; nam Ecclesia habitâ ratione infirmitatis humanæ, multum de antiqua severitate remisit. (B) 1. Non anno in fidelium orationes suscipiatur sine oblatione ; et cùm duobus annis unà cum fidelibus ad orationem substiterit, sic deinceps dignus habeatur boni communione.

Can. 84. Hæc autem omnia scribimus, ut pœnitentiæ eorum fructus probetur. Non enim hoc omninò tempore judicamus, sed modum pœnitentiæ attendimus. Quòd siqui à propriis moribus non facilè avellantur, et carnis voluptatibus, potiùs quàm Deo servire voluerint, vitamque ex Evangelio institutam non admittant, nulla est nobis cum illis communis ratio. Nos enim in inobediente, et contradicente populo audire docti sumus, *servans, serva animam tuam.* (*Gen.* XIX. 17.)

Can. 85. Ne itaque cum eis perire in animum inducamus. Sed grave judicium formidantes, et terribilem Dei retributionis diem præ oculis habentes, ne velimus unà cum alienis peccatis perire. Si enim nos non docuerunt terribilia Dei, nec tot plagæ nos in sensum deduxerunt, quòd propter nostram iniquitatem nos dereliquit Dominus, et tradidit in manus barbarorum : et populus ad hostes captivus adductus est, et dispersioni traditus, eò quòd ea audebant qui Dei nomen circumferebant : si non noverunt, nec intellexerunt, quòd propter hæc venit in nos ira Dei : quæ est nobis communionis cum his ratio ? Sed et noctu, et interdiu, et publicè, et privatim ipsis testificari debemus : cum eorum autem improbitatibus abire nolumus, eos quidem lucrifacere optantes, et à mali laqueo eripere. Sin autem hoc non possumus, studeamus nostras animas ab æterna condemnatione servare.

S. LEO MAGN. *Epist.* 83. *aliàs* 91. *ad Theodor. cap.* 2. Per pœnitentiæ medicinam spes vitæ reparetur æternæ, ut qui regenerationis dona violassent, propriè se judicio condemnantes, ad remissionem criminum pervenirent.

CONCIL. TRIDENT. *Sess.* 14. *cap.* 8. Magnoperè à peccato revocant, et quasi freno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque et vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt ; medentur quoque peccatorum reliquiis, et vitiosos habitus, malè vivendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollunt. Neque verò securior ulla via in Ecclesia Dei unquam existimata fuit ad amovendam imminentem à Domino pœnam, quàm ut hæc pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent.... Habeant autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantùm ad novæ vitæ custodiam, et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, et castigationem : nam claves Sacerdotum non ad solvendum duntaxat, sed et ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres et credunt, et docent.

Can. 13. Si quis dixerit, pro peccatis, quoad pœnam temporalem, minimè Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis, et patienter toleratis, vel à Sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideò optimam pœnitentiam esse tantùm novam vitam ; anathema sit.

Can. 15. Si quis dixerit claves Ecclesiæ esse datas tantùm ad solvendum, non etiam ad ligandum : et propterea Sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem clavium et contra institutionem Christi, et fictionem esse, quòd virtute clavium sublatâ pœnâ æternâ, pœna temporalis plerumque exsolvenda remaneat ; anathema sit.

(B) S. CAROL. *Act. Eccles. Mediol.* 1. *part.* 2. *Tit. Quæ pertinent ad sacramenti pœnitentiæ administrationem.* Confessores Canones pœnitentiales benè noverint : et de pœnitentia, quam cuique peccato præscripserunt, confitentes admoneant, ut tantò diligentiùs à peccatis cavere studeant, quantò in pœnitentiis Canonum mitigandis, benigniorem in se Ecclesiam experiuntur.

Part. 4. *in Instruct. Pœnitent. pag.* 433. Pœnitentis prætereà culpas graves perpendenti sibi ob mentis oculos proponet (*Sacerdos*) Canones pœnitentiales, qui lumen et sibi, et pœnitenti quoque afferant ; quò videant, quemadmodùm pro peccati ratione, pœnitentia et imponenda,

amplius exigit satisfactionem adeò gravem, adeò diuturnam : 2. Ritus ille antiquus pœnitentiæ publicæ, stationes et gradus pœnitentium, et cætera ejusmodi ad pœnitentiæ solemnitatem pertinentia jam pridem exoleverunt.

Sed cave, ne propterea putes omninò remissam esse Ecclesiæ severitatem circa satisfactiones injungendas.

1° Enim præcipit pœnitentiam publicam pro publicis peccatis injungi arbitrio Episcopi. *Quando ab aliquo publicè et in multorum conspectu crimen commissum fuerit, undè alios scandalo offensos commotosque fuisse non sit dubitandum, huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publicè injungi oportet ; ut quos exemplo suo ad malos mores provocavit, suæ emendationis testimonio ad rectam revocet vitam.* Verba sunt Concilii Tridentini. (*Sess.* 14. *cap.* 8.) (C)

et suscipienda sit. Eorum Canonum tamen pœnitentias, ut tempora ferunt, pro charitate et prudentia sua minuet, prout peccati, et peccatoris circumstantiæ requirent : in quibus, præter eas quæ paulò antè demonstratæ sunt, rationem etiam habebit contritionis ejus, qui peccavit. Demonstrabit tamen iis qui graviùs peccarint (quò magis scelerum suorum magnitudinem agnoscant) quanta ipsis pœnitentia ex Canonum imponenda esset : nec verò peccata levia esse, quia parva illis pœnitentia data est : sed hoc factum esse, ne eam, quæ pro culparum ratione injungenda erat, deserant cum periculo salutis suæ. Proinde pœnitentes ideò hortandi erunt, ut præter pœnitentiæ opera imposita, plura etiam alia præstare conentur.

In Instruct. Confess. pag. 655. Pro imponenda pœnitentia prudens esse debet Confessor ; nec ita levem adhibeat, ut clavium potestas inde contemnatur, et ipse peccatorem alienorum evadat particeps ; nec ita etiam gravem aut diuturnam, ut pœnitentes ei obsequi recusent, aut acceptam ex integro non exsequantur. Ideò Sacerdos Canones pœnitentiales consulet, quibus licèt cum prudentia, discretione et modo pro pœnitentis contritione, qualitate, statu, aliisque circumstantiis uti debeat, observandi tamen sunt, ita ut juxta eos quasi traditam sibi regulam Sacerdos se gerat prout expedire ei visum fuerit ; et quando pœnitentiam Canonum rigori omninò conformem non imponet, eam tamen pœnitenti significabit, ut ad contritionem eum moveat, et leviorem injunctam pœnitentiam ipse ardentiùs exsequatur ; motus scilicet ex hodiernæ Ecclesiæ benignitate, quâ antiquioris disciplinæ rigor mitigatur.

(C) Concil. Provincial. Mediol. I. *sub S. Carolo, ubi suprà pag.* 2. Idem quemadmodum à sancta Tridentina Synodo jussum est, publicè peccantibus publicam Pœnitentiam imponant ; neque illud publicæ pœnitentiæ genus, nisi datâ ab Episcopo facultate, secretâ aliâ pœnâ commutare audeant.

Concil. Provinc. Mediol. III. *Tit. De iis quæ ad Pœnit. sacram. pertinent, pag.* 73. Studeat Episcopus ad sacrorum Canonum, et Tridentini Concilii præscriptum, pro publicorum delictorum gravitatis ratione, et publicam et solemnem pœnitentiam in usum revocare.

S. Carol. *Act. Eccles. Mediol. part.* 4. *in Instr. Pœnit pag.* 433. Si quis igitur graviter, publicèque peccarit ; cum publicam pœnitentiam restituendam esse sacra Tridentina Synodus decernat, ei publicam pro ratione criminis inponet. Si cui autem, cùm publicè offenderit, pœnitentia publica imponenda est, is ab ea longè refugiat ; ne desistat propterea persuadere, ut suscipiat : si minus persuasionibus potest, consulat Archiepiscopum.

In Instruct Confess. Act. Eccles. Mediol. part. 4. *pag.* 656. Sed nequaquam publicos, aut scandalosos peccatores Sacerdos absolvat, nisi publicâ satisfactione, et peccato proportionatâ impositâ, ut eâ dato scandalo

2° Vult omninò Ecclesia Sacerdotes ex mente sanctorum Patrum et Canonum pœnitentiæ et satisfactionis gravitatem ex scelerum gravitate metiri, ita ut satisfactio quantùm fieri potest cum peccato conveniat. Audienda verba Concilii Tridentini. (*Sess.* 14. *cap.* 8.) *Debent*, inquit, *Sacerdotes Domini quantùm spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et pœnitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones injungere : ne si fortè peccatis connivcant et indulgentiùs cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.*

Notent maximè hæc ultima verba Sacerdotes, imò et pœnitentes : his ferè similia reperiuntur apud S. Cyprianum, S. Ambrosium, cæterosque SS. Patres antiquissimos, qui homicidas et carnifices appellare non dubitant Sacerdotes illos qui indulgentiùs agunt hac in parte cum pœnitentibus. (D)

satisfiat, sicut post Concilium Tridentinum, in primo, et tertio Concilio nostro statuimus : nec eas satisfactiones seu pœnitentias publicas, in secretas commutare quis præsumat, nisi specialem à nobis ea de re facultatem obtinuerit.

(D) S. Cyprian. *De Lapsis pag.* 91. Qui peccantem blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem subministrat : nec comprimit delicta ille, sed nutrit.... Emersit.... novum genus cladis... accesit ad cumulum sub misericordiæ titulo malum fallens, et blanda pernicies.

Epist. 16. *aliàs* 10. *pag.* 195. Hæc qui subtrahit fratribus nostris, decipit miseros ; ut qui possunt agentes pœnitentiam veram, Deo quà patri et misericordi precibus et operibus suis satisfacere, seducantur ut magis pereant ; et qui erigere se possent, plus cadant.

Epist. 55. *aliàs* 52. *ad Anton. pag.* 247. Cujus (*Dei*) pietatem et clementiam cogitantes, non acerbi adeò, nec duri, nec in fovendis fratribus inhumani esse debemus : sed dolere cum dolentibus, cum flentibus flere, (*Rom.* xii. 15.) et eos quantùm possumus auxilio et solatio nostræ dilectionis erigere ; nec adeò immites et pertinaces ad eorum pœnitentiam retundendam, nec iterùm soluti et faciles ad communicationem temerè laxandam.

S. Ambros. *lib.* 2. *de Pœnit. cap.* 9. *n.* 87. Nonnulli ideò poscunt pœnitentiam, ut statim sibi reddi communionem velint. Hi non tam se solvere cupiunt, quàm Sacerdotem ligare ; suam enim conscientiam culpâ non exuunt, et Sacerdotis induunt, cui præceptum est : (*Matth.* vii. 6.) *Nolite sanctum dare canibus, neque miseritis margaritas vestras ante porcos*, hoc est, immundis impuritatibus sacræ communionis non impertienda consortia.

S. Carol. *in Instruct. Confess. Act. Eccles. Mediol. part.* 4. *pag.* 655. *Vide suprà hocce* 2. *litt.* (B)

In Instruct. Pœnit. titulo, De modo imponendæ Pœnitentiæ, pag. 433. Cùm hæc Parochus, pro prudentiâ, charitateque suâ spectabit, tum verò maximè videbit, ut ne pro peccatis gravibus levissimas pœnitentias imponat ; id quod et Confessoribus, et pœnitentibus periculosum est : cùm id à sacris litteris, et à Conciliorum decretis, et à sanctorum Patrum sententia alienum sit : nam divinæ litteræ, ab iis qui pœnitentiam agunt, hoc efflagitant, *ut fructus dignos pœnitentiæ faciant*, (*Luc.* iii. 8.) utque *ad Dominum convertantur in jejunio, fletu et planctu.* (*Joël.* ii. 12.) Et verò qui peccatis gravibus leves quosdam pœnitentiæ modos imponunt, hi (canon inquit) *consuunt pulvillos, secundùm propheticum sermonem*, (*Ezech.* xiii. 18.) *sub omni cubito manûs, et faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas.* Immò Concilium Tridentinum docet, alienorum participes fieri eos Confessores, qui dum cum

I. Potestne ulla unquam esse convenientia inter satisfactiones nostras, quantæcunque illæ sint, et peccata vel minima?

R. Non potest quidem, si satisfactiones nostræ separentur à satisfactione Christi : secùs si jungantur cum Christi satisfactione, à qua, ut jam diximus, vim omnem habent et efficaciam. Unde *nemo unquam Catholicus sensit*, inquit Tridentina Synodus (*Sess.* 14. *cap.* 8. *in fine*), *ex hujusmodi nostris satisfactionibus, vim meriti et satisfactionis Domini J. C. vel obscurari, vel aliqua ex parte imminui.*

I. Quid ergo intelligit Concilium Tridentinum, dum salutares et convenientes peccatis satisfactiones ait injungi oportere?

R. Nihil aliud nisi satisfactiones vel graviores vel leviores esse injungendas pro qualitate criminum et pœnitentium facultate.

I. Quales satisfactiones injungi debent ex mente Concilii Tridentini?

R. Satisfactiones quæ sint simul et pœna et remedium peccati, et vitæ novæ custodia et præsidium. Sic enim loquitur Concilium : (*Ibid.*) *Habeant autem præ oculis* (Sacerdotes) *ut satisfactio quam imponunt, non sit tantùm ad novæ vitæ custodiam, et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam et castigationem.*

Sunt autem ad novæ vitæ custodiam, cùm tales sunt ut peccatorem abstrahant à peccato ; quales sunt, segregatio ab hominum consortio, lectiones piæ, orationes, fuga occasionum peccati.

Sunt ad infirmitatis medicamentum, cùm contraria opponuntur exercitia peccatis : si, verbi gratiâ, præcipiantur superbis humilitatis actus, otiosis labor, impudicis jejunia, etc.

Sunt ad peccatorum castigationem, cùm aliquem habent sive in diuturnitate sive in difficultate satisfactionis adjunctum laborem ; quales sunt satisfactiones suprà dictæ : nihil enim obstat eodem satisfactionis genere injungi pœnitentibus præteriti peccati remedium, et castigationem, et vitæ novæ custodiam. (E) Habitâ horum satisfactionum ratione,

pœnitentibus indulgentiùs agunt, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungunt.

(E) S. Carol. *Act. Eccles. Mediol. part.* 4. *in Instruct. Pœnit. Titul. De modo imponendæ Pœnit. pag.* 433. Injungel præterea pœnitentiam pro culpæ et personæ ratione : ita ut superbis humilitatis opera : carnis voluptatem sectantibus, jejunia, abstinentiam, cilicii gestationem, aliamque corporis maceralionem, pro peccati gravitate indicat : in oratione negligentibus, ut singulis diebus manè saltem, et vesperè orationi vacent... mundi pompas, choreas, aliaque opera satanæ consectantibus, eam pœnitentiam imponet, ut in hebdomada manè certis diebus (id quod in singulos dies etiam faciendum esse gravissimè Beatus Chrysostomus monet) sanctâ meditatione sibi propositâ, solemnem illam sponsionem, quam per compatres in Baptismo sanctè fecerunt, redintegrent, intimè Deum precando : in qua precatione, firmo stabilique

Concilium Tridentinum (*Sess.* 6. *cap.* 14. *Sess.* 14. *cap.* 2.) post celeberrimos sanctæ Ecclesiæ Patres, Pœnitentiæ sacramentum *secundam post naufragium deperditæ gratiæ tabulam et laboriosum baptismum* vocat.

§. 16. De Canonibus Pœnitentialibus.

I. Quam olim regulam sequi tenebantur Sacerdotes in injunctione satisfactionis ?

R. Tenebantur omninò in satisfactionum injunctione sequi Canones Pœnitentiales, id est, leges Pœnitentiæ et satisfactionis pro singulis peccatis ab Ecclesia præscriptas. Ideoque non licebat Sacerdoti Canones illos ignorare. (A)

animi proposito statuant, se Christo Domino adhærere, renuntiareque iterùm atque iterùm seculi pompis, operibus tenebrarum, et Diabolo in primis ; cui se adversarios esse et professi sunt, et profitentur perpetuò.

Instruct. Confess. pag. 656. Faciat (*Confessor ut*) imposita pœnitentia, peccatis respondeat : ita pro peccatis luxuriæ, injungantur jejunia, vigiliæ, peregrinationes, cilicii usus, aliaque hujus modi corpori macerando propria. Pro avaritiæ peccato præter debitas restitutiones, eleemosynæ pro cujusque facultatibus imponantur. Sanandæ superbiæ aliisque peccatis spiritualibus oratio adhibeatur, quâ coram Deo, vires, et vigor acquiruntur quibus his peccatis obsistatur. Pro negligentia rerum Christianarum quas ignorant, conciones audiant, et per aliquod tempus doctrinæ scholas frequentent. Indevotis, et tepidis, juvabit imponere, ut Ecclesias, divinaque officia oraturi sæpiùs adeant. Blasphemis in primis pœnitentia pro criminis gravitate major imponatur, ut sacri Canones, et potissimùm Concilium Lateranense, et sancti Patres ante nos statuêre. Debet ideò Sacerdos prudens ad personarum qualitatem respicere, pauperibus eleemosynas non imponendo, nec iis qui ex proprio labore victum quærunt jejunia indicantur, quod et in aliis pœnitentiis observandum.

(A) S. Cælest. *Epist.* 3. *n.* 1. *tom.* 2. *Concil. Labb. col.* 1622. Nulli Sacerdotum suos liceat Canones ignorare, nec quidquam facere, quod Patrum possit regulis obviare. Quæ enim à nobis res digna servabitur, si Decretalium norma constitutorum, pro aliquorum libitu, licentiâ populis permissâ, frangatur?

Concil. VI. Paris. *ann.* 829. *Can.* 22. *Tom.* 7. *Concil. Labb. pag.* 1621. Quoniam multi Sacerdotum partim incuriâ, partim ignorantiâ, modum pœnitentiæ reatum suum confitentibus secùs quàm jura canonica decernant imponunt, utentes scilicet quibus codicillis contra canonicam auctoritatem scriptis, quos pœnitentiales vocant : et ob id non vulnera peccatorum curant, sed potiùs foventes palpant, incidentes in illud propheticum : *Væ qui consuunt pulvillos sub omni cubito manûs, et faciunt cervicalia ad decipiendas animas :* (*Ezech.* xiii. 18.) omnibus nobis salubriter in commune visum est, ut unusquisque Episcoporum in sua Parochia eosdem erroneos codicillos diligenter perquirat, et inventos igni tradat, ne per eos ulteriùs Sacerdotes imperiti homines decipiant. Sacerdotes porrò, qui aut muneris, aut amoris, aut timoris, aut certè favoris causâ, tempora modumque pœnitentiæ ad libitum pœnitentium inducunt, audiant quid Dominus per Ezechielem Prophetam terribiliter dicat : (*Ibid.* 8. 9. *et* 10.) *Hæc dicit Dominus Deus : Quia locuti estis vana, et vidistis mendacium : ecce ego ad vos, ait Dominus Deus : Et erit manus mea super Prophetas qui vident vana et divinant mendacium. In consilio populi mei non erunt, et in scriptura domûs Israël non scribentur, nec in Israël ingredientur : et scietis quia ego Dominus Deus. Eò quòd deceperint populum meum dicentes : Pax, pax, et non est pax.* Et post non multa : (*Ibid.* 18. *et* 19.) *Cùm caperent animas populi mei, vivificabant animas eorum, et violabant me ad populum meum propter pugillum hordei et fragmentum panis, ut interficerent animas quæ non moriuntur, vivificarent animas quæ non vivunt, mentientes populo meo credenti mendaciis.* Presbyteri etiam imperiti solerti

I. Debentne etiamnum illorum habere notitiam ?

R. Debent certè Sacerdotes, quin et expedit eos à cæteris fidelibus non omninò ignorari. (B)

Sacerdotes quidem debent eorum habere notitiam : 1. Ut eorum saltem mentem assequantur : 2. ut in pœnitentia injungenda de eorum severitate remittant quidem, sed tamen non discedant longiùs, et utantur iis canonibus quasi regulâ quâdam ad peccati gravitatem dignoscendam.... 3. *Ut pœnitentibus demonstrent* (*quò magis ipsi scelerum suorum magnitudinem agnoscant*) *quanta ipsis pœnitentia ex Canonum regulis esset imponenda ; nec verò putent peccata sua levia jam esse, quia parva illa pœnitentia data est : sed hoc factum esse, ne eam, quæ pro culparum ratione injungenda erat, deserant cum periculo salutis suæ.* Ita S. Carolus Borromæus in Instructione pœnitentiæ. (C)

Expedit et fideles aliquam habere cognitionem Canonum pœnitentialium ; ut ipsi per se ex eorum lectione intelligant quæ fuisset olim ipsis pro peccatis injuncta pœnitentia, atque ita sentiant magis peccatorum suorum gravitatem, et libentiùs exinde amplectantur opera satisfactoria, dignosque fructus pœnitentiæ faciant. (*Luc.* III. 8.)

I. Fueruntne Canones illi diù in usu ?

R. Non omnes sunt ejusdem antiquitatis : non omnes ubique invaluerunt : non omnes in eadem regione conditi sunt. Et hæc quidem ratio est, cur ex illis quidam satisfactionem leviorem pro peccatis gravioribus, graviorem pro levioribus injungere videantur. Nimirùm non una ubique fuit in satisfactionum injunctione disciplina : et in pœnis statuendis habuit, ut par est, Ecclesia rationem circumstantiarum, quæ variæ fuerunt pro variis temporibus et regionibus. (D)

studio ab Episcopis suis instruendi sunt, qualiter et confitentium peccata discretè inquirere, eisque congruum modum secundùm canonicam auctoritatem pœnitentiæ noverint imponere. Quoniam hactenùs eorum incuriâ et ignorantiâ multorum flagitia remanserunt impunita : et hoc ad animarum ruinam pertinere dubium non est.

Idem leges 1. CAPITULAR. *cap.* 32.

(B) CONCIL. BITURIC. *ann.* 1584. *Tit. de Pœnitentia et ejus partibus, Can.* 9. Sacerdotes Canones pœnitentiales discant, ut modum et rationem pœnitentiæ injungendæ meliùs intelligant.

S. CAROLUM *vide* §. *præcedenti litt.* (B)

(C) S. CAROLUM *vide* §. *superiore litt.* (B)

(D) *Hic exhibemus* CANONES POENITENTIALES, *qui jacent in calce* DECRETI GRATIANI, *cum hac præfat.* Canones instruunt in generali, quomodo est pœnitentia imponenda : sed descensum ad singularia Presbyteris discretis relinquunt, qui considerant circumstantias personarum, attendentes ad Canones sicut ad regulas directivas : quia si contra Canones imponant, non rectè imponunt. Nulli ergo Presbytero licet facere aliquid quod possit Patrum regulis obviare... In canonibus autem maximè determinatur pœnitentia quoad tempus : et magis quàm quoad modum : quia illa determinatio est certior et communior : hæc Bonaventura. Ut ergo scias qualiter debeat procedere arbitrium Presbyteri, nota regulariter, sicut dictum est suprà, septennis est pro peccato mortali pœnitentia imponenda.... Hujusmodi autem pœnitentia non est omnibus impo-

nenda, nec tamen est infirmanda : sed est insinuanda, ut cognoscatur quàm gravis est culpa ; hæc Bonaventura. Licèt autem pro singulis peccatis criminalibus sit statuta talis pœnitentia, debet tamen imponi magis vel minùs aspera, prout majoritas criminis cum cæteris circumstantiis hoc exposcit, ut in sequentibus patet. A prædicta namque regula excipiuntur plurimi casus, in quibus propter dignitatem peccantis vel criminis enormitatem imponitur pœnitentia major : aliquando etiam ex variis causis minor. Ad hoc ergo quòd Presbyter circa pœnitentias disponendo cautiùs arbitretur, notandi sunt casus, in quibus per Canones certæ pœnitentiæ imponuntur, quos scilicet Canones tenetur Presbyter scire, ut dictum est suprà. Sunt autem isti.

Primus est, quòd si Presbyter fornicationem fecerit, pœnitentiam decem annorum faciat hoc modo : scilicet, quòd sit inclusus, sive à cæteris in aliquo loco remotus : sacco indutus et humi prostratus, misericordiam Dei implorans, primis tribus mensibus continuis à vespera in vesperam pane et aquâ utatur, exceptis Dominicis diebus et festis præcipuis, in quibus modico vino, pisciculis, et leguminibus recreetur. Elapsis autem sic tribus primis mensibus de illo loco exeat, non tamen in publicum procedat, ne populus in eum scandalizetur. Et per hoc videtur, quod in publico crimine loquatur. Post hoc resumptis viribus aliquantulùm, unum annum et dimidium in pane et aqua expleat, exceptis Dominicis et aliis præcipuis festis, in quibus vino, sagimine, ovis et caseo poterit uti. Finito sic primo anno et dimidio, particeps sit corporis Domini, et ad pacem veniat, et ad Psalmos cum aliis fratribus canendos in choro ultimus recipiatur. Ad cornu tamen altaris non accedat : sed minorum ordinum tantùm officia gerat : deindè usque ad completionem septimi anni tres legitimas ferias, scilicet secundam, quartam et sextam, exceptis diebus Paschalibus, qui sunt quinquaginta, in pane et aqua jejunet : secundam tamen feriam uno psalterio vel denario si sit operarius redimere poterit. Et sic cùm septimum annum compleverit, potest eum Episcopus ad gradum pristinum revocare : ita tamen quòd in tribus annis sequentibus sine ulla redemptione omni sextâ feriâ in pane et aqua jejunet. Et eadem pœnitentia imponenda est Presbytero de omnibus aliis peccatis, quæ depositionem inducunt.

Secundus casus est, si Presbyter cognovit filiam suam spiritualem : quam scilicet baptizavit, vel in Baptismo, vel in Confirmatione tenuit, vel quæ sibi confessa fuit, debet pœnitentiam agere 12. annis : et etiam debet deponi, si crimen sit manifestum : et peregrinando 15. annis pœniteat, et posteà monasterium intret, totâ vitâ suâ moraturus ibidem. Episcopus verò qui talia commisit, pœniteat 15. ann. Ipsa verò mulier debet omnia relinquere, et res suas pauperibus dare, et conversa usque ad mortem in monasterio Dei servire.

Tertius est, quòd quicunque filiam suam spiritualem, vel matrem cognoscit septem annis pœniteat, et similiter ei consentientes.

Quartus est, quòd qui contrahit cum aliqua alii desponsata per verba de præsenti : ipsa dimissa, 40. diebus jejunet in pane et aqua : et sequentibus septem annis pœniteat.

Quintus est, quòd qui cognoscit duas commatres, vel sorores : sive uxor vivat, sive non, ad minus 7. annis pœniteat, licèt plus deberet.

Sextus est, quòd qui cognovit monialem sive devotam, 10. ann. pœniteat : et similiter ipsa.

Septimus est, de eo qui ignoranter cognoscit duas sorores, vel matrem et filiam, vel amitam et neptem ; pœniteat 7. annis. Si autem scienter, perpetuò privetur conjugio.

Octavus est, quòd qui duxit in uxorem eam quam polluit per adulterium, pœniteat 5. annis.

Nonus est, quòd qui contra naturam peccavit, si sit clericus, debet deponi vel religioni tradi, si corrigibilis appareat ad perpetuam pœnitentiam peragendam. Si verò sit laïcus, à cœtu fidelium usque ad condignam satisfactionem debet fieri alienus.

Decimus est, quòd qui coierit cum brutis, pœniteat plus quàm 7. annis : et similiter pro incestu.

Undecimus est, quòd Presbyter, qui interest clandestinis nuptiis triennio suspenditur : et si culpa exegerit, gravius punietur.

Duodecimus est, quòd qui votum simplex violaverit, pœniteat 3. annis.

Decimus tertius est, quòd qui excommunicatus celebraverit, debet triennio pœnitere, et per 2. 4. et 6. feriam à vino et carnibus abstinere.

Decimus quartus est, quòd homicida voluntarius sine spe restitutionis deponitur, et pœniteat 7. annis.

Decimus quintus est, quòd homicida casualis pœniteat 5. annis.

Decimus sextus est, quòd si quis fecerit homicidium propter necessitatem inevitabilem, pœniteat duobus annis.

Decimus septimus est, quòd matricida pœniteat 10. annis... uxoricidæ verò gravior pœnitentia debet imponi. Talis enim, et qui dominum occidit nunquam equitat, nec vehiculo portatur, nec matrimonium contrahit: usque ad 10. annos carnem non comedit, nec vinum bibit.... Sed qualem pœnitentiam agere debent, qui filios occidunt? *Resp.* Aut est certum quòd ipsimet scienter interfecerunt, et sic debet eis imponi pœnitentia major quàm pro alio homicidio... Et si pater sit clericus, ab officio altaris debet perpetuò abstinere, et ei gravior quàm laïco, non tamen publica (nisi veniat id in publicum) pœnitentia debet imponi, (ut extrà, de pœnitentia, *quæsitum.*) Aut certum est, quòd non interfecerunt sponte, nec in culpa fuerunt, sed casu fortuito contigit: et sic de stricto jure in nullo tenentur; nisi velint ad cautelam pœnitere: in dubio tamen præsumitur, quòd non hoc ex certa scientia, sed potiùs ex incuria provenerit... Aut certum est, quòd non exhibuerunt omnem diligentiam quam potuerunt et debuerunt: et sic culpa præcessit casum. Et si sit gravis culpa, ut si posuit puerum in medio utriusque, secundùm arbitrium Pœnitentiarii, imponitur pœnitentia quinque vel septem annorum.... occulta, si sit occultum: publica, si sit publicum; et major, si in lecto suffocetur, quàm si in cunis.... Monendi ergo sunt parentes, quòd tam tenellos secum in uno non collocent lecto, ne quâlibet negligentiâ interveniente opprimantur et suffocentur.... Quid de illis qui filios vel servos suos infantes, vel etiam adultos languidos relegatâ pietate exponunt, id est, extra se ponunt ante Ecclesias, ut aliqui moti misericordiâ colligant eos? *Resp.* Tales graviter peccant: quia cùm ignoretur sæpè consanguinitas expositorum, contrahere possent matrimonium cum sorore vel consanguinea: ideò exponens tenetur de hoc peccato pœnitere: et est puniendus, sicut expositus, si scienter cum tali contraheret, puniretur.

Decimus octavus est, quòd qui Presbyterum interficit pœniteat 12. ann.

Decimus nonus est, quòd qui injustè alium ad mortem accusat, 40. diebus in pane et aqua per 7. ann. jejunet et pœniteat; et hoc si accusatus occisus sit. Si autem tantùm membrum perdiderit, triennio pœniteat.

Vigesimus est, quòd perjurus 40. diebus in pane et aqua jejunet, et 7. annis sequentibus pœniteat: et semper debet esse in pœnitentia, scilicet interiori.

Vigesimus primus est, quòd qui compulsus conditionaliter à domino, scienter pejerat, si liber sit 40. diebus in pane et aqua jejunet: et pœniteat 7. annis sequentibus. Si verò servus sit ejus, qui eum cogerit, tribus quadragesimis, et legitimis feriis, scilicet 2. 4. et 6.

Vigesimus secundus est, quòd qui pejerat in manu Episcopi, vel in cruce consecrata, pœniteat 3. ann. Si verò in cruce non consecrata, uno anno. Qui verò coactus et ignorans ignorantiâ juris et posteà cognoscit, pœniteat tribus quadragesimis. Qui verò coactus pro vitâ redimenda:... quia corpus magis quàm animam dilexit, tribus quadragesimis pœniteat.

Vigesimus tertius est, quòd qui falsum scienter jurat, vel alium jurare cogit diebus 40. pœniteat in pane et aqua: et 7. sequentibus annis nunquam sit sine pœnitentia, scilicet interiori. Alii etiam si conscii fuerint, similiter pœniteant.

Vigesimus quartus est, quòd qui mensurat in falsa mensura 30. diebus in pane et aqua jejunet.

Vigesimus quintus est, quòd qui frangunt pœnitentiam solemnem, sive redeundo ad crimina priora, vel similia; sive redeundo ad negotiationem, vel militiam secularem, quæ sibi fuerant interdicta: solâ intra Ecclesiam fidelibus oratione junguntur, à communione suspenduntur, à Catholicorum conviviis separantur, et pœnitere debent 10. ann. et communicent in fine vitæ.

Vigesimus sextus est, quòd qui canit Missam, et non communicat, debet uno anno pœnitere, et interim Missas non cantare.

Vigesimus septimus est, quòd Presbyter qui mortuum clericum involvit in palla altaris, pœniteat 10. annis et mensibus 5. Diaconus verò triennio et dimidio.

Vigesimus octavus est, quòd qui committit sacrilegium Ecclesiam violando, vel chrisma, vel calicem sacrum pollutis manibus accipit, vel similia sacrilegia committit, pœniteat 7. annis; primo anno extra cœmeterium, quod violavit, consistat: secundo anno ante fores Ecclesiæ: tertio in Ecclesia: et in hoc triennio carnes non comedat, vinum non bibat, nisi in Pascha vel Natali; non offerat, nec communionem accipiat: quarto anno communicabit et in illo in 4. et 6. et 7. tribus feriis à carnibus et vino abstineat jejunando.... Comburens autem Ecclesiam, 15. annis pœniteat, et eam restituat.

Vigesimus nonus est, quòd si parentes frangunt sponsalia filiorum, à communione triennio separentur: et similiter filii si sint in culpa.

Trigesimus est, quòd qui blasphemaverit publicè Deum vel aliquem Sanctorum, et maximè beatam Virginem, illi debet Episcopus hanc pœnitentiam injungere: scilicet ut 7. diebus Dominicis præ foribus Ecclesiæ in manifesto dum Missa cantatur, existat, et ultimo illorum dierum Dominicorum pallium et calceamenta deponat, et corrigiam ligatam circa collum habeat, et 7. præcedentibus sextis feriis in pane et aqua jejunet, Ecclesiam nullatenùs ingressurus: et quolibet prædictorum dierum tres pauperes, vel duos, vel saltem unum reficiat, si potest; et si non potest, hæc pœna in aliam commutetur: quòd si renuerit agere omnia supradicta, interdicatur sibi Ecclesia: et in morte privetur Ecclesiasticâ sepulturâ.

Trigesimus primus est, de Presbytero qui revelat confessionem, quòd de jure antiquo debet deponi; et omnibus diebus vitæ suæ ignominiosus peregrinari.

Trigesimus secundus est, quòd qui in dicendis horis canonicis et aliis officiis divinis discrepat à consuetudine propriæ Metropolitanæ Ecclesiæ, 6. mensibus privatur communione, si hoc accidat ex contemptu.

Trigesimus tertius est, quòd Episcopus qui ordinat sine justa causa clericum invitum aut reclamantem, vel penitùs invitum, absolutè suspenditur uno anno.

Trigesimus quartus est, quòd Episcopus, qui correctionem de venditione ministeriorum dissimulat, 2. mensibus: Presbyteri 4. Diaconi 3. Subdiaconus et cæteri ad arbitrium judicis pœnitere debent.

Trigesimus quintus est, quòd sortilegus 40. diebus pœniteat.

Trigesimus sextus est, quòd qui videt in astrolabio, pœniteat duobus annis.

Trigesimus septimus est, de stilla sanguinis altaris cadentis super terram, vel aliquid aliud propter negligentiam Presbyteri: debet presbyter pœnitere 40. diebus. Si ceciderit super pallio altaris, pœniteat 4. diebus.

Trigesimus octavus est, quòd si aliquis evomit Eucharistiam propter ebrietatem et voracitatem; si laïcus, pœniteat 40. diebus: si Clericus, vel Monachus, vel Presbyter, vel Diaconus, pœniteat 70. diebus: si Episcopus, pœniteat 90. diebus: et debet evomitura comburi et juxta altare collocari. Si verò causâ infirmitatis evomuerit, septem diebus pœniteat.

Quadragesimus est, quòd qui domum vel aream voluntariè succendit, sublata vel incensa omnia restituat, et tribus annis pœniteat.... Canon tamen dicit quòd si ex odio, vel injuria hoc fecerit, excommunicari debet, nec absolvi donec satisfecerit, et juraverit quòd ignem de cætero non apponet. Imponitur autem sibi, ut Hierosolymam vel in Hispaniam vadat Dei servitio anno integro ibi moraturus. Si quis autem Archiepiscopus, aut Episcopus hoc relaxaverit, damnum restituat, et ab officio Episcopali per annum abstineat.... Si autem hoc ex sua negligentia contigerit, resarciet damnum, vel si minùs idoneus sit, parùm, vel leviter castigetur.

Quadragesimus primus est, quòd qui dederit, vel acceperit communionem ab Hæretico, et nescit hoc esse prohibitum ab Ecclesia, et posteà intelligit, pœniteat uno anno. Si autem scivit et neglexit, pœniteat 10.

Cæterùm Canones Pœnitentiales viguerunt in Occidente annis plus quàm mille, id est, ad finem ferè seculi undecimi, et vigent etiamnum in Oriente.

I. Quinam sunt Canones Pœnitentiales?

R. Eos omnes subjicimus quales edidit S. Carolus Borromæus Mediolanensis Archiepiscopus et S. R. E. Cardinalis, ad calcem operis qui inscribitur, *Instructiones de Sacramento pœnitentiæ*, quod quidem opus egregium, Romæ typis sæpiùs mandatum est jussu Romani Pontificis, et Parisiis jussu et impensis Cleri Gallicani.

Ad horum Canonum pleniorem intelligentiam multa dicenda essent; sed hæc nostri non sunt instituti. Ideoque nudum eorum textum nullo addito commentario exhibemus, transsumptum ex libro suprà laudato. (E)

annis: vel secundùm quosdam 7. vel secundùm alios 5. Qui verò permittit Hæreticum Missam celebrare in Ecclesia Catholica per ignorantiam juris, pœniteat 40. diebus. Si pro reverentia ejus, per annum pœniteat. Si pro damnatione Ecclesiæ Catholicæ, projiciatur ab Ecclesia sicut Hæreticus si sit impœnitens: alioquin pœniteat decem annis. Si autem relictà Ecclesia ad Hæreticos transierit, et alios ad hoc induxerit, pœniteat 12. annis, 3. extra Ecclesiam, 7. inter audientes, 2. extra communionem: et sic duodecimo anno communionem percipiat.

Quadragesimus secundus est, quòd Patronus, qui res Ecclesiæ dilapidat, uno anno pœniteat.

Quadragesimus tertius est, quòd qui domum suam magicis et incantationibus lustrat vel aliud facit, et qui eis hoc consulit, annis 5. pœniteat.

Quadragesimus quartus est, quòd qui pacem cum proximo suo non facere jurat, uno anno pœniteat, et ad pacem redeat.

Quadragesimus quintus est, quòd pro perjurio, adulterio, homicidio dantur pro pœnitentia regulariter 7. anni; et similiter pro fornicatione, licèt non ita aspera pœnitentia injungatur.

Quadragesimus sextus est, quòd qui scienter rebaptizatur, 7. annis pœniteat, et feria 4. et 6. in pane et aqua jejunando tres Quadragesimas faciat, et hoc si fecit pro hæresi introducenda. Si autem pro munditia, id est, pro salute corporis obtinenda,.... tribus annis pœniteat.

Quadragesimus septimus est, quòd qui uxorem adulteram cognoscit antequam pœniteat, 3. annis pœniteat.... Qui verò cognoscit eam pœnitentem ante pœnitentiam peractam, pœniteat 2. annis.

Ad regulas igitur prædictas inspiciendo potest studiosus indagator procedere ad pœnitentias pro diversis criminibus, secundùm Canones, injungendas: et ex causa, consideratis circumstantiis, moderari poterit eas.

(E) CANONES PŒNITENTIALES *quales edidit* S. CAROLUS, *quorum cognitio Parochis, Confessoribusque necessaria est, dispositi pro ratione ordineque decalogi.*

PRÆFATIO SANCTI CAROLI.

Patres docuerunt quàm necessaria admodum sit Sacerdotibus qui in audiendis pœnitentium confessionibus versantur, Canonum pœnitentialium scientia. Etenim si omnia, quæ ad pœnitendi modum pertinent, non prudentiâ solum ac pietate, sed justitia etiam metienda sunt: certe norma hæc à Canonibus pœnitentialibus sumatur oportet. Sunt namque ii quasi regulæ quædam, quibus cùm ad culpæ commissæ gravitatem rectè dignoscendam, tum ad imponendam pro illius ratione veram pœnitentiam, Sacerdotes confessarii ita dirigantur, ut ibi singula, et quæ ad peccati magnitudinem, et quæ ad pœnitentis statum, conditionem, ætatem, intimumque cordis contriti dolorem pertinent, accuratè perpenderint; tum demùm pœnitentiam judicio ac prudentiâ suâ moderentur. Atque hæc quidem, omnisque alia, quæ multiplex est hujus necessariæ cognitionis ratio à Patribus explicata, facit, ut quemadmo-

dum loco suo suprà dictum est, Canones Pœnitentiales pro Decalogi ratione dispositi, in ultimam hujus libri partem referantur, undè aliqua eorum notitia ab ipsis Confessariis Sacerdotibus sumi possit.

PRÆCEPTUM PRIMUM. *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.*

CANONES PŒNITENTIÆ. *Si quis contra hoc præceptum aliquo modo peccarit.*

Qui à fide Catholica desciscens, intimo summoque prævaricationis suæ dolore affectus, ad Ecclesiam redierit, pœnitentiam aget annis decem. Quo temporis spatio decurso, ei communio præstari debet.

Qui dæmoni immolaverit; in pœnitentia erit annis item decem.

Qui more gentilium elementa coluerit: qui vel segetibus faciendis, vel ædibus exstruendis, vel arboribus conserendis, vel nuptiis contrahendis, inanem signorum fallaciam observaverit: pœnitentiam aget annos duos feriis legitimis.

Qui ritu paganorum observaverit calendas Januarii: in pœnitentia erit annos item duos per legitimas ferias.

Qui festa gentilium celebrarit; pœnitentiam aget itidem annos duos legitimis feriis.

Qui feriam quintam in honorem Jovis honoraverit; pœnitens pane et aquâ victitabit dies quadraginta.

Qui conviviis gentilium, et escis immolatitiis usus erit; publicam pœnitentiam aget.

Qui comederit de idolothyto; pœnitens victitabit pane et aquâ dies triginta.

Qui cum Judæo cibum sumpserit; pœnitens erit dies decem, pane et aquâ victitans.

Qui auguriis et divinationibus servierit, quive incantationes diabolicas fecerit; pœnitens erit annos septem.

Mulier incantatrix pœnitentiam aget annum, vel, ut alio canone cavetur, annos septem.

Qui herbas medicinales cum incantationibus collegerit; pœnitentiam aget dies viginti.

Qui magos consuluerit, quive domum suam induxerit, aliquid arte magicâ exquirendi causâ; in pœnitentia erit annos quinque.

Qui ædes magicis cantionibus lustrat, aliudve tale admittit: et qui ei consentit, quive consulit; in pœnitentia erit annos quinque.

Qui tempestatum immissor erit; pœnitentiam aget annos septem, tres in pane et aqua.

Qui verò crediderit, particepsve fuerit; annum unum per legitimas ferias.

Si quis ad fascinum præcantaverit; pœnitentiam aget quadragesimas tres in pane et aqua.

Si quis ligaturas aut fascinationes fecerit; pœnitens erit annos duos per legitimas ferias.

Si quis sortilegus erit: pœnitentiam aget dies quadraginta.

Si quis in codicibus, aut in tabulis sorte ductâ res futuras requisierit: pœnitens erit dies quadraginta.

Respiciens furta in astrolabio, annis duobus.

Si quis aliquid comederit, aut biberit, aut super se portaverit ad evertendum judicium Dei; pœnitentiam aget ut magus.

Si quis Clericus vel Monachus, postquam Deo voverit, ad seculum redierit; pœnitentiam aget annos decem, quorum tres in pane et aqua.

PRÆCEPTUM II. *Non assumes nomen Dei tui in vanum.*

CANONES PŒNITENTIÆ. *Si quis contra hoc præceptum aliquo modo peccarit.*

Quicunque sciens pejeraverit; quadraginta dies in pane et aqua, et septem sequentes annos pœniteat, et nunquam sit sine pœnitentia, et nunquam in testimonium recipiatur; et post hæc communionem percipiat.

Si quis sciens pejerat in manu Episcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi,

vel in cruce consecrata, altarive; pœnitentiam aget annos tres: in cruce non consecrata, annum unum.

Qui perjurium in Ecclesia fecerit; pœnitentiam aget annos decem.

Qui sciens pejerat domini impulsu; pœnitens erit quadragesimas tres et ferias legitimas. Dominus autem, quia præcipit, quadraginta dies in pane et aqua, et septem sequentes annos.

Si quis sciens pejeraverit, aliosque in perjurium induxerit; pœnitens erit dies quadraginta in pane et aqua, et septem sequentes annos: et tot perjuria jejunabit, quot homines in perjurium induxerit.

Si quis suspicatus se ad perjurium induci, ex consensu jurat; pœnitentiam aget dies quadraginta, et septem annos sequentes, et nunquam sine gravi pœnitentia erit.

Si quis per cupiditatem perjurium fecerit; quadragesimam in pane et aqua jejunet, et quandiù vivit omnes sextas ferias. Item,

Si quis per cupiditatem pejeraverit; omnes res suas vendet, et pauperibus distribuet, et monasterium ingressus, jugi se pœnitentiæ subdet.

Si quis coactus, necessitateque aliquâ impulsus perjurium commiserit; in pœnitentia erit quadragesimis tribus. Item,

Si quis coactus pejeraverit; pœnitens quadraginta diebus pane et aquâ victitet, ac prælereà omnibus sextis feriis.

Si quis seductus ignorans, et posteà cognoscit; pœnitentiam aget annum unum, vel quadragesimas tres, vel dies quadraginta.

Qui compellit alium, ut falsum juret, quadraginta dies in pane et aqua, et septem annos in pœnitentia erit.

Si quis jusjurandum, quo se Regi et Domino suo adstrinxerit, violaverit; in monasterio pœnitentiam aget omnibus diebus vitæ suæ.

Si quis se jurejurando obstrinxerit, ut cum aliquo litiget, nec pacem cum eo reconciliet; pœnitentiam aget dies quadraginta in pane et aqua, per annum à sacra communione segregatus: ad charitatem verò celeriter redeat.

Si quis per capillum Dei, aut per caput ejus juraverit, si semel nesciens fecerit; pœnitens aquâ et pane septem dies victitet: si secundò, ac tertiò monitus idem fecerit, dies quindecim.

Si per cœlum, aut per aliam aliquam creaturam; dies item quindecim.

Si quis blasphemat, tandiù pœnitens erit, quandiù impœnitens permansit.

Si quis Deum, vel beatam Mariam virginem, vel aliquem Sanctum publicè blasphemaverit: pro foribus Ecclesiæ diebus Dominicis septem, in manifesto, dum Missarum solemnia aguntur, stet: ultimoque ex illis die, sine pallio, et calceamentis, ligatus corrigiâ circa collum: septemque præcedentibus feriis sextis in pane et aqua jejunet, Ecclesiam nullo modo tunc ingressurus: singulis item septem illis diebus Dominicis, tres, aut duos, aut unum pauperem pascat, si potest; alioquin aliâ pœnitentiâ afficiatur: recusans, Ecclesiæ ingressu interdicatur, in obitu, Ecclesiasticâ sepulturâ careat. Dives à Magistratu mulctetur pœnâ solidorum quadraginta, alioqui triginta, seu viginti.

De hoc detestabili peccato exstat sanctio Leonis Decimi Pontificis in Concilio Lateranensi, sessione nonâ.

PRÆCEPTUM III. *Sabbata sanctifices.*

CANONES PŒNITENTIÆ. *Si quis contra hoc præceptum aliquo modo peccarit.*

Qui opus aliquod servile in die Dominico, festove fecerit; pœnitentiam aget tres dies in pane et aqua.

Qui die Dominico opus terrenum fecerit, qui navigarit, aut equitarit; dies septem pœnitentiam aget.

Si quis per contemptum in Dominica jejunaverit: pœnitens erit hebdomadam unam: si iterùm, dies viginti; si prætereà tertiùm, dies quadraginta.

Si quis ante Ecclesias, vel die festo saltationes (quas ballationes vocant) fecerit; emendationem pollicitus, pœnitentiam aget annis tribus. *In Græco codice:* Clericus deponatur, laïcus excommunicetur.

Si quis pransus Missæ interfuerit; pœnitens erit dies tres in pane et aqua.

Si quis sacram communione sumpserit post aliquam vel minimam degustationem ; pœnitentiam aget dies decem in pane et aqua.

Si quis in Ecclesia confabuletur, cùm Divina fiunt ; pœnitens erit dies decem in pane et aqua.

Si quis festa Paschæ, Pentecostes, natalis Domini (nisi infirmitate impediente) alio loco celebrarit, quàm ubi domicilium habet ; pœnitens erit dies item decem in pane et aqua.

Si quis jejunia à sancta Ecclesia indicta violarit ; pœnitentiam aget dies viginti in pane et aqua.

In Quadragesima, carne sine inevitabili necessitate vescens, in Pascha non communicet ; ac prætereà carne abstineat.

Qui in Quadragesima jejunium violaverit : pro uno die pœnitentiam aget dies septem.

Si quis jejunium quatuor temporum non custodierit ; pœnitens erit dies quadraginta in pane et aqua.

Qui neglexerit in quatuor his solemnitatibus, die Cœnæ Domini, in Pascha, Pentecoste, et in natali Domini sacram communionem sumere ; aget pœnitentiam in pane et aqua dies viginti.

PRÆCEPTUM IV. *Habeas in honore Parentes.*

CANONES POENITENTIÆ. *Si quis contra hoc præceptum aliquo modo peccarit.*

Qui parentibus maledixerit ; quadraginta dies pœnitens sit in pane et aqua.

Qui parentes injuriâ affecerit ; tres annos.

Qui percusserit, annos septem.

Qui expulerit ; tandiù pœnitens, quandiù in impietate permanserit.

Si quis contra Episcopum, Pastorem et Patrem suum insurrexerit, uno in loco, monasteriove pœnitentiam aget omnibus diebus vitæ suæ. *Addit Gratianus*, ut in primis omnia bona ejus proscriptione publicentur, deindè in uno Monasterio, etc.

Eàdem pœnitentiâ afficiatur, qui contra Presbyterum.

Si quis contra Episcopum, Pastorem et Patrem suum conspiraverit, gradu suo amovebitur ; itidem si insidias tetenderit.

Si quis in eo conspiraverit, ut Episcopi doctrinam vel præcepta irrideat, vel subsannet, aget in pane et aqua pœnitentiam dies quadraginta.

Quâ pœnitentiâ etiam afficietur, si quis ita conspiraverit, ut ejus Ministrorum præcepta contemnat.

Si quis item Presbyteri, Parochive sui, præcepta irriserit ; pœnitens item erit dies quadraginta in pane et aqua.

PRÆCEPTUM V. *Non occides.*

CANONES POENITENTIÆ. *Si quis contra hoc præceptum aliquo modo peccarit.*

Qui Presbyterum occiderit ; pœnitentiam aget annos duodecim. Item.

Si quis Sacerdotem voluntariè occiderit ; carne et vino abstineat cunctis diebus vitæ suæ : quotidiè, exceptis festis Dominicisque diebus, jejunet : non equitet, non arma ferat, non Ecclesiam ingrediatur quinque annis : sed pro ejus foribus stet. Post quinque annos Ecclesiam ingrediatur licet : nondum verò communicet, sed inter audientes sit. Decimi anni cursu confecto, communicet, et equitet licet.

Qui vel ipse, vel de ejus consilio, aliquem Ecclesiastici ordinis hominem, aut Psalmistam, aut Ostiarium, aut Lectorem, aut Exorcistam, aut Acolythum, aut Subdiaconum, aut Diaconum, aut Presbyterum occiderit : per singulos ordines singulariter pœnitentiam agat : pro psalmista carenam unam, nempè quadraginta dies in pane et aqua : pro ostiario itidem : pro lectore itidem : pro exorcista similiter : pro subdiacono similiter : pro diacono similiter. Quapropter omnis qui interfecerit voluntariè Presbyterum, ita pœnitere debet, ut octo homicidia commissa, et nunquam debet esse sine pœnitentia.

Si quis Presbyter Presbyterum occiderit ; pœnitentiam aget annos viginti octo.

Si quis Presbyterum armis contra se irruentem occiderit ; pœnitens erit annos decem.

Si quis patrem, aut matrem, fratrem aut sororem occiderit; toto vitæ suæ tempore non suscipiat corpus Domini, nisi in obitu: abstineat à carne et vino, dum vixerit: jejunet secundâ et quartâ et sextâ feriâ. Item,

Si quis parricidium fecerit, id est, patrem, aut matrem, fratrem, aut sororem. patruum, amitam, aut materteram occiderit: si casu, neque per iram fecerit; ut homicidii spontè commissi pœnitentiam aget: si spontè, et iratus; pro foribus Ecclesiæ per annum stabit Deum orans. Anno peracto, in angulo Ecclesiæ per annum item stabit. Quibus peractis, si pœnitentiæ fructus in eo conspicietur, sacræ communionis particeps fiet. Carne abstinebit totâ vitâ: quotidiè jejunabit præter dies festos: à vino, cervisiâ, mellitâ abstinebit dies hebdomadæ tres. Pedibus quocunque ierit, iter faciet: armis nunquam utetur, nisi contra paganos: uxorem si non habet, nunquam ducet. Item,

Qui voluntariè genitorem suum, aut genitricem occiderit; extra patriam septem annis exul fiat; tunc demùm usque ad mortem cum fletu et gemitu pœniteat. Si autem nolenti accidit, decem annis pœniteat judicio Sacerdotis.

Qui voluntariè filium suum, aut filiam suam, vel germanum, aut germanam suam occiderit; quinque annis extra metas ipsius terræ exul fiat: deinceps viginti annis pœniteat. Qui verò voluntariè avum suum, vel aviam suam, vel nepotem suam, vel patruum, avunculum, seu amitam, sive materteram, aut filium; vel filiam germani sui, aut germanæ. seu consobrinum suum, sive consobrinam suam occiderit, id est, à tertia usque ad septimam: si verò tertia fuerit, duodecim annis inermis pœniteat: si quarta, undecim annis pœniteat: si quinta, decem: si sextà, novem: si septima, octo annis pœniteat. Si autem nolens, arbitrio Sacerdotis pœniteat. Qui voluntariè patrem suum, aut matrem, vel filium, aut filiam de sancto lavacro, seu fratrem, sive sororem in Christo, aut dominum suum, vel dominam, seu uxorem suam occiderit; quinque annis extra metas ipsius terræ exul fiat: tunc demùm quindecim annis inermis pœniteat. Si verò nolens, septem annis pœniteat. Qui vitricum suum voluntariè occiderit, aut novercam, seu privignum, sive privignam, vel socerum suum, aut socrum suam, seu generum suum, sive nurum; decem annis pœniteat. Si verò nolens, quinque annis pœniteat. Si quis filium non spontè occiderit; ut homicidii spontè commissi pœnitentiâ afficietur. Quæ mulier filios suos necarit; peractâ septennali pœnitentiâ, in monasterium detrusa, monasticam vitam perpetuò regulariter aget.

Si quæ mulier post partum filium, filiamve spontè interfecerit; pœnitentiam aget annos duodecim: et nunquam erit sine pœnitentia.

Paupercula si ob difficultatem nutriendi id commiserit, annos septem.

Si qua mulier spontè abortum fecerit; pœnitentiam aget tres annos: si nolens, quadragesimas tres. Item,

Mulier partum suum perdens voluntariè ante quadraginta dies, pœnitens erit annum: si verò post quadraginta dies, annos tres: si verò postquàm editus est in lucem, tanquam homicida.

Quæ sceleris occultandi causâ filium necarit; pœnitentiam aget annos decem.

Qui nolens filium suum oppresserit; si post baptismum, pœnitentiam aget dies quadraginta in pane et aqua, oleribus, ac leguminibus: abstinebit ab uxore dies totidem. Deindè pœnitens erit tres annos per legitimas ferias: tres præterea quadragesimas in anno observabit. Si ante Baptismum, quadraginta dies ut suprà, et quinquennii præterea pœnitentiam explebit.

Cujus parvulus sine Baptismo per negligentiam moritur, tres annos pœniteat; unum in pane et aqua.

Infans infirmus et paganus commendetur Presbytero: si moritur absque baptismo, deponatur: et si per negligentiam parentum fuit, annum unum pœniteat.

Cujus filius sine Confirmationis sacramento moritur; parentes, quorum negligentiâ id factum est, pœnitentiam agent annos tres.

Si quis explendæ causâ libidinis, vel odii meditatione, ut non ex eo

soboles nascatur, homini, aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, ut non posset generare, aut concipere : homicida teneatur.

Occidisti uxorem tuam, legitimo matrimonio sociatam, sine causa mortis ; non tibi resistentem, non insidiantem quoquo modo vitæ tuæ : non invenisti eam cum alio viro nefariam rem facientem : sed incitatus à Diabolo, impio inflammatus furore, latrocinii more, atrocior et crudelior omni belluâ, eam gladio tuo interemisti. Et nunc post mortem ejus addis iniquitatem, filiorum tuorum improbe prædo : qui matri non pepercisti, et filios tuos ideò orphanos fecisti, ut superinduceres mortis causam post mortem. Et per unum homicidam, et reprobum testem incusare vis mortuam ; hoc nec Evangelium, nec ulla divina, humanaque lex concedit, ut unius testimonio etiam idoneo aliquis condemnetur, vel justificetur. Quantò magis per istum tam flagitiosum et scelestum, nec illa viva debuit condemnari ; nec tu poteris post ejus mortem excusari. Priùs causa criminis subtiliter erat investiganda ; et tunc si rea fuisset inventa, secundùm legis tramitem debuit excipere ultionis vindictam. Nam si verum (quod absit) fuisset, sicut ille adulter mentitus est ; post septem annos pœnitentiâ peractâ dimittere eam per approbatam causam poteras, si voluisses : occidere eam nullatenùs debuisti.

Duo consilia proponimus tibi ; acceptâ tecum deliberatione duorum, elige magis quod placeat, et miserere animæ tuæ : et tu hic in isto angusto tempore positus, ne sis tu ipse tuimet homicida, et in æternum pereas. Relinque hoc malignum seculum, quod te traxit ad tam immanissimum peccati facinus ; multorum fratrum precibus adjutus, observa cuncta simplici animo, quæ tibi ab Abbate fuerint imperata, si fortè ignoscat infinita Dei bonitas peccatis tuis ; istud consilium, ut certissimè scias, levius, ac salubrius est ; ut sub alterius custodia lugeas deflenda peccata. Secundum autem consilium tale est. Arma depone ; et cuncta secularia negotia dimitte. Carnem et sagimen omnibus diebus vitæ tuæ non comedas, excepto uno die Resurrectionis Domini, Pentecostes uno die, et uno die natalis Domini. Cæteris temporibus in pane et aqua, et interdùm leguminibus, et oleribus pœniteas. In jejuniis, et vigiliis, et orationibus, et in eleemosynis persevera omni tempore. Vinum, et medonem, et mellitam, et cervisiam nunquam bibas ; nisi in illis prædictis tribus diebus. Uxorem ne ducas, concubinam non habeas, adulterium non facias, absque conjugio in perpetuo permanceas ; nunquam te in balneo laves, equum non ascendas, causam tuam et alterius in conventu fidelium non agas, in conviviis lætantium nunquam sedeas : in Ecclesia segregatus ab aliis Christianis post ostium humiliter stes, ingredientium, et egredientium orationibus te suppliciter commendes : communione sacri corporis et sanguinis Domini cunctis diebus vitæ tuæ indignum te existimes : in ultimo termino vitæ tuæ pro viatico (si observaveris consilium) ut accipias, tibi concedimus. Sunt et alia multa duriora, quæ tibi juxta pondus tanti facinoris essent adjicienda : sed si hæc omnia, quæ suprà misericorditer dicta sunt, perfecto corde Deo auxiliante perfeceris, et custodieris : confidimus de immensa clementia Dei, remissionem tuorum peccatorum te habiturum ; et secundùm boni justique Pastoris imperium resolvat te sancta Ecclesia ab hoc vinculo peccati in terris, ut per ipsius gratiam, qui eam suo sanguine redemerat, sis solutus in cœlis. Sin autem aliter feceris, et sanctæ matris Ecclesiæ salubre consilium despexeris ; ipse tibi sis judex, et in laqueo diaboli, quo irretitus teneris, mancas : sanguisque tuus sit super caput tuum, et sub indissolubili anathemate permaneas : donec Deo, et sanctæ Ecclesiæ satisfacias.

Si mulier maritum suum causâ fornicationis veneno interfecerit, aut quacunque arte perimere facit : quia dominum et seniorem suum occidit, seculum relinquat, et in monasterio pœniteat.

Qui mortem sibi consciverit ; pro eo nulla in Missa commemoratio fiat, neque cum Psalmis ejus cadaver sepeliatur.

Si quis sponte hominem occiderit ; ad januam Ecclesiæ semper erit ; et in obitu communionem recipiat. Si casu necarit, pœnitentiam aget annos septem : *ex alterius Canonis præscripto*, annos quinque.

Si quis hominem necare voluerit, neque hoc scelus patrare potuerit ; ut homicida pœnitentiâ afficietur.

Alius Canon de homicidio voluntario.

Si quis homicidium sponte commiserit, vel odio, vel possidendæ hæreditatis causâ: primò jejunet in pane et aqua, deindè pœnitentiam agat annis septem. Primo anno post illos quadraginta dies, à vino, caseo, pisce abstineat: in secundo, et tertio similiter jejunet: tertiam autem, et quintam feriam, ac sabbatum redimere potest. Reliquis quatuor annis jejunabit in singulas tres quadragesimas; primam ante Pascha; alteram ante diem festum sancti Joannis Baptistæ; tertiam ante nativitatem Domini.

Si quis fecerit homicidium pro vindicta parentum; ita pœnitentiam aget, ut homicida voluntarius.

Idem pro vindicta fratris.

Qui pro vindicta fratris, annum unum; et in sequentibus duobus annis, tres quadragesimas, et legitimas ferias.

Si quis per iram subitam, aut per rixam hominem necarit; pœnitentiam aget annos tres.

Si quis jussu domini homicidium perpetrarit; dies quadraginta in pane et aqua, et prætereà septem annos sequentes per legitimas ferias jejunabit.

Qui in bello publico jussu principis legitimi tyrannum interfecerit; pœnitens erit tres quadragesimas per legitimas ferias.

Qui liber jubente majore suo innocentem occiderit; pœnitentiam aget annum unum: et sequentes duos, tres quadragesimas, et legitimas ferias.

Qui homicidii auctor fuit; ob consilium quod dedit, erit in pœnitentia quadraginta dies in pane et aqua, cum septem sequentibus annis.

Qui insidiatus est alicui, ut ab aliis occidatur, licèt ipse non occiderit; pœtentiam aget quadraginta dies in pane et aquâ; et septem sequentes annos observabil.

Qui accusarit aliquem, ob eamque accusationem occisus est; quadraginta dies in pane et aqua, cum septem sequentibus annis in pœnitentia versari debet. Sin autem ob accusationem debilitatus est; tres quadragesimas pœnitebit per legitimas ferias.

Qui insanus homicidium perpetrarit; leviorem pœnitentiam explebit.

Qui publicè pœnitentem occiderit; tanquam de homicidio sponte commisso duplicem pœnitentiam aget.

Qui furem, aut latronem interfecerit; quadraginta dies ab Ecclesiæ ingressu abstinebit: et prætereà in tertia feria, et in sexta, et sabbato jejunabit.

Si quis casu homicidium fecerit; pœnitens erit quadraginta dies in pane, et aqua: his peractis, biennio ab oratione fidelium segregatus non communicabit, neque offeret. Post biennium, in communionem orationis suscipietur: offeret autem, non tamen communicabit. Post quinquennium ad plenam communionem recipietur: à cibis abstinebit arbitratu Sacerdotis.

Qui hominem tanquam feram aliquam latentem inopinatò occiderit; quadraginta dies pœnitentiam aget in pane et aqua; et quinque sequentes annos arbitratu Sacerdotis.

Si plures homines unum per rixam adorti occiderint: quicunque eorum plagam ei inflixerit, tanquam homicida pœnitentiam aget. Qui homicidio, quod posteà factum est, consenserit; pœnitentia aget annis septem: tres in pane et aqua. Sin autem voluerit, nec verò potuerit; tres tantùm annos. Si quis nolens homicidium patrarit, pœnitebit quinque annis, et duobus in pane et aqua.

Si quis aliquem vulneraverit, vel ei aliquod membrum præciderit; pœnitentiam aget uno anno per legitimas ferias: sique cicatrix gravis est, et vulneratum defornem reddit; quadraginta etiam dies pœnitebit in pane et aqua.

Si quis ictum proximo dederit, nec nocuerit; tridui pœnitentiam aget in pane et aqua: Clericus, unius anni et mensium sex.

Si quis aliquem per iram percutiens debilitaverit, solutâ medicamenti impensâ, si laïcus est, pœnitens erit quadraginta dies in pane et aqua: si Clericus, duas quadragesimas: si Diaconus, septem mensibus: si Presbyter, uno anno.

Si quis Episcopus homicidium fecerit, in pœnitentia sit quindecim annis, dignitatisque gradu amoveatur, vitæque suæ cursum peregrinando conficiat.

Presbyter pœnitens erit annos duodecim : quatuor ex his in pane et aqua, et Sacerdotii gradu privetur : Diaconus annos decem ; tres ex his in pane et aqua : Clericus inferioris ordinis, annos septem ; tres in pane et aqua.

Si quis fratri suo quem oderit, reconciliari non vult : tandiù in pane et aqua pœnitentiam aget, quoad reconcilietur.

PRÆCEPTUM VI. *Non furaberis.*

CANONES POENITENTIÆ. *Si quis contra hoc præceptum aliquo modo peccarit.*

Qui furatus est aliquid de Ecclesiæ supellectili, vel thesauro : quod substulit, reddet ; et tres carenas cum septem sequentibus annis pœnitebit.

Qui sacras reliquias furatus est, illis restitutis septem carenas jejunabit.

Pecuniam Ecclesiasticam furatus, quadruplum reddet ; si quid item de ministerio Ecclesiæ aliquo modo surripuerit, pœnitens erit annos septem...

Si quis vel Ecclesiasticas obligationes rapuerit, vel rapientibus consenserit ; quadruplum restituet, et canonicè pœnitens erit. Sacrilegus, rerumve Ecclesiasticarum invasor, uno anno extra Ecclesiam Dei maneat : secundo anno pro foribus Ecclesiæ sine communicatione maneat : tertio anno in Ecclesia inter audientes sit sine oblatione ; carne, vinoque abstineat, præterquàm in Pascha, et die natali : quarto anno, si fructuosus triennio pœnitentiæ fructus exstiterit, communioni fidelium restituatur, eà lege, ut spondeat, se in posterum tale quidquam non commissurum, ac prætereà sine esu carnis, et potatione vini, usque ad septennium pœnitens permanebit.

Qui Ecclesiam incenderit, illam restituet, pœnitentiamque aget annos quindecim, et pretium det pauperibus.

Itidem qui incendio consenserit.

Si quis malo studio, vel odio, vel ulciscendæ injuriæ causà, incendium commiserit, committive jusserit, curaverit, aut incendiario auxilium, vel consilium scienter dederit ; excommunicatur : si mortuus erit, Christianà sepulturà carebit : nec verò absolvetur, nisi damnum pro facultatibus resarciverit ; juretque, se in posterum tale facinus nunquam admissurum. Pœnitentia prætereà hæc ei constituetur, ut Hierosolymis, aut in Hispania, in servitio Dei totum annum permaneat.

Si quis sepulcrum violaverit ; pœnitens erit annos septem : è quibus tres in pane et aqua.

Qui sepulcrum infregerit, ut defuncti vestimenta furaretur ; pœnitens erit annos duos per legitimas ferias.

Qui de oblationibus, quæ Ecclesiis factæ sunt, aliquid retinuerit : pœnitens erit dies quadraginta in pane et aqua.

Qui decimam sibi retinuerit, aut dare neglexerit ; quadruplum restituet, et pœnitentiam aget dies viginti in pane et aqua.

Qui hospitalis domùs administrator aliquid de administratione subtraxerit, restituet quod abstulit ; pœnitensque erit annos tres.

Qui pauperem oppresserit, ejusque bona abstulerit : reddet ei suum, et pœnitens erit dies triginta in pane et aqua.

Clericus furtum capitale faciens ; septennii pœnitentiam explebit : laïcus quinquennii : et quod furatus est reddat.

Si quis per necessitatem, cibum, vel vestem furatus sit : in pœnitentia erit hebdomadas tres : si reddiderit, jejunare non cogitur.

Qui fregerit noctu alicujus domum, ut aliquid auferat ; pretium reddet, et pœnitentiam aget annum in pane, et aqua : si non reddit, annos duos.

Si quis furtum de re minori semel, aut bis fecerit ; restitutà re, pœnitentiam aget annum unum.

Qui rem inventam non reddit, furtum committit : idcircò tanquam de furto pœnitentiam agat.

Si quis usuras accipit, rapinam facit, ideoque quicunque illam exegerit, pœnitentiam aget annis tribus, uno in pane et aqua.

PRÆCEPTUM VII. *Non mœchaberis.*

CANONES POENITENTIÆ. *Si quis contra hoc præceptum aliquo modo peccarit.*

Si laïcus solutus cum fœmina soluta concubuerit, pœnitens erit annos tres : et quantò sæpiùs, tantò majori pœnitentiâ afficietur.

Itidem, qui cum ancilla coierit.

Uxor, conscio viro mœchata, ne in obitu quidem communicabitur : si dignam pœnitentiam egerit, post decem annos sacram communionem sumet.

Si quis uxorem nolentem, adulterium perpetrare coegerit : pœnitentiam aget dies quadraginta in pane et aqua, et septem præterea annos, è quibus unum in pane item et aqua.

Si quis conjugem fornicari consenserit ; diebus omnibus vitæ in pœnitentia erit arbitrio periti Sacerdotis.

Vir solutus, si cum alterius uxore adulterium commiserit, pœnitentiam aget annos septem ; mulier quinque.

Mulier soluta, cum alterius marito adulterium patrans, pœnitentiâ afficietur decennali : ille quinquennali.

Si quis maritus semel lapsus est, pœnitentiam aget annos quinque.

Si sæpiùs mœchatus est, in fine mortis est conveniendus : sique promiserit se cessaturum, dabitur ei communio.

Qui sæpè fornicatur, laïcus cum laïca, pœnitentiam aget tres annos.

Si quis uxorem simul et concubinam habuerit : in pœnitentia erit annos septem, et ampliùs pro ratione culpæ.

Maritus si ancillâ concubinâ utitur, pœnitentiam aget annum unum, quadragesimas tres, et legitimas ferias tribùs mensibus. Illa si invita violatur quadraginta dies ; si consentiens, quadragesimas tres, et legitimas ferias.

Qui cum uxore sua turpiter concubuerit, pœnitens erit quadraginta dies.

Si quis adolescens cum virgine peccaverit, pœnitentiam aget annum unum.

Qui puellam, aut mulierem libidinosè obtrectaverit, si clericus est, quinque dies, si laïcus tres dies pœnitentiam aget : monachus, vel Sacerdos, à ministerio suspensus, pœnitens erit dies viginti.

Si quis in balneis cum muliere se lavaverit, pœnitentiam aget triduo.

Qui concupierit virginem, quàm posteà uxorem duxerit : pœnitentiam aget annum unum per legitimas ferias ; si verò non duxerit, annos duos per legitimas ferias.

Si quis mulierem alii desponsatam in matrimonium duxerit ; eam dimittet : et pœnitens erit quadraginta dies in pane et aqua, cum septem annis sequentibus.

Vidua quæ stuprum admiserit, pœnitentiam aget annum totum, et præterea in altero anno dies jejuniorum.

Si quis cum uxoris suæ sorore per imprudentiam fornicationem admiserit : pœnitentiam sibi indictam aget, si probaverit se tale scelus inscienter fecisse.

Cum duabus sororibus fornicatus, pœnitentiam aget toto suæ vitæ tempore. Item,

Qui cum duabus sororibus, vel cum noverca, vel cum sorore sua, vel cum amita, vel cum nurù, vel quo denique incestum admiserit : ab ingressu Ecclesiæ abstinebit annum unum, quo anno præter festos dies pane solùm et aquâ utetur, arma non feret, osculum nemini præbebit, sacram communionem nisi pro viatico non sumet : sex deinde annis Ecclesiam ingredietur, sed carne, et vino, et sicerâ non utetur, nisi festis diebus. Posteà verò duobus annis quando carne vescetur, à potu vini abstinebit : quòd si biberit, carne non vescetur, nisi Dominicis diebus, et præcipuis festis : deinde usque ad obitum perpetuò præter festos dies à carne abstinebit. Tres legitimas ferias singulis hebdomadis jejunabit, et quadragesimas tres singulis annis legitimè custodiet.

Qui incestum fecerit, ei alii annorum duodecim, alii quindecim, alii decem, alii septem pœnitentiam constituunt.

Quicunque Sacerdos spiritualem filiam violaverit, dignitatis honorem amittet, et perpetuam pœnitentiam aget.

Qui item Sacerdos hoc facinus admiserit, omni muneris sui functione mulctatus, pœnitentiam etiam peregrinando aget annos quindecim; deinde in monasterium abiens toto vitæ tempore ibi Deo serviet: fœmina autem res suas in eleemosynam pauperibus conferet, in monasterioque Deo serviet omnibus vitæ suæ diebus. Si Episcopus hoc admiserit, pœnitentiam aget annos quindecim.

Qui monialem violarit, pœnitens sit annis decem.

Presbyter si fornicationem admiserit, spontè confessus pœnitentiam aget annos decem, hoc modo: tribus mensibus à cæteris remotus pane et aquâ jejunabit, diebus autem festis modico vino, pisciculis, et legumine utetur; sacco indutus humi cubabit, diù noctuque misericordiam Dei implorans. Deinde unum annum et sex menses in pœnitentia, jejunioque panis et aquæ explebit, præter festos dies, in quibus vino, et sagimine, caseo, ovisque Canonice uti poterit. Finito primo anno et dimidio, sacræ communionis particeps fiet, Psalmos in choro ultimus canet, officia minora geret. Posteà verò quàm septimum pœnitentiæ annum expleverit, omni quidem tempore præter Paschales dies, singulis hebdomadis per legitimas ferias in pane et aqua jejunabit. Expleto septennio, usque ad finem decimi anni sextam feriam in pane et aqua jejunabit.

Qui cum brutis coïerit; pœnitentiâ afficietur annorum decem, et diuturniori etiam pro personæ conditione.

Qui contra naturam coïerit; si servus est, scopis castigabitur, et pœnitebit annos duos: si liber est, et matrimonio junctus, annos decem: si solutus, annos septem: pueri dies centum: laïcus matrimonio conjunctus si in consuetudine habet, annos quindecim: si clericus, de gradu amotus, ut laïcus pœnitentiam aget: qui cum fratre tale scelus admiserit ab omni carne abstinebit, pœnitensque erit annos quindecim: si clericus diuturniori et graviori pœnitentiâ afficietur.

Mulier in se, aut cum altera fornicans, pœnitentiâ afficietur duorum annorum.

Vir se inquinans primò dies decem; si iterùm, dies viginti; si tertiò dies triginta: sique nefariè agere perget, pœnitentiæ accessio ei fiet: si puer, dies quadraginta: si major quindecim annis, dies centum.

Puer parvulus oppressus à majore, hebdomadam jejunabit: si consenserit, dies viginti: si coinquinatus erit, dies centum: si voluntatem suam expleverit, annum unum.

Qui complexu fœminæ, vel osculo polluitur; pœnitentiam aget dies triginta: qui contactu inverecundo, menses tres.

Qui concupiscit mente, sed non potuit; dies decem pœnitentiam aget.

Qui turpiloquio, aspectuque polluitur negligens, nec verò peccare voluit; pœnitentiam aget dies viginti: si verò impugnatione tentationis, et cogitationis inquinatur, pœnitebit item dies viginti.

Quicunque lenocinium exercuerit, pœnitentiam aget annos duos per legitimas ferias. Item,

Qui hoc facinus admiserit, sacram communionem non accipiet nisi in fine.

Si quæ mulier cerussâ, aliove pigmento se oblinit, ut aliis viris placeat, pœnitentiâ afficietur annorum trium.

PRÆCEPTUM VIII. *Non falsum testimonium dices.*

CANONES POENITENTIÆ. *Si quis contra hoc præceptum aliquo modo peccarit.*

Qui affirmarit verum, quod falsum est; pœnitentiam aget ut adulter; ut homicida, qui spontè id facinus admiserit.

Qui falso testimonio consenserit; pœnitens erit annos quinque.

Qui proximo falsum crimen objicit, pœnitentiâ afficitur ut falsus testis.

Qui proximo peccatum imputarit, priusquàm seorsùm eum arguerit; primùm illi satisfaciens, pœnitentiam aget tres dies.

Si quis contra proximum linguâ lascivus erit, triduanâ pœnitentia expiabitur.

Si quis murmuraverit, judicio Sacerdotii pœnitentiam aget pro culpæ gravitate.

Si quis convitium manifestum fratri intulerit, diuturnà expiabitur pœnitentià pro modo peccati.

Si quis facilè detraxerit, falsumque in hoc dixerit; pœnitens erit dies septem in pane et aqua.

Qui falsitatem, fraudemve in ponderibus, et mensuris admiserit; pœnitens erit in pane et aqua dies viginti.

Falsarius, in pane et aqua pœnitentiam agat quandiù vivit.

PRÆCEPTUM IX. *Non concupisces rem proximi tui.*

CANONES PŒNITENTIÆ. *Si quis contra hoc præceptum aliquo modo peccarit.*

Rem alienam nefariè concupiscens, avarusque, pœnitens erit annis tribus.

Qui aliena furari concupiscit, furtum est: qui item aliena rapere cupit, rapina est: qui res Ecclesiæ furari appetit, sacrilegium est: ideò cùm nefariè concupiscendo graviter peccet, ut peccati mortalis pœnitentiam aget, Sacerdotis arbitratu.

Qui rem aliquam proximi pretiosam invenire cupit, ut illam sibi retineat; mortale peccatum concipit, cujus pœnitentiam aget, ut suprà dictum est de furto.

PRÆCEPTUM X. *Non desiderabis uxorem proximi tui.*

CANONES PŒNITENTIÆ. *Si quis contra hoc præceptum aliquo modo peccarit.*

Si quis concupiscit fornicari: si Episcopus, pœnitens erit annos septem: si Presbyter, quinque: si Diaconus, vel Monachus, tres; è quibus unum in pane et aqua: si clericus, aut laïcus, annos duos.

Si quis, in somnis, ex immundo desiderio polluitur; surgat et cantet septem Psalmos pœnitentiales: et die, triginta.

Si Clericus, aut laïcus ex malâ cogitatione concupiscentiàque semen effuderit; pœnitens erit dies septem.

CANONES PŒNITENTIÆ. *De septem peccatis capitalibus.*

Capitalia peccata, quæ principalia etiam vocantur, utpotè è quibus omnia vitia principium habent; sunt, superbia, vana gloria, avaritia, luxuria, invidia, ira, gula, et acedia.

Pro capitali mortalique crimine pœnitentia septem annorum indicitur, nisi peccati gravitas, et personæ status severiorem, diuturnioremque pœnitentiam requirat.

Pro capitali crimine pœnitentiam aget laïcus annos quatuor, clericus quinque, Subdiaconus sex, Diaconus septem, Presbyter decem, Episcopus duodecim.

Sed demonstratæ jam paulò antè sunt pœnitentiæ, quæ ex Canonum disciplina constituuntur ferè pro peccatis mortalibus, quæ ex his septem capitalibus vitiis originem trahunt. Pro gulæ autem vitio sunt hi præcipui pœnitentiæ Canones.

CANONES PŒNITENTIÆ. *De gula et ebrietate.*

Sacerdos imprudenter ebrius factus, pane et aquâ pœnitentiam agat dies septem: si negligenter, dies quindecim: si per contemptum, dies quadraginta.

Diaconus, et alius clericus ebrius factus, arbitrio Sacerdotis pœnitens erit.

Monachus ebrius, pane et aquâ mensibus tribus: si clericus, viginti dies.

Laïcus ebriosus graviter arguatur, et pœnitentiam agere à Sacerdote cogatur.

Qui humanitatis gratiâ alium inebriare cogit, pœnitentiam aget dies septem: si per contemptum, dies triginta.

Qui ad bibendum invitat plusquàm naturæ satis est, pœnitentiam agat.

§. 17. De Operibus satisfactoriis.

I. Quibusnam operibus satisfacere Deo possumus pro peccatis ?

R. Tanta est Divinæ munificentiæ largitas, ut non solùm pœnis sponte à nobis pro vindicando peccato susceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis, sed etiam, quod maximum amoris argumentum est, temporalibus flagellis à Deo inflictis et à nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Christum Jesum satisfacere valeamus. Ita Tridentina synodus. (*Sess.* 14. *cap.* 9.)

Ex his verbis constat duplicis generis esse opera satisfactionis : alia à Deo ipso injunguntur, alia vel imponuntur à Sacerdote, vel ultrò suscipiuntur à pœnitente.

Isthæc omnia ad tria potissimùm capita revocari solent, nimirùm ad Orationem, Jejunium et Eleemosynam, juxta illud Raphaëlis Archangeli ad Tobiam, *Bona est oratio cum jejunio, et eleemosyna magis quàm thesauros auri recondere.* (*Tob.* XII. 8.) (A)

Qui præ ebrietate et crapula vomitum fecerit, si Presbyter, aut Diaconus, pœnitentiam agat dies quadraginta.

Si Monachus, aut clericus, dies triginta : si Laïcus, quindecim.

Si Laïcus item, à vino et carne abstinеat tres dies.

Si quis gulæ causâ ante horam legitimam jejunium fregerit ; duos dies pœnitentiam aget in pane et aquâ.

Si quis nimio cibo se ingurgitaverit, ut indè dolorem senserit ; unum diem pœnitentiam aget in pane et aqua.

CANONES POENITENTIÆ. *De variis peccatis.*

Nonnulla hîc prætereo quæ in Canonibus Gratiani referuntur.

Qui legata pia Ecclesiæ non solvit, uno anno pœnitens erit per legitimas ferias.

Qui vir faciem suam transformaverit habitu muliebri, et mulier habitu viri ; emendationem pollicitus, annis pœnitens sit tribus.

Infirmos, aut vinctos visitare negligens, pœnitentiam aget dies decem, pane et aquâ victitans.

(A) S. AMBROS. *Lib.* 2. *de Pœnit. cap.* 9. *n.* 81. Plura solvendi habet subsidia, qui Deo, quàm is qui homini debet. Homo pecuniam pro pecunia reposcit, quæ non semper debitori præstò est : Deus affectum exigit, qui in tua potestate est. Nemo pauper est qui Deo debet, nisi qui seipsum pauperem fecerit. Et si non habet quæ vendat, habet quæ solvat. Oratio, lacrymæ, jejunia, debitoris boni census est, multòque uberior, quàm si quis ex pretiis fundorum pecuniam sine fide deferat.

N. 82. Dives illa vidua, quæ duo æra minuta in gazophylacium misit, de quâ dictum est, *hæc vidua paupercula plus omnibus misit.* (*Marc.* XII. 43. *Luc.* XXI. 3.) Non enim pecuniam Deus, sed fidem quærit.

N. 83. Neque ego abnuo liberalitatibus in pauperes factis posse minui peccatum : sed si fides commendet expensas. Quid enim prodest collatio patrimonii sine gratia charitatis ?

S. LEO *Serm.* 11. *de Jejun.* 10. *mens.* 1. *cap.* 1. Tria verò sunt, quæ maximè ad religiosas pertinent actiones, oratio scilicet, jejunium, et eleemosyna.... Oratione enim propitiatio Dei quæritur, jejunio concupiscentia carnis exstinguitur, eleemosynis peccata redimuntur : simulque per omnia Dei in nobis imago renovatur, si et in laudem ejus semper parati, et ad purificationem nostram sine cessatione solliciti, et ad sustentationem proximi indesinenter sumus intenti. Hæc triplex observantia, dilectissimi, omnium virtutum comprehendit effectus. Hæc ad imas-

Et illud quidem egregiè pro more explicat S. Thomas in 4. Dist. 15. Quæst. 1. Art. 4. ad 3. *Satisfactio*, inquit, debet esse talis « per quam aliquid nobis subtrahamus ad honorem Dei. Nos autem non habemus nisi tria bona, scilicet » bona animæ, bona corporis, et bona fortunæ, scilicet » exteriora. Ex bonis quidem fortunæ subtrahimus aliquid » nobis per eleemosynam; sed ex bonis corporalibus per » jejunium: ex bonis autem animæ non oportet quòd aliquid » subtrahamus nobis, quantùm ad essentiam, vel diminutionem ipsorum; quia per ea efficimur Deo accepti; sed » per hoc quod ea submittimus Deo totaliter, et hoc fit per » orationem. Competit etiam iste numerus ex parte illa quà » satisfactio peccatorum causas excidit: quia radices peccatorum tres ponuntur (1. *Joan.* II. 16.), *Concupiscentia* » *carnis*, *Concupiscentia oculorum*, *et Superbia vitæ*. Et contra » concupiscentiam carnis ordinatur jejunium; contra concupiscentiam oculorum eleemosyna; contra superbiam » vitæ oratio. Ut Augustinus dicit super Matthæum. Competit » etiam quantùm ad hoc quod satisfactionis est, peccatorum » suggestionibus aditum non indulgere; quia omne peccatum vel in Deum committimus, et contra hoc ordinatur » oratio; vel in proximum, et contra hoc eleemosyna; vel » in nos ipsos, et contra hoc ordinatur jejunium. »

Et ad quintam objectionem subdit S. Thomas. « Quidquid » ad afflictionem corporis pertinet, totum ad jejunium refertur; et quidquid ad proximi utilitatem expenditur, totum » eleemosynæ rationem habet: et similiter quæcunque latria » exhibeatur Deo, orationis accipit rationem. »

Hàc sancti Thomæ doctrinà positâ, ad Orationem revocari oportet non solùm omne genus orationis sive ore sive mente fiat, sive privatim, sive in solemni Christianorum cœtu; sed etiam oblationem sacrificii sive externi sive interni, de quibus dicemus infrà. (*Hujusce Partis Cap.* 7. §. 1. *et seq.*) Ideoque voluntariam tolerantiam flagellorum nobis à Deo inflictorum, et *quarum*libet molestiarum undecunque nobis oriantur. Ad orationem quoque aliquatenùs revocatur id quod alii spirituale jejunium vocant, hoc est, abnegationem sui, subjectionem mentis, obedientiam, confusiones et humiliationes spontè toleratas vel susceptas. Isthæc enim omnia pertinent ad sacrificium internum.

Ad Jejunium pertinent omnes carnis afflictationes et castigationes, cilicia, flagella, humi cubationes, abstinentia à jocis et voluptatibus etiam licitis. Hùc revocant etiam aliqui jejunium quod spirituale vocant, id est, abnegationem sui, subjectionem, obedientiam, etc.

Ad Eleemosynam revocantur opera omnia sive corporalia

ginem et similitudinem Dei pervenit, et à Spiritu sancto inseparabiles facit. Quia in orationibus permanet fides recta, in jejunio innocens vita, in eleemosynis mens benigna.

sive spiritualia misericordiæ, de quibus jam egimus in secunda Parte hujus Operis. (*Sect.* 2. *Cap.* 4. §. 3. *et seq.*)

I. Ad quod ex tribus his capitibus revocatur Restitutio ?

R. Restitutio bonorum proximi quæ injustè vel detenta sunt vel ablata, et damni proximo illati, non tam satisfactio est, quàm cessatio peccati ; nam furti reus tenetur quisquis injustè detinet bonum proximi, donec restitutio, quantùm fieri potest, facta sit.

I. Debentne pœnitentes de injuncta sibi pœnitentia contenti, nihil ampliùs ex proprio motu superaddere?

R. Præter imposita satisfactionis opera, multa à pœnitentibus ut plurimùm præstanda sunt, modò prudenter id fiat ; sed satius est ea de re consulere Confessarium, ne quid temerè et imprudenter fiat.

I. Satisfactiones injunctæ à Confessario plusne habent apud Deum utilitatis et meriti, quàm quæ sponte suscipiuntur à pœnitente ?

R. Plus habent, modò alioqui cætera sint paria ; id est, modò sit eadem hinc indè satisfactio, eadem in pœnitente dispositio, hocque discrimen unum intersit quòd altera satisfactio sponte suscepta sit, altera à Sacerdote injuncta. 1° Hæc pars enim est sacramenti Pœnitentiæ, non illa. 2° Hæc fit auctoritate Ecclesiæ, non illa. 3° Illius exsecutio adjunctos semper habet humilitatis et subjectionis actus, non illa. Adeoque cæteris paribus plus est utilitatis et meriti in satisfactione sacramentali, quàm in spontanea.

§. 18. De Purgatorio.

I. Qui non peractâ satisfactione moriuntur, acceptâ tamen peccatorum remissione, quid illis fit ? quæ sors eorum ?

R. Quibus aliquid, vel culpæ venialis eluendum, vel pœnæ temporalis exsolvendum superest post mortem, id illi eluunt et exsolvunt in Purgatorio, antequam illis aditus ad regna cœlorum patere possit. (A)

(A) Concil. Trident. *Sess.* 6. *Can.* 30. Si quis post' acceptam justificationis gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, et reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exsolvendæ vel in hoc seculo, vel in futuro in purgatorio antequam ad regna cœlorum aditus patere possit ; anathema sit.

Sess. 22. *cap.* 2. Non solùm pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus et aliis necessitatibus, sed et pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis, ritè, juxta Apostolorum traditionem, offertur.

Can. 3. Si quis dixerit, Missæ sacrificium tantùm esse laudis, et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium : vel soli prodesse sumenti : neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere : anathema sit.

Sess. 25. *Decretum de Purgatorio.* Cùm Catholica Ecclesia Spiritu sancto edocta, ex sacris litteris, et antiquâ Patrum traditione, in sacris Conciliis, et novissimè in hac œcumenica Synodo docuerit, Purgatorium esse ; animasque ibi detentas, fidelium suffragiis, potissimùm verò acceptabili altaris sacrificio juvari : præcipit sancta Synodus Episcopis, ut sanam de Purgatorio doctrinam, à sanctis Patribus et sacris Conciliis tra-

I. Purgatorii nomine quid intelligis ?

R. Nomen illud vel sumitur pro pœnis quas dant animæ solutæ cerporibus, ut hinc puriores excant : vel sumitur pro loco in quo animæ illæ pœnis temporalibus purgantur.

I. Quæ debet esse animæ sanctitas, ut pateat ipsi aditus in regna cœlorum ?

R. Ea debet esse animæ sanctitas, ut nihil culpæ ne venialis quidem eluendum sit, nihil pœnæ satisfactoriæ solvendum : *non intrabit* enim in civitatem sanctam Jerusalem *quid immundum aut coinquinatum*, ut ait Joannes in Apocalypsi (XXI. 27.), et nemo liberatur à carcere, nisi prius solverit universum debitum, ut patet ex Evangelio. (*Matth.* V. 26.) (B)

I. Quâ ratione constat existere Purgatorium ?

R. Id constat ex Scriptura et Traditione. Ex scriptura quidem :

1. Enim orandum esse pro mortuis constat ex libro 2. Macchabæorum, in quo hæc leguntur : *Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur* (2. *Macchab.* XII. 46.) Paulus Apostolus de Onesiphoro loquens capite I. Epistolæ 2. ad Timotheum ait : *Det illi Dominus invenire misericordiam à Domino in illa die.* Patet autem Onesiphorum tunc fuisse mortuum : nam cap. 4. ejusdem Epistolæ salutat non Onesiphorum ipsum, sed Onesiphori domum, cùm alios nominatim salutasset. *Saluta Priscam et Aquilam et Onesiphori domum.* Et suprà capite I. dixerat, *det misericordiam Dominus Onesiphori Domui.* Oravit ergo Paulus pro mortuis ; superfluum autem est orare pro mortuis, nisi posito Purgatorio.

2. Christus ait peccatum in Spiritum sanctum non remittendum esse, *neque in hoc seculo neque in futuro* (*Matth.* XII. 32.) ; quod utique non diceret, nisi essent peccata quædam in seculo futuro solùm remittenda, ut notavit S. Augustinus. (C)

ditam, à Christi fidelibus credi, teneri, doceri, et ubique prædicari diligenter studeant. Apud rudem verò plebem difficiliores ac subtiliores quæstiones quæque ad ædificationem non faciunt, et ex quibus plerumque nulla fit pietatis accessio, à popularibus concionibus secludantur. Incerta item, vel quæ specie falsi laborant, evulgari ac tractari non permittant. Ea verò quæ ad curiositatem quamdam aut superstitionem spectant, vel turpe lucrum sapiunt, tanquam scandala et fidelium offendicula prohibeant. Curent autem Episcopi, ut fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, eleemosynæ, aliaque pietatis opera, quæ à fidelibus defunctis fieri consueverunt, secundùm Ecclesiæ instituta piè et devotè fiant ; et quæ pro illis ex testatorum fundationibus, vel alia ratione debentur, non perfunctorie, sed à Sacerdotibus, et Ecclesiæ ministris, et aliis, qui hoc præstare tenentur, diligenter et accuratè persolvantur.

(B) MATTH. V. 25. Esto consentiens adversario tuo citò dum es in via cum eo ; ne forte tradat te adversarius judici, et judex tradat te ministro : et in carcerem mittaris. 26. Amen dico tibi, non exies indè, donec reddas novissimum quadrantem.

Eadem totidem ferè verbis leges apud LUCAM, *cap.* XII. *v.* 58. *et* 59.

(C) 1. CORINTH. XV. 29. Alioquin quid facient qui baptizantur pro mor-

tuis, si omninò mortui non resurgunt? ut quid et baptizantur pro illis,

S. AUGUST. *lib.* 21. *de Civit. Dei, cap.* 13. Sed temporarias pœnas alii in hac vita tantùm, alii post mortem, alii et nunc et tunc, verumtamen ante judicium illud severissimum novissimumque patiuntur. Non autem omnes veniunt in sempiternas pœnas, quæ post illud judicium sunt futuræ, qui post mortem sustinet temporales. Nam quibusdam, quod in isto non remittitur, remitti in futuro seculo, id est, ne futuri seculi æterno supplicio puniantur.

Cap. 24. *n.* 2. Pro defunctis quibusdam, vel ipsius Ecclesiæ, vel quorumdam piorum exauditur oratio: sed pro his quorum in Christo regeneratorum nec usque adeò vita in corpore malè gesta est, ut tali misericordiâ judicentur digni non esse, nec usque adeò benè, ut talem misericordiam reperiantur necessariam non habere. Sicut etiam factâ resurrectione mortuorum non deerunt quibus post pœnas, quas patiuntur spiritus mortuorum, impertiatur misericordia, ut in ignem non mittantur æternum. Neque enim de quibusdam veraciter diceretur, quòd non eis remittatur *neque in hoc seculo, neque in futuro* (*Matth.* XII. 32.), nisi essent quibus, etsi non in isto, tamen remittetur in futuro.

Enchirid. cap. 110. *n.* 29. Neque negandum est, defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cùm pro illis sacrificium Mediatoris offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia fiunt. Sed eis hæc prosunt, qui cùm viverent, ut hæc sibi posteà possent prodesse, meruerunt. Est enim quidam vivendi modus, nec tam bonus ut non requirat ista post mortem, nec tam malus ut non ei prosint ista post mortem: est verò talis in bono, ut ista non requirat; et est rursùs talis in malo, ut nec his valeat, cùm ex hac vita transierit, adjuvari. Quocirca hic omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam relevari quispiam vel gravari. Nemo se autem speret, quod hic neglexerit, cùm obierit, apud Deum promereri. Non igitur ista quæ pro defunctis commendandis frequentat Ecclesia, illi Apostolicæ sunt adversa sententiæ, quà dictum est, (2. *Cor* V. 10.) *omnes enim adstabimus ante tribunal Christi, ut referat unusquisque secundùm ea quæ per corpus gessit, sive bonum, sive malum.* Quia etiam hoc meritum sibi quisque dum in corpore viveret comparavit, ut ei possint ista prodesse. Non enim omnibus prosunt: et quare non omnibus prosunt, nisi propter differentiam vitæ quam quisque gessit in corpore? Cùm ergo sacrificia sive altaris sive quarumcunque eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valdè bonis gratiarum actiones sunt; pro non valdè malis propitiationes sunt; pro valdè malis etiam si nulla sunt adjumenta mortuorum, qualescunque vivorum consolationes sunt.

Lib. 6. *cont. Julian. cap.* 15. *n.* 45. Peccata quidem nulla remittuntur in regno: sed si nulla remitterentur in judicio illo novissimo, puto quòd Dominus non dixisset de quodam peccato, *non remittetur neque in hoc seculo, neque in futuro* (*Matth.* XII. 32.), quando sibi remitti sperabat latro ille, qui dicebat, *memento mei cùm veneris in regnum tuum.* (*Luc* XXIII. 42.)

S. GREGOR. MAGN. *lib.* 4. *Dialog. cap.* 39. De quibusdam levibus culpis esse ante judicium purgatorius ignis credendus est, pro eo quòd veritas dicit, quia *si quis in sancto Spiritu blasphemiam dixerit, neque in hoc seculo remittetur ei, neque in futuro.* (*Matth.* XII. 32.) In qua sententia datur intelligi, quasdam culpas in hoc seculo, quasdam verò in futuro posse laxari. Quod enim de uno negatur, consequens intellectus patet, quia de quibusdam conceditur. Sed tamen, ut prædixi, hoc de parvis, minimisque peccatis fieri posse credendum est, sicut est assiduus otiosus sermo, immoderatus risus, vel peccatum curæ rei familiaris, quæ vix sine culpa vel ab ipsis agitur, qui culpam qualiter declinare debeant sciunt: aut in non gravibus rebus error ignorantiæ: quæ cuncta etiam post mortem gravant, si adhuc in hac vita positis minimè fuerint relaxata. Nam cùm Paulus dicat, (1. *Cor.* III. 11.) Christum esse fundamentum: atque subjungat: (*Ibid.* 12. *et seq.*) *Si quis superædificaverit super hoc fundamentum, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit: si cujus opus manserit quod superædificavit, mercedem accipiet: si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Quamvis hoc

3. Apostolus ait salvandos esse quosdam, *sic tamen quasi per ignem* (1. *Cor.* III. 15.); quem locum S. Augustinus explicat de Purgatorio igne. (D) Alii Patres et ad Purgatorium alludunt, ubi quæstio est de hoc Apostoli testimonio. (E)

de igne tribulationis in hac nobis vita adhibito possit intelligi, tamen si quis hoc de igne futuræ purgationis accipiat, pensandum sollicitè est, quia illum per ignem dixit posse salvari, non qui super hoc fundamentum, ferrum, æs, vel plumbum ædificat, id est, peccata majora, et idcircò duriora, atque tunc jam insolubilia; sed lignum, fœnum, stipulam, id est, peccata minuta atque levissima, quæ ignis facilè consumat. Hoc tamen sciendum est, qui illic saltem de minimis nihil quisque purgationis obtinebit, nisi bonis hoc actibus in hac adhuc vita positus, ut illic obtineat, promereatur.

(D) 1. Corinth. III. 15. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem salvus erit; sic tamen quasi per ignem.

S. August. *in Psal.* XXXVII. *n.* 3. *Domine ne in indignatione tua arguas me.* Non sim inter illos quibus dicturus es, *Ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, et angelis ejus* (*Matth.* XXV. 41.): *neque in ira tua emendes me* (*Ps.* XXXVII. 2.): ut in hac vita purges me, et talem me reddas, cui jam emendatorio igne non opus sit: propter illos qui salvi erunt, *sic tamen quasi per ignem.* (1. *Cor.* III. 15.) Quare, nisi quia hic ædificant supra fundamentum ligna, fœnum, stipulam? Ædificarent autem aurum, argentum, lapides pretiosos, et de utroque igne securi essent: non solùm de illo æterno qui in æternum cruciaturus est impios, sed etiam de illo qui emendabit eos qui per ignem salvi erunt. Dicitur enim, *ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Et quia dicitur, salvus erit, contemnitur ille ignis. Ita planè quamvis salvi per ignem, gravior tamen erit ille ignis, quàm quidquid potest homo pati in hac vita.

S. Paulin. *seu* Auctor. *Epist. ad Marcell. n.* 7. Cùmque magna dies illa in igne cœperit revelari, non concremetur opus tuum sapientis ignis examine, sed probetur.

Epist. 28. *aliàs* 9. *ad Sever. n.* 2. Hæc est domus illa non manufacta; in qua si habitemus iis operibus, quibus cives Santorum fieri mereamur, non ardebit opus nostrum; et ignis ille sapiens transeuntes nos per examen suum, non severo ardore ambiet puniendos; sed ut commendatos suscipiens, blando lambet attactu, ut possimus dicere: *Transivimus per ignem et aquam, et induxisti nos in refrigerium.* (*Psal.* LXV. 12.)

Epist. 35. *aliàs* 19. *ad Delphin. Vide infrà hocce §. litt.* (L)

(E) Origenes. *Homil.* 6. *in Exod. pag.* 46. Qui salvus fit, per ignem salvus fit, ut si quis fortè de specie plumbi habuerit admixtum, id ignis decoquat, et resolvat, ut efficiantur omnes aurum bonum. Quia aurum terræ illius bonum esse dicitur, quam habituri sunt sancti, et *sicut fornax probat aurum, sic homines justos tentatio.* (*Eccli.* XXVII. 6.) Veniendum est ergo omnibus ad ignem, veniendum est ad conflatorium: *sedet enim Dominus et conflat, et purgat filios Juda.* (*Malach.* III. 3.) Sed et illùc cùm venitur, si quis multa opera bona, et parum aliquid iniquitatis attulerit, illud parum tanquam plumbum igni resolvitur ac purgatur, et totum remanet aurum purum. Et si quis plus illùc plumbi detulerit, plus exuritur, ut ampliùs decoquatur, ut et si parum aliquid sit auri, purgatum tamen resideat. Quòd si aliquis illùc totus plumbeus venerit, fiet de illo hoc quod scriptum est, (*Exod.* XV. 10.) *demergetur in profundum, tanquam plumbum in aqua validissima.*

Homil. 14. *in Levit. pag.* 107. Natura peccati similis est materiæ quæ igni consumitur, quam ædificari Paulus Apostolus à peccatoribus dicit. (1. *Cor.* III. 12.) qui *supra fundamentum* Christi *ædificant ligna, fœnum, stipulam.* In quo manifestè ostenditur esse quædam peccata ita levia, ut stipulæ comparentur, cui utique ignis illatus diù non potest immorari: alia verò fœno esse similia, quæ ipsa non difficulter ignis absumat, verùm aliquantò tardiùs quam in stipulis immoretur: alia verò esse, quæ lignis conferantur, in quibus pro qualitate criminum diutinum et grande pabulum ignis inveniat. Ita ergo unum quodque peccatum pro qualitate, vel quantitate sui, pœnarum justa persolvit.

4. Audivit Joannes Apostolus in Apocalypsi (v. 15.), *omnem creaturam quæ in cœlo est, et super terram, et* SUB TERRA, et in mari, dantem agno benedictionem. At quinam *sub terra* dant Deo benedictionem? Sanè non dæmones, cæterique qui pœnis æternis cruciantur; ii enim æternùm maledicunt Deo: ergo non alii quàm in Purgatorio detenti. (F)

Homil. 12. *in Jerem. pag.* 385. Utrumne egredientes de præsenti seculo si habuerimus vitia, vel virtutes, recipiemus pro virtutibus præmia, et dimittentur nobis ea quæ scientes peccavimus: an plectemur pro delictis, neque recipiemus præmia pro virtutibus? Sed neutrum horum verum est, quia et pro peccatis torquebimur, et pro justitia recipiemus præmia quæ meremur. Si enim post fundamentum Jesu Christi non solùm in tuo corde aurum, et argentum, et lapidem pretiosum (si tamen habes aliquid auri vel argenti) superædificaveris, verùm et ligna, fœnum et stipulam, quid tibi vis fieri cùm anima sejuncta fuerit à corpore? utrumnam ingredi vis in sancta cum lignis tuis, cum fœno et stipula, ut polluas regnum Dei: an propter lignum, fœnum et stipulam foris residere, et pro auro, argento, et lapide pretioso nihil mercedis accipere? Sed neque hoc æquum est. Quid igitur sequitur, nisi ut primùm propter ligna ignis tibi detur, qui consumat fœnum, lignum, vel stipulam: Deus quippè noster apud eos qui possunt intelligere divina, *ignis* dicitur esse *consumens.* Et cùm dicat Propheta, (*Deut.* IV. 24.) *Deus noster ignis consumens est*, non apposuit quid consumat, tibi derelinquens de manifestioribus intellectum. Neque id quod ad imaginem et similitudinem suam permanet, ignis iste consumit, non proprias creaturas, sed superædificata ligna, fœnum, stipulam.... *Et retribuam,* (inquit) (*Jer.* XVI. 18.) *illis primùm duplices injustitias eorum:* necessariò appositum est primùm. Primùm quippè propter injustitiam coronamur. Neque enim è contrario antè tribuenda sunt justa, et sic reddenda peccata, ut cessantibus bonis vitia æterna permaneant; sed antè recipiemus mala, et deindè bona, ut sublatis vitiis virtutes permaneant in æternum.

S. CYPRIAN. *Epist.* 55. *aliàs* 52. *ad Anton. Vide hocce* §. *litt.* (G)

S. BASIL. *in cap.* IX. *Isai. circa finem. Quia propter indignationem iræ Domini succensa est terra omnis.* (*Isai.* XIX. 19.) Declarat in gratiam et beneficium animæ, terrena ipsa tradi depascendæ igni punitivo.... *Et erit populus ab igne deustus.* (*Ibid.*) Non omnimodam internecionem et exterminium comminatur, sed innuit expurgationem, juxta Apostoli sententiam, quia *si cujus opus exarserit, damnum patietur: ipse autem salvus fiet, sic tamen per ignem.* (1. *Cor.* III. 15.)

S. GREG. NAZIANZ. *Orat.* 39. *in S. Lumina, vide infrà hocce* §. *litt.* (G)

S. AMBROS. *Serm.* 20. *in Psal.* CXVIII. *n.* 58. Cave ligna, cave stipulam; ne ad judicium Dei tecum deferas, quæ ignis exurat. Cave ne cùm in uno aut duobus habeas quod probetur, in pluribus operibus deferas quod offendat. *Si cujus opus arserit, detrimentum patietur, potest tamen et ipse per ignem salvari.* Undè colligitur quia idem homo et salvatur ex parte et condemnatur ex parte. Cognoscentes itaque multa esse judicia, opera nostra examinemus omnia. In viro justo grave est detrimentum, grave operis alicujus incendium: in impio pœna miserabilis.

S. PAULIN. *Epist. ad Sever. Vide suprà litt.* (D) *hocce* §.

S. HIERON. *lib.* 2. *adversùs Jovin. pag.* 215. Si is cujus opus arsit et periit, et damnum sustinuit laboris sui, perdet quidem laboris præmium; sed ipse salvabitur, non tamen absque probatione ignis: ergo is *cujus opus manserit, quod superædificavit* sine ignis probatione salvabitur, et inter salvationem et salvationem utique erit diversitas aliqua.

Idem adstruunt omnes Scripturæ interpretes quos consule.

(F) EMAN. SA. *Comment. in Apocal.* V. 13. *Sub terra*, scilicet in purgatorio.

TIRINUS *in eumd. locum. Quæ in cœlo*, sunt, ut sol, luna, stellæ, sancti omnes: *super terram*, omnia animata et inanimata: *et sub terra*, quotquot in Purgatorio (inquit Suarez, Ribera et alii:) quotquot item in in-

Jam verò certissimâ traditione probatur Purgatorii veritas. Hæc à Christi ætate ad nostra usque tempora fuit semper omnium omninò Ecclesiarum fides; cujus testes proferimus ad marginem præcipuos ex SS. Patribus, multò plures facilè in testimonium producturi si necesse foret. (G) Et in hoc

ferno dæmones et damnati, inquit S. Gregorius et Rupertus. Coguntur enim omnes, extortà confessione, vel saltem concessione, tam Christum, quàm Deum pro Domino suo agnoscere ac revereri. *In nomine* enim *Jesu omne genu flectitur cœlestium, terrestrium et infernorum.* (*Philip.* II. 10.)

JOAN. MARIAN. *in eumd. loc. Et sub terra*, videtur purgatorium innuere: nam in inferno Deum non laudant.

GASP. à MELO Augustianus *Comment. in Apoc. cap.* 5. *Et omnem creaturam quæ in cœlo est, et super terram, et sub terra, et quæ sunt in mari, et quæ in eo: omnes audivi dicentes.* Dicitur hic laudare Deum in cœlo astra, in terra verò animalia et plantæ et insensibilia: et sub terra, quæcunque latent fusilia. « Vel sub terra laudant Deum illi, qui in ignis purgatorii loco sunt: imò suo etiam modo damnatis convenit hæc laus, non » quòd illi propriè Deum laudent; cùm dicat David Psalmo (CXIII. 17.) » *Non mortui laudabunt te, Domine, neque omnes qui descendunt in infernum:* et Isaiæ capite (XXXVIII. 18.) *Quia non infernus confitebitur tibi:* sed » quòd inviti cognoscunt Deum, et agnum, dignos esse laude, et honore: » jureque vindictam de adversariis suis sumere. »

GREG. FERRARIUS *in eumd. locum.* Dubium autem hîc est, quomodo Joannes potuerit audire omnes creaturas, quæ in cœlo, quæ in terra, quæ sub terra, quæ in mari sunt dicentes: *sedenti in throno, et agno benedictio, et honor, et gloria, et potestas in secula seculorum.* (*Apoc.* V. 13.) Sanè dubium non est hanc esse prosopopœiam, quæ respondet illi S. Pauli ad ROM. VIII. 22. *Scimus quòd omnis creatura ingemiscit, et parturit usque adhuc.* Quæ ibi ingemiscit, hîc deposito gemitu jubilat, et cantat. Ibi ingemiscit subjecta vanitati *exspectans revelationem filiorum Dei.* Hîc exsultat vanitate exclusâ per veritatem, et acceptâ tali revelatione: ibi omnis creatura videtur esse totum pro parte, et hîc quoque esse videtur. Nam sub terra aliquæ creaturæ sunt, quæ non sunt capaces hujus exsultationis, ut dæmones, et damnati, qui valdè longè sunt à laudando sic Deum, et agnum. Nam verum est illud Isaiæ XXVIII. *Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te*, Et illud *Ps.* CXIII. *Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in infernum.* Unde respondet Ribera, illud dici de illis, qui sunt in Purgatorio.

(G) S. CYPR. *Epist.* 55. *aliàs* 52. *ad Anton. pag.* 247. Aliud est, ad veniam stare, aliud ad gloriam pervenire: aliud missum in carcerem non exire indè, *donec salvat novissimum quadrantem;* (*Matth.* V. 26.) aliud statim fidei et virtutis accipere mercedem: aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emundari, et purgari diù igne; aliud peccata omnia passione purgasse: aliud denique pendere in die judicii ad sententiam Domini, aliud statim à Domino coronari.

S. GREGOR. NAZIANZ. *Orat.* 39. *in S. Lumina, circa finem.* In altero ævo igni fortasse baptizabuntur: qui postremus est baptismus, nec solùm acerbior, sed et diuturnior, qui crassam materiam instar fœni depascitur, vitiique omnis levitatem absumit.

S. GREGOR. NYSSEN. *Orat. pro defunctis, pag.* 634. *tom.* 3. *mihi pag.* 1066. *tom.* 2. Ut simul et humanæ naturæ relinqueretur dignitas liberæ voluntatis, et ipsum auferretur malum, hanc divina sapientia rationem excogitavit, ut in iis hominem esse sineret, quæ sibi ipse elegisset, quò gustatis malis, quæ concupierat, experiendoque discens, quæ quibus commutasset, eà cupiditate rursùm incenderetur, ut vitiorum perturbationumque, quæ rationi inimicæ sunt, onere deposito, ut vel in præsenti vita precibus sapientiæque studio purgatus, vel post obitum per expurgantis ignis fornacem expiatus, ad pristinam vellet redire felicitatem... Sin quò perturbationum impetus ducit inclinabit... è corpore egressus, cognitâ, quæ inter virtutem et vitium est differentiâ, non poterit divinitatis particeps fieri, nisi maculas animo immistas purgatorius ignis abstulerit... Aliis autem post hanc vitam

purgatorio igne materia labes et propensionem ad malum abstergentibus.

Orat. de infant. qui præmaturè abripiuntur. Tom. 3. *Edit. Paris. in fol. ann.* 1638. *pag.* 322. *mihi Tom.* 2. *pag.* 754. *ad Hierium...* An illa quoque anima judicem videbit? tribunali cum aliis sistetur? subibit actæ vitæ judicium? accipiet pro merito retributionem et compensationem? vel igni purgata, juxta Evangelii verba, vel in rore benedictionis refrigerata atque refocillata?

S. CYRILLUS. HIEROSOL. *Vide infrà hocce* §. *litt.* (L)

S. JOANN. CHRYS. *Homil.* 21. *in Act. Apost. in moral.* Est enim, si voluerimus, illi leve facere supplicium. Itaque si preces pro illo faciamus continuas, si eleemosynam demus, et si ille indignus sit, nobis Deus placatior erit. Si propter Paulum alios servavit, et propter alios aliis parcit: quomodo non et propter nos isthuc ipsum faciet? Ex illius opibus, ex tuis undè volueris, juva: instilla oleum, imò aquam: non potest suas eleemosynas ostentare, potest cognatorum. Non habet eas quæ factæ sunt à se, sed habet factas pro se. Ita cum fiducia illum deprecabitur tunc uxor, pretium redemptionis pro illo deponens: quò pluribus peccatis fuit obnoxius, hoc magis opus est illi eleemosynâ. Non propter hoc autem solùm, sed quòd neque æqualem habet vim nunc, sed multò minorem. Non est enim par, quod quis ipse facit, et quod per alium facit. Itaque cùm minor sit, multitudine faciamus illam maximam, non circa monumenta, non circa sepulcra occupati simus. Assiste viduas: hæc erit sepulcralis cura maxima. Dic nomen, omnes jube pro illo facere supplicationes et preces. Placabit hoc Deum, etiamsi non ab ipso factum sit, sed propter illum alius auctor sit eleemosynæ. Et hoc dogma est divinæ misericordiæ. Viduæ circumstantes et lacrymantes, non solùm à præsenti, sed etiam à futura possunt eripere morte... *Et in fine:* Hæc scientes consideremus, quantas consolationes possemus mortuis, pro lacrymis, pro lamentis, præstare: nempe eleemosynas, preces, orationes, ut et illi et nos assequamur promissa bona.

Homil. 3. *in. Epist. ad Philipp. vide infrà hocce* §. *litt.* (L)

S. AUGUST. *de cura pro mortuis, cap.* 1. *n.* 2. Quodam vitæ genere acquiritur, dum in hoc corpore vivitur, ut aliquid adjuvent ista defunctos; ac per hoc secundùm ea quæ per corpus gesserunt, eis quæ post corpus religiosè pro illis facta fuerint, adjuvantur. Sunt enim quos nihil omninò adjuvant ista; sive pro eis fiant, quorum tam mala sunt merita, ut neque talibus digni sint adjuvari; sive pro eis, quorum tam bona, ut talibus non indigeant adjumentis. Genere igitur vitæ, quod gessit quisque per corpus, efficitur ut prosint vel non prosint, quæcunque pro illo piè fiunt, cùm reliquerit corpus. Nam meritum per quod ista prosint, si nullum comparatum est in hac vita, frustrà quæritur post hanc vitam. Ita fit ut neque inaniter Ecclesia vel suorum cura pro defunctis, quod potuerit religionis impendat.

Cap. 18. *n.* 22. Non existimemus ad mortuos, pro quibus curam gerimus, pervenire, nisi quod pro eis sive altaris, sive orationum, sive eleemosynarum sacrificiis solemniter supplicamus: quamvis non pro quibus fiunt omnibus prosint, sed iis tantùm quibus dum vivunt comparatur ut prosint. Sed quia non discernimus qui sint, oportet ea pro regeneratis omnibus facere, ut nullus eorum prætermittatur, ad quos hæc beneficia possint et debeant pervenire. Melius enim supererunt ista eis quibus nec obsunt nec prosunt, quàm eis deerunt qui prosunt.

De Genes. contra Manich. lib. 2. *cap.* 20. *n.* 30. Qui enim coluerit agrum istum interiùs, et ad panem suum quamvis cum labore pervenerit, potest usque ad finem vitæ hujus hunc laborem pati: post hanc autem vitam non est necesse ut patiatur. Sed qui fortè agrum non coluerit, et spinis eum opprimi permiserit, habet in hac vita maledictionem terræ suæ in omnibus operibus suis, et post hanc vitam habebit vel ignem purgationis vel pœnam æternam. Ita nemo evadit istam sententiam. Sed agendum est, ut saltem in hac tantùm vita sentiatur.

S. PAULIN. *Epist. ad Delphin. Vide infrà hocce* §. *litt.* (L)

S. BASIL. *in cap.* VI. *Isaï. circa med. pag.* 708. Quoniam ritus ille quo apud Judæos Deus celebratur, subservichat *exemplari et umbræ cæles-*

Ecclesia Orientalis cum Occidentali consentit, et consensit semper. (H)

I. Qualis est Purgatorii pœna ?

R. Quid, quantùm, quandiù quælibet anima in Purgatorio torqueatur non definivit Ecclesia. Id solum novimus Purgatorium existere. Nec dubitamus quin pro modo culpæ et pœnæ debitæ, quælibet anima plus minusve patiatur. (I) Cæterùm patianturne verum ignem, quidve aliud supplicii genus, non est definitum. Tamen in Missæ Canone (*In Memento Defunct.*) orat Ecclesia ut mortuis fidelibus *indulgeat* Deus *locum refrigerii, lucis, et pacis.* Ex qua oratione colligitur animas illas carere refrigerio, luce et pace.

I. Cur pœna hæc purgatoria dicitur ?

R. Quia per hanc purgantur animæ, et dignæ efficiuntur introïtu in Sancta Sanctorum. (K)

I. Nullane adest consolatio animabus in Purgatorio detentis ?

R. Valdè probabile est non omni illas consolatione carere. Tum quia sciunt satisfacere se Deo quem amant : Tum quia

tium (*Hebr.* VIII. 5.), cœleste quiddam insinuare intelligendum est altare illud, nempe locum lustrandis animabus accommodatum, e quo ignis ille purificativus per eas virtutes eximiâ sanctitate præditas elicitur.

In cap. X. *multò ante finem, pag.* 731. *Erit lumen Israël in ignem.* Cumque operatoriæ vires ignis duæ sint potissimùm, illustrativa et adusliva ; prior quidem per quam suavis et amœna, ob id sanè est et apprimè gratiosa, splendor ignis persistet ut ipsum Israël illustret, suaque claritate circumfundat; amarulenta autem afflictio et ægritudo animi invectæ ob superbiam per partes ibunt pessum, et incendet ipsum et per adustionem absque consolatione afflictioni tradet, *et sanctificabit eum in igne flagranti, et comedet quasi fœnum, sylvam.* Pandit hic naturam ignis. Quia lustrativus est et purgatorius : sanctificabit ipsum quasi in igne ardenti. Quomodo autem sanctificat ignis, quia comesturus est sylvam, tanquam fœnum ? Sanè ex quo *Deus noster ignis consumens est* (*Deut.* IV. 24.), nimirùm consumet sylvam, et vitia quæ à sylva sive materia promanant, animæ quidem cohærentia non in spiritu, sed in carne... Postquam insuper lumen affulsit Israëli, ut in ignem verteretur Assyrio, ne immodico ejus luminis splendore sanctificatus expiaretur per adustionem ignis operatoriam et efficacem expurgationis et obligurientem sylvam omnem quæ inest peccatis, tanquam fœnum, tum deinceps eâ consumptâ materiâ quæ flammam redaccenderat castigatoriam, infert, *conquiescent montes incensi, et colles et sylvæ condensæ, fumumque accipiet ignis conflagrationis, qui depascebatur ea et exedet omnia.* (*Isai.* X. 18. *juxta* LXX.)

(H) *Id patet testimoniis Patrum Græcorum à nobis suprà allatis et infrà exscribendis ; quod fusiùs probat* LEO ALLATIUS, *tùm ex antiquis, tùm ex recentioribus auctoribus Græcis, et ex libris Liturgicis, in tractatu* de Purgatorio, *quem consule.*

(I) S. AUG. *lib. de octo Dulcitii Quæst. Quæst.* 1. *n.* 13. Tale aliquid etiam post hanc vitam fieri incredibile non est, et utrùm ita sit, quæri potest : et aut inveniri, aut latere, nonnullos fideles per ignem quemdam purgatorium, quantò magis minusve bona pereuntia dilexerunt, tantò tardiùs citiùsque salvari : non tamen tales, de qualibus dictum est, quòd *Regnum Dei non possidebunt* (1. *Cor.* VI. 9.), nisi convenienter pœnitentibus eadem crimina remittantur.

Eadem etiam leguntur iisdem planè verbis Enchiridii, n. 18. *cap.* 69.

(K) S. BASIL. *in cap.* 10. *Esaïæ. Vide suprà hocce* §. *litt.* (G)

admittendæ sunt tandem ad visionem Dei, Dei possessionem exspectant, et eâ spe minimè dubiâ recreantur. Neque enim verisimile est hâc illas quandiù torquentur notitiâ et spe privari.

I. Possuntne animæ in Purgatorio detentæ juvari aliquatenùs?

R. Posse precibus et suffragiis et eleemosynis fidelium, potissimùm verò acceptabili altaris sacrificio juvari, constans fuit semper Ecclesiæ fides. (L)

(L) TERTULL. *de Monogam. cap.* 10. Enim verò (uxor) et pro animæ ejus (defuncti mariti) orat, et refrigerium interim adpostulat ei, et in prima resurrectione consortium, et offert annuis diebus dormitionis ejus.

ARNOB. *lib.* 4. *advers. gentes, in fine.* Nostra quidem scripta cur ignibus meruerit dari? cur immaniter conventicula dirui? in quibus summus oratur Deus, pax cunctis et venia postulatur magistratibus, exercitibus, Regibus, familiaribus, inimicis, adhuc vitam degentibus, et resolutis corporum vinctione.

S. CYRIL. HIEROS. *Catech. Mystag.* 5. *paulò ante medium.* Pro omnibus oramus, qui inter nos vitâ functi sunt, maximum esse credentes animarum juvamen, pro quibus offertur precatio, sancti illius et tremendi, quod in altari positum est, sacrificii. Quod exemplo vobis demonstrare volumus. Scio enim multos dicere: Quid juvat animam sive cum peccatis sive absque peccatis ex hoc mundo decedentem, etiamsi in hoc sacrificio mentio illius fiat? An enim si Rex aliquis eos, à quibus offensus est, in exilium pepulerit, posteà verò illorum propinqui, coronam aliquam conficientes, pro his, qui sunt in supplicio, exulibus, eidem offerrent, nonne condonationem aliquam suppliciorum ipsis dederit? Ad eumdem modum et nos pro defunctis precationes adhibentes, quamvis sunt peccatores, non quidem coronam plectimus, sed Christum pro nostris peccatis mactatum offerimus, ut et nobis, et illis, eum qui est benignissimus, propitium reddamus.

S. JOANN. CHRYSOST. *Homil.* 21. *in Act. Apost. in morat. versùs finem.* Non frustrà oblationes pro defunctis fiunt, non frustrà eleemosynæ. Hæc omnia Spiritus disposuit, volens ut nos mutuùm juvemus.... Non temerè Diaconus clamat, (*In Litt. Græc.*) *Pro his qui defuncti sunt in Christo, et pro his qui illorum memoriam faciunt.* Non Diaconus est qui talem illam vocem emittit, sed Spiritus: non sanctus, inquam, sed donum. Quid dicis? In manibus est hostia, et omnia proposita sunt benè ordinata, adsunt Angeli, adsunt Archangeli, adest Filius Dei, cum tanto horrore adstant omnes, adstant illi clamantes omnibus silentibus, et putas temerè hæc fieri? Igitur et alia temerè, et quæ pro Ecclesia, et quæ pro Sacerdotibus offeruntur, et quæ pro plenitudine ac universitate? Absit. Sed omnia cum fide fiunt.... Vide enim: annuntiatur tunc sacramentum horrendum, quod pro mundo dedit seipsum Deus; cum illo miraculo tempestivè memor est ille eorum qui peccarunt. Sicut enim quando regum trophæa statuuntur, tunc celebrantur quidem et quicunque victoriæ socii fuerunt, dimittuntur autem qui sunt in vinculis per illud tempus. Ubi autem transierit hoc tempus, qui nihil assecutus est nihil obtinet. Ita sanè et hîc. Trophæorum et celebrandæ victoriæ tempus est. *Quoties enim*, inquit, *manducatis panem hunc, mortem Domini annuntiate.* (2. *Cor.* XI. 16.)

Homil. 41. *in Epist.* 1. *ad Corinth. in morali.* Abierit peccator sanè, gaudere decet, peccata impedita esse, et non accumulatum malum, nitique quantùm fieri potest, ut juvetur non lacrymis, sed prece, supplicationibus, eleemosynis, oblationibus. Non est temerè hoc excogitatum, nec frustrà memoriam mortuorum inter sacra mysteria celebramus, aut accedimus, provistis agnum illum jacentem, et peccata mundi tollentem deprecantes, sed ut his consolatio hinc aliqua fiat. Nec temerè qui altari assistit, inter horrenda mysteria clamat, (*In Litt. Græc.*) *Pro omnibus in Christo dormientibus, et pro his qui memoriam celebrant illorum.* Nam

tunquam ista fiant, neque hæc dicantur, si pro illis commemorationes non fierent. Neque enim scena jam amplius nostra sunt, sed Spiritûs ordinatione fiunt. Opitulemur igitur his fratres, memoriam pro ipsis faciamus. Nam si Job illius liberos patris victima purgavit (*Job.* I. 5.) quid dubites, è nobis quoque si pro dormientibus offeramus solatii quiddam illis accessurum? Gratificari Deus propter alios aliis solet, quod Paulus hîc ostendit. (2. *Cor.* I. 11.) *Ut ex multis*, inquit, *personis pro dono in nos collato, per multos gratiæ pro nobis agantur.* Ne defatigemur mortuis auxilium ferendo, preces pro ipsis offerendo: communis totius orbis victima preces sunt.

Homil. 3. *in Epist. ad Philipp. in morali.* Defleamus istos, juvemus eos pro viribus, procuremus illis aliquid auxilii, modici quidem, attamen juvemus eos. Quomodo, quave ratione? Precantes, adhortemur et alios ut pro illis orent, pauperibusque indesinenter pro illis eleemosynas demus. Habet res ista nonnihil consolationis. Audi quippè quid Deus dicat (4. *Reg.* XIX. 34.): *Protegam civitatem istam propter me, et propter David servum meum.* Si memoria duntaxat justi tantùm valuit, quando et opera pro tali fiunt, quid non poterunt? Non frustra ab Apostolis sanctum est, (*Const. Apost.*) ut in celebratione venerandorum mysteriorum memoria fiat eorum qui hinc discesserunt. Noverunt illis multum hinc emolumenti fieri, multum utilitatis. Stante siquidem universo populo, manus in cœlos extendente, cœlu item Sacerdotali, verendoque posito sacrificio, quomodo Deum non placaremus pro istis orantes? Verùm istud quidem de illis dicimus, qui in fide abscesserunt, catechumenos verò neque isto solatio dignamur.

EUSEB. *de vita Constant. lib.* 4. *cap.* 70. Postquam ad Apostolorum Servatoris nostri Ecclesiam perventum est, arcam (*in qua Constantini Imperatoris cadaver jacebat*) illic deposuerunt. Hunc in modum novus Imperator Constantius, tum adventu suo, tum reliquis officiis patri honorem exhibens, justa, ut par erat, persolvit.

Cap. 71. Ubi verò ille cum militaribus numeris abscessit, ministri Dei cum turbis et tota fidelium plebe in medium prodiere, et divini cultûs cæremonias precationibus peregerunt. Ac beatus quidem princeps alto in suggestu jacens, laudibus tum celebrabatur. Innumerabilis autem populus unà cum Sacerdotibus Dei, non sine gemitu ac lacrymis, pro Imperatoris anima preces offerebant Deo; gratissimum pio principi officium exhibentes. Porrò in hoc etiam Deus prolixam erga famulum suum benevolentiam declaravit: quippè qui charissimis ac germanis ejus filiis paterni Imperii successionem tribuerit; et quod maximè ambierat, locum juxta Apostolorum memoriam ei concesserit; ut scilicet beatissimæ illius animæ tabernaculum Apostolici nominis atque honoris consortio frueretur, et populo Dei in Ecclesia sociaretur; divinisque cæremoniis ac mystico sacrificio, et sanctarum precum communione potiri mereretur.

S. AMBROS. *de obitu Valent. n.* 78. Beati ambo, si quid meæ orationes valebunt! Nulla dies vos silentio præteribit, nulla inhonoratos vos mea transibit oratio, nulla nox non donatos aliquâ precum mearum contextione transcurret: omnibus vos oblationibus frequentabo. Quis prohibebit innoxios nominare? Quis vetabit commendationis persecutione complecti?

De obitu Theodos. n. 3. Ejus ergo principis et proximè conclamavimus obitum, et nunc Quadragesimam celebramus, assistente sacris altaribus Honorio principe.... Alii tertium diem et trigesimum, alii septimum et quadragesimum observare consueverunt.

N. 36. Da requiem perfectam servo tuo Theodosio, requiem illam, quam præparasti sanctis tuis. Illò convertatur anima ejus, undè descendit; ubi mortis aculeum sentire non possit, ubi cognoscat mortem hanc non naturæ finem esse, sed culpæ.

N. 7. Dilexi, et ideò prosequor eum usque ad regionem vivorum, ne deseram, donec fletu et precibus inducam virum, quò sua merita vocant in montem Domini sanctum.

De excessu fratris sui Satyri, n. 80. Tibi nunc, omnipotens Deus, innoxiam commendo animam, tibi hostiam meam offero, cave propitius ac serenus fraternum munus, sacrificium Sacerdotis. Hæc mei jam

libamina præmitto, in hoc ad te pignore venio, non pecuniæ, sed vitæ pignore; ne me diutiùs residere facias tanti fœnoris debitorem.

Lib. 2. *de excessu fratris sui, seu de fide resurrect. n.* 2. Die septimo ad sepulcrum redimus.

N. 5. Nos quoque ipsi natales dies defunctorum obliviscimur, et eum quo obierunt diem, celebri solemnitate renovamus.

S. Epiphan. *Hæres.* 75. *n.* 3. *Aërii errores enumerans, hujus hæretici verba sic refert:* Pergit et deindè: et quæ ratio est, *inquit*, post obitum mortuorum appellare nomina? Nam ut vivus oret, ut in pauperes bona sua dispenset quid ex hoc tandem ad mortuum redit? *Deindè verò et precum pro mortuis fructum declaret, hæc subjunxit:* Nam et justorum pariter et peccatorum mentionem facimus: peccatorum quidem, ut iis à Domino misericordiam imploremus: justorum autem.... ut D. J. Christum singulari quodam honore prosequentes ab cæterorum hominum ordine segregemus.

S. Hieronym. *Epist.* 54. *aliàs* 26. *ad Pammach. col.* 584. Pammachius noster sanctam favillam ossaque veneranda, eleemosynæ balsamis rigat. His pigmentis atque odoribus fovet cineres quiescentes, sciens scriptum: *sicut aqua exstinguit ignem, ita eleemosyna peccatum.* * (*Eccli.* iii. 33.)

S. Paulin. *apud* August. *lib. de cura pro mortuis gerenda, cap.* 1. *n.* 1. Adjungis etiam vacare non posse, quòd universa pro defunctis Ecclesia supplicare consuevit, ut hinc et illud conjici possit, homini prodesse post mortem, si fide suorum humando ejus corpori talis provideatur locus, in quo appareat opitulatio etiam isto modo quæsita Sanctorum.

Epist. 13. *aliàs* 37. *et* 43. *ad Pammach. n.* 3. Conjugem.... non vacuam fletibus, ut maxima pars mortalium, neque vano, ut spei nostræ experles solent, pomparum inanium honore comitatus es; sed remediis salutaribus et vivis operibus, hoc est, eleemosynis prosecutus, debito ordine primùm charo funeri justa persolvens, piis lacrymis et largo charitatis rore perfusus religiosiùs exsequias honorasti.

N. 11. Verè conscius veritatis, et filius lucis, ubi mortem sciebas esse, flevisti; ubi vitam credis, operatus es: vacuis inania, vivis viva dependens. Itaque patronos animarum nostrarum pauperes, qui totâ Romæ stipe meritant multi, tu dives in aula Apostoli congregasti.

N. 14. Egena corpora fovens, redeuntibus in meliorem tui partem operibus tuis, retributione divinâ tuum potiùs spiritum saginasti, et benedictæ conjugis animam refecisti; in illam transfundente Christi manu, quæ tuâ pauperibus erogabantur, cùm in ictu oculi permutata in cœlestes cibos carnalis esca transiret.

N. 27. Habes jam in Christo magnum tui pignus, et ambitiosum suffragium, conjugem, quæ tibi tantùm gratiæ in cœlestibus parat, quantùm tu illi à terris opulentiæ suggeris; non illam, ut dixi luctibus cassis honorans, sed vivis muneribus accumulans, quibus illa nunc gaudet: jamque illi hujus operis tui usus in fructu est, cujus adhuc tibi munus in semine.

N. 28. Jam honoratur tuis illa meritis, jam pascitur tuis panibus, et affluit tuis opibus; in vestitu deaurato circumamicta varietate, pretioso lumine; non eget alienæ manûs digito refrigerari, propriis ipsa digitorum suorum roribus, id est, dexteræ tuæ operibus, infusa. Non æquè amplâ dote nubentem locupletaveras, ut nunc ditificas quiescentem. Quantam enim tunc partem tuorum munerum cepit, cùm eo solo, quod poterat induere, frueretur; nunc quantumcunque contuleris, totum simul, omnium censuum voluptate dives, animo possidebit. Beata, cui tam numerosa apud Christum suffragia sunt.

Epist. 35. *aliàs* 19. *ad Delphinum.* Orationibus tuis condonetur tibi, ut et illius animam vel de minimo sanctitatis tuæ digito distillans refrigerii gutta respergat: et nobis dum tempus est, recurrentibus ad te, et clamantibus: *Pater peccavimus in cœlum et in te, jam non sumus digni vocari filii tui* (*Luc.* xv. 21.): pro confessione peccati divina miseratio te interveniente succurrat. Ne pro absumpta Patris æterni substantia, quam quotidiè peccata nostra dilapidant, obruamur pudore redeundi, et in longinqua regione commorati in custodiam escamque porcorum indignam, quod nefas est, deducamur.

Epist. 30. *aliàs* 28. *ad Amandum, n.* 2. Impensè rogamus, ut quasi frater, quod nobis in Domino esse dignaris, unanimes fratres juvans, et hanc meritis fidei tuæ mercedem accumules, ut pro eo infirmitati nostræ compatiaris, et orandi labore conspires; ut *misericors et miserator Deus, qui facit omnia in cœlo et in terra, et in mari, et abyssis* (*Ps.* CX. 4. *Ps.* CXXXIV. 6.), refrigeret animam ejus stillicidiis misericordiæ suæ per orationes vestras. Quia sicut *ignis accensus* ab eo *ardebit usque ad inferos deorsùm* * (*Deut.* XXXII. 22.), ita procul dubio etiam ros indulgentiæ ejus inferna penetrabit, ut roscido pietatis ejus lumine in tenebris ardentibus æstuantes refrigeremur.

S. AUGUST. *Enchirid. cap.* 110. *Vide suprà hocce* 2. *litt.* (C)

Confess. lib. 9. *cap.* 12. *n.* 32. In eis precibus quas tibi fudimus, cùm offerretur pro eo sacrificium pretii nostri, jam juxta sepulcrum posito cadavere, priusquam deponeretur, sicut illic fieri solet, nec in eis precibus ego flevi.

Cap. 13. *n.* 35. Pro peccatis matris meæ deprecor te, exaudi me per medicinam vulnerum nostrorum quæ pependit in ligno; et sedens ad dexteram tuam, te *interpellat pro nobis.* (*Rom.* VIII. 34.) Scio misericorditer operatam, et ex corde dimississe debita debitoribus suis (*Matth.* VI. 12.): dimitte illi et tu debita sua, si qua etiam contraxit per tot annos post aquam salutis. Dimitte Domine, dimitte, obsecro, *ne intres cum ea in judicium.* (*Ps.* CXLII. 2.)

N. 36. Memoriam sui ad altare tuum fieri desideravit, cui nullius diei prætermissione servierat, undè sciret dispensari victimam sanctam, quâ deletum est *chirographum quod erat contrarium nobis* (*Coloss.* II. 14.), quâ triumphatus est hostis computans delicta nostra.... Quis ei restituet pretium quo nos emit ut nos auferat ei? ad cujus pretii nostri sacramentum ligavit ancilla tua animam suam vinculo fidei.

Serm. 172. *aliàs* 32. *de verbis Apost. c.* 2. *n.* 2. Orationibus verò sanctæ Ecclesiæ, et sacrificio salutari, et elcemosynis, quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adjuvari; ut cum eis misericordiùs agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt. Hoc enim à Patribus traditum, universa observat Ecclesia, ut pro eis qui in corporis et sanguinis Christi communione defuncti sunt, cùm ad ipsum sacrificium loco suo commemorantur, oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur. Cùm verò eorum commendandorum causà opera misericordiæ celebrantur, quis eis dubitet suffragari, pro quibus orationes Deo non inaniter allegantur? Non omninò ambigendum est, ista prodesse defunctis; sed talibus qui ita vixerint ante mortem, ut possint eis hæc utilia esse post mortem. Nàm qui sine fide quæ per dilectionem operatur, ejusque sacramentis, de corporibus exierunt, frustrà illis à suis hujusmodi pietatis impenduntur officia, cujus, dum hic essent, pignore caruerunt, vel non suscipientes, vel *in vacuum suscipientes Dei gratiam* (2. *Cor.* VI. 1. *Rom.* 11. 5.), et sibi non misericordiam thesaurizantes, sed iram. Non ergo mortuis nova merita comparantur, cùm pro eis boni aliquid operantur sui, sed eorum præcedentibus consequentia ista redduntur: non enim actum est, nisi cùm hìc viverent, ut eos hæc aliquid adjuvarent, cùm hìc vivere destitissent. Et ideò istam finiens quisque vitam, nisi quod meruit in ipsa, non poterit habere post ipsam.

N. 3. Illa quæ adjuvant spiritus defunctorum, oblationes, orationes, erogationes, multò pro eis observantiùs, instantiùs, abundantiùs impendant, qui suos carne, non spiritu mortuos, non solùm carnaliter, sed etiam spiritaliter amant.

Lib. de cura pro mortuis cap. 1. *et* 18. *Vide suprà hocce* §. *litt.* (G)

Cap. 4. *n.* 6. Profectò etiam provisus sepeliendis corporibus apud Memorias Sanctorum locus, bonæ affectionis humanæ est erga funera suorum: quoniam si nonnulla religio est ut sepeliantur, non potest nulla esse quando ubi sepeliantur attenditur. Sed cùm talia vivorum solatia requirantur, quibus eorum pius in suos animus apparet, non video quæ sunt adjumenta mortuorum, nisi ad hoc ut dum recolunt ubi sint posita eorum quos diligunt corpora, eisdem Sanctis illos tanquam patronis susceptos apud Dominum adjuvandos orando commendent. Quod quidem facere possent, etiamsi talibus locis eos humare non possent... Cùm itaque recolit

I. Æternumne perstabit Purgatorium ?

R. Jam diximus (*Part.* 1. *Sect.* 2. *Cap.* 3. §. 16.) post ultimum Christi adventum nullum ampliùs fore Purgatorium : tunc in cœlum recipientur, et cum Deo in sempiternum purgatæ animæ manebunt. (M)

animus ubi sepultum sit charissimi corpus, et occurrit locus nomine Martyris venerabilis, eidem Martyri animam dilectam commendat recordantis et precantis affectus. Qui cùm defunctis à fidelibus charissimis exhibetur, eum prodesse non dubium est iis, qui cùm in corpore viverent, talia sibi post hanc vitam prodesse meruerunt. Verùm et si aliqua necessitas vel humari corpora, vel in talibus locis humari nullâ datâ facultate permittat, non sunt prætermittendæ supplicationes pro spiritibus mortuorum : quas faciendas pro omnibus in Christiana et Catholica societate defunctis etiam tacitis nominibus eorum sub generali commemoratione suscepit Ecclesia ; ut quibus ad ista desunt parentes, aut filii, aut quicùnque cognati vel amici, ab una eis exhibeantur pia matre communi. Si autem deessent istæ supplicationes, quæ fiunt rectâ fide ac pietate pro mortuis, puto quòd nihil prodesset spiritibus eorum quamlibet in locis sanctis exanima corpora ponerentur, etc.

Concil. Carthag. III. *Can.* 29. *tom.* 2. *Concil. Labb. col.* 1171. Si aliquorum pomeridiano tempore defunctorum, sive Episcoporum seu Clericorum, sive cæterorum, commendatio facienda est, solis orationibus fiat, si illi qui faciunt, jam pransi inveniantur.

Conc. IV. *Can.* 79. *aliàs* 22. *ibid. col.* 1206. Pœnitentes, qui attentè leges pœnitentiæ exsequuntur, si casu in itinere vel in mari mortui fuerint, ubi eis subveniri non possit, memoria eorum et orationibus et oblationibus commendetur.

Similia reperire est tum in operibus Patrum, tum in Conciliorum Decretis : pauca hæc ex multis delibasse sufficiat.

(M) Isai. lx. 17. Ponam visitationem tuam pacem, præpositos tuos justitiam. 18. Non audietur ultrà iniquitas in terra tua, vastitas et contritio in terminis tuis, et occupabit salus muros tuos, et portas tuas laudatio. 19. Non erit tibi ampliùs sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te : sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et Deus tuus in gloriam tuam. 20. Non occidet ultrà sol tuus, et luna tua non minuetur : quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et complebuntur dies luctûs tui. 21. Populus autem tuus omnes justi, in perpetuum hæreditabunt terram, germen plantationis meæ, opus manûs meæ ad glorificandum. 22. Minimus erit in mille, et parvulus in gentem fortissimam : ego Dominus in tempore ejus subitò faciam istud.

lxi. 2. Spiritus Domini super me, eò quòd unxerit Dominus me : ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, et prædicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem : 2. ut prædicarem annum placabilem Domino, et diem ultionis Deo nostro : ut consolarer omnes lugentes. (*Matth.* v. 5. 3.) Ut ponerem lugentibus Sion : et darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris : et vocabuntur in ea fortes justitiæ, plantatio Domini ad glorificandum.

Jerem. xxxi. 10. Audite verbum Domini Gentes, et annuntiate in insulis, quæ procul sunt, et dicite : Qui disperdit Israel, congregabit eum : et custodiet eum sicut pastor gregem suum. 11. Redemit enim Dominus Jacob, et liberavit eum de manu potentioris. 12. Et venient, et laudabunt in monte Sion : et confluent ad bona Domini super frumento, et vino, et oleo, et fœtu pecorum et armentorum : eritque anima eorum quasi ortus irriguus, et ultrà non esurient. 13. Tunc lætabitur virgo in choro, juvenes et senes simul : et convertam luctum eorum in gaudium, et consolabor eos, et lætificabo à dolore suo. 14. Et inebriabo animam Sacerdotum pinguedine : et populus meus bonis meis adimplebitur, ait Dominus. 15. Hæc dicit Dominus : Vox in excelso audita est lamentationis, luctûs, et fletûs Rachel plorantis filios suos, et nolentis consolari super eis, quia non sunt. (*Matth.* ii. 18.) 16. Hæc dicit Domi-

nus : Quiescat vox tua à ploratu , et oculi tui à lacrymis : quia est merces operi tuo , ait Dominus : et revertentur de terra inimici. 17. Et est spes novissimis tuis , ait Dominus : et revertentur filii ad terminos suos.

BARUCH. IV. 1. Hic liber mandatorum Dei , et lex , quæ est in æternum: omnes , qui tenent eam , pervenient ad vitam : qui autem dereliquerunt eam , in mortem... 6. Venundati estis Gentibus non in perditionem : sed propter quod in ira ad iracundiam provocastis Deum , traditi estis adversariis... 9... Audite confines Sion : adduxit enim mihi Deus luctum magnum : 10. Vidi enim captivitatem populi mei, filiorum meorum , et filiarum , quam superduxit illis æternus. 11. Nutrivi enim illos cum jucunditate : dimisi autem illos cum fletu et luctu... 14. Veniant confines Sion , et memorentur captivitatem filiorum , et filiarum mearum , quam superduxit illis æternus. 15. Adduxit enim super illos gentem de longinquo , gentem improbam , et alterius linguæ : 16. qui non sunt reveriti senem , neque puerorum miserti sunt , et abduxerunt dilectos viduæ , et à filiis unicam desolaverunt. 17. Ego autem quid possum adjuvare vos ? 18. Qui enim adduxit super vos mala , ipse vos eripiet de manibus inimicorum vestrorum. 19. Ambulate filii , ambulate : ego enim derelicta sum sola. 20. Exui me stolâ pacis , indui autem me sacco obsecrationis , et clamabo ad altissimum in diebus meis. 21. Animæquiores estote filii : clamate ad Dominum , et eripiet vos de manu principum inimicorum. 22. Ego enim speravi in æternum salutem vestram : et venit mihi gaudium à sancto super misericordia , quæ veniet vobis ab æterno salutari nostro. 23. Emisi enim vos cum luctu et ploratu : reducet autem vos mihi Dominus cum gaudio et jucunditate in sempiternum. 24. Sicut enim viderunt vicinæ Sion captivitatem vestram à Deo , sic videbunt et in celeritate salutem vestram à Deo , quæ superveniet vobis cum honore magno , et splendore æterno. 25. Filii patienter sustinete iram , quæ supervenit vobis : persecutus est enim te inimicus tuus , sed citò videbis perditionem ipsius: et super cervices ipsius ascendes. 26. Delicati mei ambulaverunt vias asperas : ducti sunt enim ut grex direptus ab inimicis. 27. Animæquiores estote filii , et proclamate ad Dominum : erit enim memoria vestra ab eo qui duxit vos. 28. Sicut enim fuit sensus vester ut erraretis à Deo : decies tantùm iterùm convertentes requiretis eum. 29. Qui enim induxit vobis mala , ipse rursùm adducet vobis sempiternam jucunditatem cum salute vestra. 30. Animæquior esto Jerusalem , exhortatur enim te , qui te nominavit. 31. Nocentes peribunt , qui te vexaverunt : et qui gratulati sunt in tua ruina , punientur. 32. Civitates , quibus servierunt filii tui , punientur : et quæ accepit filios tuos. 33. Sicut enim gavisa est in tua ruina , et lætata est in casu tuo , sic contristabitur in sua desolatione. 34. Et amputabitur exsultatio multitudinis ejus,et gaudimonium ejus erit in luctum. 35. Ignis enim superveniet ei ab æterno in longiturnis diebus , et habitabitur à dæmoniis in multitudine temporis. 36. Circumspice Jerusalem ad Orientem , et vide jucunditatem à Deo tibi venientem. 37. Ecce enim veniunt filii tui , quos dimisisti dispersos , veniunt collecti ab Oriente usque ad Occidentem , in verbo sancti gaudentes in honorem Dei.

V. 1. Exue te Jerusalem stolâ luctûs , et vexationis tuæ ; et induc te decore , et honore ejus quæ à Deo tibi est sempiternæ gloriæ. 2. Circumdabit te Deus diploide justitiæ , et imponet mitram capiti honoris æterni. 3. Deus enim ostendet splendorem suum in te , omni qui sub cœlo est. 4. Nominabitur enim tibi nomen tuum à Deo in sempiternum : Pax justitiæ , et honor pietatis.

APOCAL. XX. 11. Et vidi thronum magnum candidum , et sedentem super eum , à cujus conspectu fugit terra , et cœlum , et locus non est inventus eis. 12. Et vidi mortuos magnos , et pusillos stantes in conspectu throni , et libri aperti sunt : et alius Liber apertus est qui est vitæ : et judicati sunt mortui ex his , quæ scripta erant in libris secundùm opera ipsorum. 13. Et dedit mare mortuos , qui in eo erant : et mors , et infernus dederunt mortuos suos, qui in ipsis erant , et judicatum est de singulis secundùm opera ipsorum. 14. et infernus , et mors missi sunt in stagnum ignis. Hæc est mors secunda. 15. Et qui non inventus est in libro vitæ scriptus , missus est in stagnum ignis.

XXI. 1. Et vidi cœlum novum , et terram novam. Primum enim cœlum,

§. 19. De Indulgentiis. Quid sint Indulgentiæ. Esse in Ecclesia potestatem eas concedendi.

I. Si quis fortè Deo præ infirmitate, seu alio quovis impedimento planè satisfacere nequit, adestne ipsi remedium quo defectus satisfactionis suppleatur ?

R. Potest satisfactionis defectus suppleri vel per orationes et bona opera fidelium orantium pro se invicem, et sibi invicem communicantium bona sua (A), vel per Indulgentiam Ecclesiæ.

I. Quid intelligis *Indulgentiæ* nomine ?

R. Hìc intelligo beneficium ab Ecclesia concessum peccatoribus, quo remittitur ipsis pars satisfactionis quæ ipsis vel injuncta fuit, vel debuisset injungi pro peccatis post baptismum commissis. Rem explico.

Dicitur Indulgentia *beneficium*, id est, gratia, misericordia. Beneficium concessum *ab Ecclesia*, id est, à supremis Pastoribus Ecclesiæ, et quidem vice et auctoritate Christi : quod quidem infrà fusiùs explicabimus. (§. *seq.*)

et prima terra abiit ; et mare jam non est. (*Isai.* LXV. 17. LXVI. 22.) 2. Et ego Joannes vidi sanctam civitatem Jerusalem novam descendentem de cœlo à Deo, paratam, sicut sponsam ornatam viro suo 3. Et audivi vocem magnam de throno dicentem : Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis. Et ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus : 4. et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum : et mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà, quia prima abierunt. 5. Et dixit qui sedebat in throno : Ecce nova facio omnia. (*Isai.* XLIII. 19.)

Vide S. AUG. *lib.* 21. *de Civit. Dei, cap.* 24. *n.* 2. *suprà hocce* §. *litt.* (C)

(A) S. AMBROS. *Lib.* 5. *in Luc. n.* 92. Et si grave peccatum est quod pœnitentiæ tuæ lacrymis ipse lavare non possis, fleat pro te mater Ecclesia, quæ pro singulis tanquam pro unicis filiis vidua mater intervenit ; compatitur enim quodam spiritali dolore naturæ, cùm suos liberos lethalibus vitiis ad mortem cernit urgeri... Doleat igitur pia mater, assistat et turba : non solùm turba, sed etiam multa compatiatur bonæ parenti. Jam resurges à funere, jam liberaberis à sepulcro : stabunt illi ministri tui funeris (*Luc.* VII. 14.), incipies vitalia loqui, timebunt omnes, unius enim exemplo plurimi corrigentur. Laudabunt etiam Deum, qui tanta nobis remedia vitandæ mortis indulserit.

Lib. 2. *de Pœnit. cap.* 10. *n.* 92. Fleat pro te mater Ecclesia, et culpam tuam lacrymis lavet, videat te Christus mœrentem, ut dicat : (*Matth.* V. 5. *Luc.* VI. 21.) *Beati tristes : quia gaudebitis.* Amat ut pro uno multi rogent. Denique in evangelio motus viduæ lacrymis, quia plurimi pro ea flebant, filium ejus resuscitavit. (*Luc.* VII. 12.)

CATECH. CONCIL. TRIDENT. *Part.* 2. *de sacram. Pœnit. n.* 109. Qui divinà gratiâ prædìti sunt, alterius nomine possunt, quod Deo debetur, persolvere : quare fit, ut quodam pacto alter alterius onera portare videatur. (*Galat.* VI. 2.)

N. 110. Nec verò de hoc cuiquam fidelium dubitandi locus relictus est, qui in Apostolorum symbolo, Sanctorum communionem confitemur. Nam cùm omnes eodem baptismo abluti Christo renascamur, eorumdem sacramentorum participes simus, imprimis verò ejusdem Corporis, et sanguinis Christi Domini cibo et potu recreemur : hoc apertissimè demonstrat nos omnes ejusdem esse corporis membra. Quemadmodum igitur neque pes suæ tantùm, sed etiam oculorum utilitatis causâ munere suo fungitur : neque rursùs quòd oculi videant, ad illorum propriam, sed ad communem omnium membrorum utilitatem referendum est : ita communio inter nos satisfactionis officia existimari debent.

Beneficium concessum *peccatoribus.* Non conceditur enim indulgentia nisi in peccatorum gratiam, nec ullà venià aut indulgentiâ indigent qui nihil omninò peccarunt.

Beneficium *quo remittitur* non peccatum, non reatus pœnæ æternæ id enim fit per absolutionem sacramentalem, de quâ dicemus infrà (*Hujusce Cap.* §. 22.); sed

Beneficium quo remittitur *Pars satisfactionis;* non tota satisfactio, ut dicemus infrà fusiùs (*Hocce* §.): neque enim vult per indulgentiam Ecclesia peccatores eximere ab agenda pœnitentia; sed præbet illis duntaxat remedium et supplementum infirmitatis. Modò Divinæ justitiæ satisfaciant ipsi quantùm in se est, reliquum Ecclesia condonat vel ex parte vel ex toto. Est ergo indulgentia

Beneficium quo remittitur pars satisfactionis *quæ vel injuncta fuit vel debuisset injungi.* Hujus satisfactionis nomine duo veniunt intelligenda. Primò satisfactio lata per Canones pœnitentiales, de quibus suprà diximus (*Hujusce Cap.* §. 16.); 2° Et consequenter pœna temporalis quam exigit Deus à peccatore vel in hac vita vel post mortem in purgatorio subeunda, in expiationem peccatorum.

Nam, ut jam diximus (*Ibid.* §. 12.), exigit Deus à peccatoribus satisfactionem temporalem pro peccatis post baptismum admissis; ideoque injungitur unicuique peccatori pœnitentia à Confessario, Ecclesiæ nomine. Illa autem pœnitentia tunc solùm liberat à lege satisfaciendi Deo, cùm fuit ad peccati gravitatem accommodata, ut suprà explicuimus. (*Hujusce Cap.* §. 15.) Multò major erat olim æqualitas inter peccatum et satisfactionis compensationem dùm vigebant Canones pœnitentiales. Ex quo ergo obsoleti sunt illi Canones, remanet semper inæqualitas magna inter peccatum et satisfactionem; adeoque superest semper peccatoribus hodiernis plurimum satisfactionis exsolvendæ, ut justitia divina planè compensetur: has autem satisfactiones et pœnas Indulgentia remittit.

Tandem Indulgentia est beneficium quo remittitur pars satisfactionis injunctæ vel injungendæ *pro peccatis post baptismum admissis*, nam satisfactio, ut jam diximus (*Hujusce Sect. Cap.* 2. §. 7.), nulla imponitur pro expiatione peccatorum quæ ante baptismum commissa sunt; remittit enim baptismus pœnam omnem simul cum culpa. (B)

(B) Ægid. Carlerius *Orat. de pœnit. peccat. public. ad Patres Concil. Basil. Tom.* 12. *Concil. Labbæi, pag.* 1205. Sed interdum summus Pontifex concedit ex rationabili causa plenariam omnium peccatorum indulgentiam, aut relaxationem alicujus partis injunctarum pœnitentiarum, et ad hoc, quantùm ad plenariam peccatorum indulgentiam, intelligo, salvo judicio meliori, indulgentiam pœnarum pro peccatis debitarum. Ad hunc enim sensum dicitur quòd Sacerdos dimittat peccata, et etiam eo modo de quo dictum est. De venalitate autem et aliis excessibus, non est opus aliquid dicere, nisi quòd tollenda sunt. Quantùm verò ad Indulgentias, ostendo quòd sunt fundatæ in lege Dei: ad quod deducendum, supponendum est, quòd indulgentia dicit relaxationem pœnæ debitæ; sed quia oportet ut salvetur divina justitia, et qui peccavit, quia debitor

I. A quò accepit Ecclesia potestatem conferendi hanc talem ac tantam peccatorum indulgentiam ?

R. 1. Hanc accepit à Christo his verbis, *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis : et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis.* (*Matth.* XVI. 19.)

2. Hac potestate semper usa est Ecclesia : quod quidem constat ex Scriptura sacra et Traditione.

Ex Scriptura quidem. Veram enim indulgentiam concessi, solvat, et ut alius satisfaciat pro eo, per Indulgentiam pœna peccatorum relaxatur, ex hoc, quòd merita alterius isti applicantur : ergo pro catholico dicere oportet in Ecclesia esse thesaurum meritorum Christi, et Ecclesiæ et Sanctorum. Christus enim per suam passionem non tantùm satisfecit pro culpa primi parentis, sed etiam sibi meruit exaltationem, non in se, sed in hominum fide et devotione, et proprii corporis glorificatione, *et nomen quod est super omne nomen*, juxta verbum Apostoli ad Philipp. (II. 9. *et* 10.) *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, propter quod Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum.* Secundùm quod Doctores declarant in 3. Sentent. pulcherrimè ; meruit etiam nobis januæ cœlestis apertionem. Passio enim ejus, quia à divino supposito fuit exhibita, et à voluntate ejus accepta, fuit infinitè bona : idcò excessit debitum, quo Adam erat obligatus pro peccato suo. Illud verò quod ultra debitum solutum est, remanet in thesauro Ecclesiæ. Ecce principaliter radicem thesauri ex abundanti passionis Christi, de quo scriptum est, 1. Joannis (II. 1. *et* 2.) *Siquis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum: ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed pro totius mundi.* Fides etiam Ecclesiæ et charitas ejus merentur multùm. Sancti præterea, qui supererogaverunt his meritis, cumulaverunt et merita, et hi omnes in gazophylacio spirituali Ecclesiæ reposuerunt. Ex his ergo constat meritorum Ecclesiæ thesaurus, secundùm quod scriptum est (Eccli. I. 35.) *Sapientia et disciplina, timor Domini, et quod beneplacitum est illi, fides et mansuetudo adimplebit thesauros illius.* Jam in paucis videtis id, undè fit Indulgentia, etiam in lege Dei veraciter fundatum. Rationem autem cur fieri debeat indulgentia, audite. In communitatibus humanis et politiis thesaurus publicus propter duo solet erogari ; primum est, propter principis gloriam et honorem, ut faciunt reges curiales, et fecit rex Assuerus. Esth. 1. Secundum, propter communitatis necessitatem vel utilitatem. Nam quando læditur communitas, stipendia et donativa proferuntur militibus pro ea pugnaturis. Simili modo thesaurus Ecclesiæ ab his qui habent eum dispensare, duplici causâ debet erogari ; primò propter Dei gloriam et honorem, qui per multa relucet in Sanctis ejus ; honorantur autem Sancti in constructione basilicarum, et commemoratione virtutum suarum, per sermones et prædicationem sanctam. Secunda causa, propter communem utilitatem Ecclesiæ, ut est defensio terræ sanctæ, defensio fidei et similia. Pro istis causis in genere thesaurus Ecclesiæ per Indulgentias communicatur. Verùm non à quocunque, nec cuicunque, nec pro quacunque causa distribui potest, aut debet ; sed sub tribus conditionibus communiter à Doctoribus assignatis : prima, quòd sit in conferente auctoritas ; secunda, quòd sit in suscipiente charitas : tertia quòd sit in causa pietas. Non restat nunc aliud ostendere quàm quòd auctoritas conferendi sit in lege Dei fundata. Auctoritas illa competit universaliter summo Pontifici, sive sit bonus, sive malus, dum tamen ab Ecclesia toleretur. Nam non ex vitæ merito confert Indulgentias, sed ex potestate. Aliis, quibus datum est, conceditur specialiter hujusmodi distribuere Indulgentias. Dico igitur, quòd potestas summo Pontifici conveniens generaliter, et inferioribus particulariter, fundatur in hoc passu Scripturæ Matth. (XVI. 19.) ubi Dominus loquitur Petro illam gloriosam confessionem facienti, cùm dicit : *Tu es Christus Filius Dei.* Cui dixit Dominus : *Tibi dabo claves regni cœlorum ;* tum subdit : *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis : et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis.*

sit Apostolus peccatori Corinthio, qui cum patris sui uxore incestum fecerat. Nam huic remisit Apostolus partem satisfactionis injunctæ pro tanto scelere, cùm illum anteà excommunicasset et tradidisset Satanæ. (C)

(C) 2. Cor. II. Sufficit illi, qui ejusmodi est, objurgatio hæc, quæ fit à pluribus: 7. Ita ut è contrario magis donetis et consolemini, ne fortè abundantiori tristitiâ absorbeatur qui ejusmodi est. 8. Propter quod obsecro vos, ut confirmetis in illum charitatem. 9. Ideò enim et scripsi, ut cognoscam experimentum vestrum, an in omnibus obedientes sitis. 10. Cui autem aliquid donastis, et ego: nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi, 11. Ut non circumveniamur à Satana: non enim ignoramus cogitationes ejus.

S. Joann. Chrysost. *Homil.* 4. *in Epist.* 2. *ad Corinth. Ne quâ fiat ut abundantiore tristitiâ absorbeatur hujusmodi.* (2. *Cor.* II. 7.) Non enim solùm jubet remitti increpationem, verùm etiam ad priorem statum revocat. Nam si quis flagellis cæsum dimittat tantùm, nec deliniat, nihil agit. At vide ut rursus et illum premit, ne indulgentia fiat deterior. Quanquam enim confessus erat facti pœnitens, tamen ostendit, quòd non perinde ex pœnitentia atque ex condonatione consequatur remissionem: eò quòd dicit, *ut condonetis et consolemini.* (*Ibid.*) Idem verò declarat et id quod sequitur. Non enim quòd dignus sit, neque quòd sufficientem exhibuerit pœnitentiam, sed quòd infirmus sit, ideò, inquit, dignor illum veniâ, undè et adjecit: *ne abundantiore tristitiâ absorbeatur qui ejusmodi est.* (*Ibid.*) Cæterùm hic sermo declarat illius vehementem pœnitentiam, quem Paulus non passus sit in desperationem venire.

S. Ambros. *Lib.* 2. *de Pœnit. cap.* 7. *n.* 33. (Novitiani) in Ecclesiâ donari peccata negant posse, cùm Petro dictum sit: (*Matth.* XVI. 19.) *Tibi dabo claves regni cœlorum, et quæcunque ligaveris super terram, erunt ligata et in cœlo: et quæcunque solveris super terram, erunt soluta et in cœlis;* cùm et ipse vas electionis Dominicæ dicat: *si cui autem quid donastis, et ego: nam et ego quod donavi, propter vos in persona Christi.* (2. *Cor.* II. 10.) Cur igitur Paulum legunt, si eum tam impiè arbitrantur errasse, ut jus sibi vindicaret Domini sui? Sed vindicavit acceptum, non usurpavit indebitum.

Cap. 17. *n.* 92. Quid exspectamus ut mortui mereantur veniam, qui mortem sibi intulerunt, cùm viverent? *Satis est*, inquit (*Ibid.* 6. *et* 7.), *ei qui talis est, objurgatio hæc quæ fit à pluribus; ita ut è contrario magis donetis et consolemini; ne fortè abundantiore tristitiâ absorbeatur.* Si satis ad condemnationem est objurgatio, quæ fit à pluribus, satis est quoque ad remissionem peccati obsecratio, quæ fit à pluribus. Moralis magister et nostræ fragilitatis conscius, et pietatis divinæ interpres, vult donari peccatum, vult consolationem adhiberi; ne tristitia pœnitentem tædio longæ dilationis absorbeat.

N. 93. Ideò ergo donavit Apostolus, nec solùm donavit, sed etiam confirmari in eum charitatem voluit. Qui charus est, non habet duritiam, sed mansuetudinem. Nec solùm donavit ipse, sed voluit etiam omnes donare, et se propter alios donasse dixit; ne multi propter unum diutiùs contristarentur. *Si cui*, inquit (*Ibid.* 10.), *donastis, et ego; nam et ego propter vos in personâ Christi, ut non circumveniamur à Satana; nec enim versutias ejus ignoramus.* Rectè potest serpentem cavere, qui ejus potest versutias non ignorare, quæ multæ ad nocendum sunt. Vult semper nocere, semper circumvenire; ut mortem inferat: sed debemus cavere ne remedium nostrum fiat ejus triumphus; circumvenimur enim ab eo, si per nimiam tristitiam pereat, qui potest liberari per indulgentiam.

S. Pacianus *Epist.* 3. *ad Sympron. ante med.* Sive baptizamus, sive ad pœnitentiam cogimus, seu veniam pœnitentibus relaxemus; Christo id auctore, tractamus: tibi videndum est an Christus hoc possit, an Christus hoc fecerit.

Paulò post medium. Attamen, ut ais, Apostolus condemnavit errantem. Nam ad Corinthios primâ ita dicit: *Ipse ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu: jam judicavi eum qui tale facinus admisit: in no-*

Res clariùs adhuc probatur, ex Traditione cujus testes profero sanctos Patres antiquissimos et Concilia.

Ex sancto Cypriano et Tertulliano constat, precibus Martyrum in carcere detentorum pro Christi nomine tempore perfectionis, concessisse olim Episcopos indulgentiam lapsis, cujus virtute remittebatur illis pars satisfactionis quam pro more totam peragere debuissent ante reconciliationem absolutionis. (D)

mine Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis omnibus in virtute Dei, tradere ejusmodi Satanæ, in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini. Nota, frater, primùm, quòd non damnat eos cum quibus iste communicat: solus ipse qui tale facinus admiserat, Satanæ traditur, solus excluditur, salvâ pace Sanctorum: vos, omnes Ecclesias pro uno peccatore damnatis? Deindè vide, quòd hic ipse peccator incestus, non morti traditur, sed Satanæ ad emendandum, ad colaphizandum, ad pœnitendum. Denique ait, *ad interitum carnis*, non tamen animæ, non etiam spiritûs: sed ad solius carnis interitum, tentationes scilicet, carnis angustias, detrimenta membrorum, sicut alibi de intemperantibus dicit: (1. *Cor.* VII. 28.) *Tribulationem autem carnis patientur ejusmodi.* Vis hoc scire? In secunda Corinthiorum, hunc ipsum impium idem Paulus absolvit: nam de ipso ait (2. *Cor.* II. 6. *et seq.*): *Sufficit illi qui ejusmodi est, objurgatio ea quæ fit à pluribus, ut è contrario magis donetis et consolemini, ne fortè majore tristitiâ absorbeatur, qui ejusmodi est: Propter quod obsecro vos, ut constituatis in eum charitatem.* Item infrà: (*Ibid.* 10.) *Si cui autem aliquid donastis, et ego: nam et ego quod donavi, propter vos in persona Christi ut non possideatur à Satana.* Vides Apostoli indulgentiam, proprias etiam sententias temperantem? Vides mitissimam lenitatem, longè à vestro supercilio separatam? Longè à Novatiani fronte dissimilem, communi verò vitæ ac saluti omnium consulentem?

THEODORET. *In Epist. ad Corinth. cap.* 2. *v.* 6. 7. *et* 8. Ostendit quidem vehementem fuisse pœnitentiam, dicens *abundantiorem tristitiam.* (2. *Cor.* II. 7.) Remissionem tamen vocat *gratiam*, ostendens peccatum fuisse majus pœnitentiâ. Ostendit autem etiam Corinthiorum studium. *Sufficit enim*, inquit, *illi, qui est ejusmodi, objurgatio ipsa quæ fit à pluribus.* (*Ibid.* 6.) Omnes enim ipsum aversabantur, ut jusserat. Tantùm vel scribendo valebat tabernaculorum opifex, propter habitantem in ipso virtutem. *Absorberi* autem appellavit desperare, et à fide omninò deficere.... Unite membrum corpori, adjungite ovem gregi, vehementem animi affectum ei ostendite. Oportet enim vos, non solùm secanti, sed etiam conjungenti cooperari.

CONCIL. TRIDENT. *vide infrà litt.* (D)

(D) TERTULL. *lib. ad Martyr. cap.* 1. Pacem quidem in Ecclesia non habentes, à Martyribus in carcere exorare consueverunt.

Lib. de Pudicit. cap. 21. *in fine.* Ecclesia quidem delicta donabit: sed Ecclesia Spiritûs per spiritalem hominem, non Ecclesia numerus Episcoporum. Domini enim, non famuli est jus et arbitrium; Dei ipsius, non Sacerdotis. At tu jam et in Martyres tuos effundis hanc potestatem, ut quisque ex consensione vincula induit adhuc mollia, in novo custodiæ nomine, statim ambiunt mœchi, statim adeunt fornicatores, jam preces circumsonant, jam lacrymæ circumstagnant maculati cujusque; nec ulli magis aditum carceris redimunt, quàm qui Ecclesiam perdiderunt. Violantur viri ac fœminæ in tenebris planè ex usu libidinum notis, et pacem ab his quærunt, qui de sua periclitantur. Alii ad metalla confugiunt, et indè communicatores revertuntur, ubi jam aliud martyrium necessarium est delictis post martyrium novis. Quis enim in terris et in carne sine culpa? Quis martyr seculi incola, denariis supplex, medico obnoxius et funeratori? Putà nunc sub gladio jam capite librato, putà in patibulo jam corpore expanso, putà in stipite jam leone concesso: puta in axe, jam incendio adstructo, in ipsa dico securitate et possessione martyrii, quis permittit homini donare, quæ Deo reservanda sunt? A quo ea sine excusatione damnata sunt: quæ nec Apostoli, quod sciam,

nec Martyres et ipsi, donabilia judicaverunt. Denique jam ad bestias depugnaverat Paulus Ephesi (1. *Cor.* v. 3.) : cùm interitum decernit incesto. Sufficiat Martyri propria delicta purgasse. Ingrati vel superbi est in alios quoque spargere, quod pro magno fuerit consecutus. Quis alienam mortem suâ solvit, nisi solus Dei filius? Nam et in ipsa passione liberavit latronem. (*Luc.* xxiii. 43.) Ad hoc enim venerat, ut ipse à delicto purus, et omnia sanctus pro peccatoribus obiret. (*Hebr.* vii. 26. 27.) Proindè qui illum æmularis donando delicta, si nihil ipse deliquisti, planè patere pro me. Si verò peccator es, quomodo oleum faculæ tuæ sufficere et tibi et mihi poterit? (*Matth.* xxv. 8. *et seq.*) Habeo etiam nunc quo probem Christum. Si propterea Christus in Martyre est, ut mœchos et fornicatores Martyr absolvat, occulta cordis edicat, ut ita delicta concedat, et Christus est. Sic enim Dominus Jesus Christus potestatem suam ostendit, *Quid cogitatis nequam in cordibus vestris? Quid enim facilius est dicere Paralytico, Dimittuntur tibi peccata; an, Surge et ambula? Igitur ut sciatis filium hominis habere dimittendorum peccatorum in terris potestatem, tibi dico, Paralytice, surge et ambula.* (*Matth.* ix. 4. *et seq. Marc.* xi. 5. *et seq. Luc.* v. 20. *et seq.*) Si Dominus tantùm de potestatis suæ probatione curavit, uti traduceret cogitatus, et ita temperaret sanitatem, ne non crederetur posse delicta dimittere, non licet mihi eamdem potestatem in aliquo sine eisdem probationibus credere. Cùm tamen mœchis et fornicatoribus à Martyre expostulas veniam; ipse confiteris ejusmodi crimina nonnisi proprio martyrio diluenda, quæ præsumis alieno. Quod si est, jam et martyrium aliud erit baptisma. *Dum concedendæ indulgentiæ potestatem Ecclesiam habere negat, eamdem certè adstruit jam Montani partes sequens Tertullianus.*

S. Cyprian. *Lib. de lapsis. Vide infrà hocce 2. litt.* (H)

Epist. 11. *alias* 8. Præceptum plebi assistenti, ut pro quibusdam personis designatis sibi peterent (à Martyribus pacem.)

Epist. 15. *aliàs* 11. Cùm vos ad me litteras direxeritis, quibus examinari desideria vestra, et quibusdam lapsis pacem dari postulatis.... Petitiones et desideria vestra Episcopo servent, et ad pacem vobis petentibus dandam maturum et pacatum tempus exspectent. A Domino pacem mater prior sumat, tunc secundùm vestra desideria de filiorum pace tractetur. Et quoniam audio, fortissimi et charissimi fratres, impudentiâ vos quorumdam premi, et verecundiam vestram vim pati: oro vos quibus possum precibus, ut Evangelii memores, et considerantes quæ et qualia in præteritum antecessores vestri Martyres concesserint, quàm solliciti in omnibus fuerint; vos quoque sollicitè et cautè petentium desideria ponderetis; ut pote amici Domini, et cum illo postmodum judicaturi, inspiciatis et actum, et opera, et merita singulorum; ipsorum quoque delictorum genera et qualitates cogitetis, ne si quid abruptè et indigne vel à vobis promissum, vel à nobis factum fuerit, apud Gentiles quoque ipsos Ecclesia nostra crubescere incipiat.... Sed et illud ad diligentiam vestram redigere et emendare debetis, ut nominatim designetis eos quibus pacem dari desideratis: audio enim quibusdam sic libellos fieri ut dicatur: Communicet ille cum suis. Quod nunquam omninò à Martyribus factum est, ut incerta et cæca petitio invidiam nobis postmodum cumulet: latè enim patet quando dicitur: Ille cum suis; et possunt nobis viceni, et triceni, et ampliùs offerri, qui propinqui et affines, et liberti ac domestici esse asseverentur ejus, qui accipit libellum: et ideò peto ut eos quos ipsi videlis, quos nostis quorum pœnitentiam satisfactioni proximam conspicitis, designetis nominatim libello, et sic ad nos fidei ac disciplinæ congruentes litteras dirigatis.

Epist. 16. *aliàs* 10. Sed nunc illi rei non sunt, qui minùs Scripturæ legem tenent; erunt autem rei, qui præsunt, et hæc fratribus non suggerunt, ut instructi à Præpositis faciant omnia cum Dei timore, et cum data ab eo et præscripta observatione. Exponunt deindè invidiæ beatos Martyres; et gloriosos servos Dei cum Dei Sacerdote committunt, ut cùm illi memores loci nostri ad me litteras direxerint, et petierint tunc desideria sua examinari, et pacem dari, quando ipsa ante mater nostra Ecclesia pacem de misericordia Domini prior sumpserit, et nos divina protectio reduces ad Ecclesiam suam fecerit: hi sublato honore, quem nobis

beati Martyres cum Confessoribus servant, contemptâ Domini lege et observatione, quam iidem Martyres et confessores tenendam mandant, ante exstinctum persecutionis metum, ante reditum nostrum, ante ipsum pènè Martyrum excessum communicent cum lapsis et offerant, et Eucharistiam tradant: quando etiam si Martyres per calorem gloriæ Scripturam minus contemplantes, contra legem Dei plus aliquid cuperent, à Presbyteris et Diaconis suggerentibus admoneri deberent, sicut semper in præteritum factum est.

Epist. 17. *aliàs* 12. Fecerunt ad nos de quibusdam beati Martyres litteras, petentes examinari desideria sua; cùm pace nobis omnibus à Domino priùs datâ, ad Ecclesiam regredi cœperimus examinabuntur singula præsentibus et judicantibus vobis.... Cùm ad vos per Dei misericordiam venerimus, convocati coepiscopi plures, secundùm Domini disciplinam et Confessorum præsentiam, beatorum Martyrum litteras et desideria (de pace lapsis concedenda) examinare possimus.

Epist. 18. *aliàs* 13. Occurrendum puto fratribus nostris; ut qui libellos à Martyribus acceperunt, et prærogativâ eorum apud Deum adjuvari possunt, si incommodo aliquo et infirmitatis periculo occupati fuerint, non exspectatâ præsentiâ nostrâ, apud Presbyterum quemcunque præsentem, vel si Presbyter repertus non fuerit, et urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque, exomologesin facere delicti sui possint; ut manu eis in pœnitentia impositâ veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres litteris ad nos factis desideraverunt.

Epist. 19. *aliàs* 14. Qui libellum à Martyribus acceperunt, et auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis suis possunt, si premi infirmitate aliquâ et periculo cœperint, exomologesi factâ, et manu eis à vobis in pœnitentia impositâ, cum pace à Martyribus sibi promissa ad Dominum remittantur. Cæteri verò qui nullo libello à Martyribus accepto invidiam faciunt; quoniam non paucorum, nec Ecclesiæ unius, aut unius Provinciæ, sed totius orbis hæc causa est: exspectent de Domini protectione Ecclesiæ ipsius publicam pacem. Hoc enim et verecundiæ et disciplinæ et vitæ ipsi omnium nostrûm convenit: ut Præpositi cum Clero convenientes, præsente et stantium plebe, quibus et ipsis pro fide et timore suo honor habendus est, disponere omnia consilii communis religione possimus.

Ex Epist. Eccles. Viennens. et Lugdun. de Martyrio S. Pothini Episc. et aliorum plurimorum, apud THEODOR. RUINART, *pag.* 58. Tunc verò omnium defensionem suscipiebant, neminem accusabant, cunctos absolvebant, neminem ligabant. Quin etiam pro illis, à quibus acerbissimè cruciati fuerant, exemplo perfectissimi Martyris Stephani Deum precabantur: Domine ne imputes illis hoc peccatum. Quòd si ille pro lapidantibus orabat, quantò magis pro fratribus eum orasse credibile est? *Nec multò post hæc addunt.* Hoc enim maximum certamen illis fuit adversùs diabolum, ob sinceram ac minimè fucatam charitatem: ut quos ille malignus serpens vivos jam se devorasse crediderat, elisis faucibus removere cogeretur. Neque enim fastu et arrogantiâ intumuerunt adversùs lapsos: sed ea quibus abundabant bona, indigentibus liberaliter subministrabant, materna quadam misericordiæ viscera gestantes, magnamque vim lacrymarum pro illorum salute coram Deo Patre fundentes. Vitam petierunt, et largitus est Deus eis: quam etiam illi proximis suis communicarunt, ubique victores ad Deum profecti. Cumque pacem dilexissent, pacem nobis commendassent, ipsi cum pace migraverunt ad Deum: non dolorem matri, non fratribus dissidium ac bellum, sed gaudium et pacem et concordiam charitatemque omnibus relinquentes.

S. DIONYS. ALEXAND. *apud* EUSEB. *Hist. Eccles. lib.* 6. *cap.* 42. Cæterùm, inquit, hi divini Martyres qui nunc assessores sunt Christi, et regni illius consortes, ac judicii participes unà cum ipso judicaturi; dum hic apud nos essent, quosdam è fratribus lapsos, et idolis sacrificasse convictos, susceperunt; et conversionem illorum ac pœnitentiam cernentes, cùm judicassent eam placere posse illi qui peccatoris pœnitentiam mavult quàm mortem, eos admiserunt et collegerunt, atque in cœtum suum receperunt: et in orationibus ac cibo cum iisdem communicarunt. Quid ergo nobis, fratres, de his suadetis? Quid nos agere debe-

Ex pluribus Conciliis iisque antiquissimis constat, quo tempore vigebant pœnitentiæ Canonicæ, factam fuisse per Canones Episcopis potestatem earum tempus et stationes minuendi, in gratiam eorum qui præbebant se in agenda pœnitentia ferventiores; vel qui præ infirmitate totum implere non poterant. (E)

mus? Utrum sententiæ Martyrum accedemus, et rem ab illis judicatam, seu potiùs gratiam concessam tuebimur: et cum iis quos illi miseratione prosecuti sunt benignè agemus? An contrà judicium illorum irritum faciemus, nosque ipsi sententiæ illorum discussores ac judices constituemus; clementiam dolore afficiemus: ordinem constitutum evertemus: Dei ipsius indignationem provocabimus? *Hic scitè observat* VALESIUS *duplicem fuisse in Ecclesiâ communionem quæ lapsis indulgeri poterat, primam privatam et orationum; alteram publicam et Sacramentorum. Privatam vocat, quæ à privatis, non verò ab Episcopo concedebatur: ut si quando Martyres aut Confessores benignè excepissent lapsos ad se recurrentes, et eorum intercessionem efflagitantes; vel si cum eis Deum orare promisissent. Hæc autem communio jus nullum ad Ecclesiæ sacramenta percipienda, aut ad publicas Ecclesiæ orationes accedendi præstabat, licet Episcopos ad mitiùs erga ejusmodi lapsos agendum excitaret. Altera verò communio ea erat, quâ pœnitentibus jus restituebatur Ecclesiæ sacramentis et publicis precibus participandi. His verò sic explanatis jam facile est intelligere Dionysium in Epistolæ fragmento quod protulimus, de pœnitentibus agere, qui primâ communione à Martyribus donati, alteram ab Episcopis nondum consecuti fuerant.*

(E) CONC. ANCYRAN. *ann.* 314. *Can.* 5. Quicunque autem cum veste lugubri accesserunt, et accumbentes comederunt, interea toto accubitûs tempore lacrymas fundentes, si triennale substrationis tempus impleverint, sine oblatione recipiantur. Si autem non comederunt, cùm duobus annis supplices substratique fuerint, tertio anno communicent sine oblatione; ut id quod perfectum est triennio accipiant. Statuimus autem ut Episcopi modo conversationis examinato potestatem habeant, vel utendi clementiâ, vel plus temporis adjiciendi. Ante omnia autem et præcedens vita, et quæ consecuta est examinetur, et sic eis clementia impetratur.

CONCIL. NICÆN. General. I. *Can.* 12. Qui autem à gratia quidem evocati, et primum suum ardorem ostenderunt, et cingula deposuerunt, posteà autem ut canes ad suum vomitum reversi sunt, (2. *Petr.* II. 22.) ut nonnulli etiam pecuniam profunderent, et beneficiis militiam assequerentur, hi decem annis prosternantur supplices, etiam post triennii auditionis tempus. In his autem omnibus examinare convenit consilium et speciem pœnitentiæ. Quicunque enim et metu, et lacrymis, et tolerantiâ, et bonis operibus conversionem et opere et habitu ostendunt, hi impleto auditionis tempore quod præfinitum est, merito orationum communionem habebunt, cum eo quòd liceat etiam Episcopo humaniùs aliquid de eis statuere.

CONCIL. CARTHAG. IV. *ann.* 398. *Can.* 76. Subdatur statutis pœnitentiæ legibus, quandiù Sacerdos, qui pœnitentiam dedit, probaverit.

S. BASIL. *Epist. Can. ad Amphil. Can.* 2. Oportet autem non usque ad obitum eorum confessionem extendere, sed decem quidem annorum mensuram admittere: definire autem non tempore, sed modo pœnitentiæ medicinam.

Can. 7. Jube eos absque dilatione suscipi, maximè si lacrymas habeant, quæ tuam clementiam moveant, et vitam misericordiâ dignam ostendant.

Can. 54. Est autem tuæ prudentiæ, pro circumstantiæ proprietate, pœnas intendere vel remittere.

Can. 84. Hæc autem omnia scribimus, ut pœnitentiæ eorum fructus probetur: non enim ista omninò ex tempore judicamus: sed modum pœnitentiæ attendimus.

S. GREGOR. NYSS. *Epist. can. ad Letoium, can.* 4. In iis autem qui dili-

2. Imminente persecutione concedebatur indulgentia lapsis, et nondum peractâ pœnitentiâ absolvebantur; ut per absolutionem et sacrosancti corporis Dominici receptionem redderentur fortiores ad subeunda pro Christi fide certamina. (F)

gentiori conversione usi fuerint, et vitâ ipsâ ostenderint se ad bonum regressos esse, licet ei qui dispensat, pro Ecclesiasticæ œconomiæ utilitate tempus auditionis contrahere, et celeriùs ad conversionem deducere: et rursùs hoc quoque tempus contrahere, et celeriùs reddere communionem: ut suâ probatione ejus cui medela adhibetur constitutionem dijudicet. Quemadmodum enim porcis margaritas projicere est vetitum, (*Matth.* VII. 6.) ita et pretiosâ margaritâ privare eum, qui jam per alienationem à vitio, et purgationem homo est factus, absurdum est.

S. INNOCENT. PP. I. *Epist. ad Decent. cap.* 7. Cæterùm de pondere æstimando delictorum, Sacerdotis est judicare, ut attendat ad confessionem pœnitentis, et ad fletus atque lacrymas corrigentis, ac eum jubere dimitti, cùm viderit congruam satisfactionem. Sanè si quis in ægritudinem inciderit, atque usque ad desperationem devenerit, ei est ante tempus Paschæ relaxandum, ne de seculo absque communione discedat.

CONCIL. TRIDENT. *Sess.* 25. *Decretum de Indulgent.* Cùm potestas conferendi Indulgentias à Christo Ecclesiæ concessa sit; (*Matth.* XVI. 19. XVIII. 18. *Joan.* XX. 23.) atque hujusmodi potestate, divinitùs sibi traditâ, antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit: sacrosancta Synodus Indulgentiarum usum, Christiano populo maximè salutarem, et sacrorum Conciliorum auctoritate probatum, in Ecclesia retinendum esse docet et præcipit; eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant: in his tamen concedendis moderationem, juxta veterem et probatam in Ecclesia consuetudinem, adhiberi cupit; ne nimiâ facilitate Ecclesiastica disciplina enervetur.

(F) S. CYPRIAN. *Epist.* 57. *aliàs* 54. *ad Cornel.* Statueramus quidem jam pridem, frater charissime, participato invicem nobiscum consilio, ut qui in persecutionis infestatione supplantati ab adversario et lapsi fuissent, et sacrificiis se illicitis maculassent, agerent diù pœnitentiam plenam; et si periculum infirmitatis urgeret, pacem sub ictu mortis acciperent. Nec enim fas erat, aut permittebat paterna pietas et divina clementia, Ecclesiam pulsantibus claudi, et dolentibus ac deprecantibus spei salutaris subsidium denegari, ut de seculo recedentes sine communicatione, et pace ad Dominum dimitterentur; quando permiserit ipse, qui legem dedit, ut ligata in terris etiam in cœlis ligata essent; solvi autem possent illic, quæ hic priùs in Ecclesia solverentur. (*Matth.* XVI. 19. XVIII. 18. *Joan.* XX. 23.) Sed enim cùm videamus diem rursùs alterius infestationis appropinquare cœpisse, et crebris atque assiduis ostensionibus admoneamur, ut ad certamen, quod nobis hostis indicit, armati et parati simus; plebem etiam nobis de divina dignatione commissam exhortationibus nostris paremus, et omnes omninò milites Christi, qui arma desiderant, et prælium flagitant, intra castra Dominica colligamus: necessitate cogente, censuimus, eis qui de Ecclesia Domini non recesserunt, sed pœnitentiam agere et lamentari, ac Dominum deprecari à primo lapsûs sui die non destiterunt, pacem dandam esse; et eos ad prælium, quod imminet, armari et instrui oportere. Obtemperandum est namque ostensionibus atque admonitionibus justis, ut à Pastoribus oves in periculo non deserantur, sed grex omnis in unum congregetur, et exercitus Domini ad certamen militiæ cœlestis armetur. Meritò enim trahebatur dolentium pœnitentia tempore longiore, ut infirmis in exitu subveniretur, quandiù quies et tranquillitas aderat, quæ differre diù plangentium lacrymas, et subvenire serò morientibus in infirmitate pateretur. At verò nunc non infirmis, sed fortibus pax necessaria est; nec morientibus, sed viventibus communicatio à nobis danda est; ut quos excitamus et hor-

Erant et aliæ occasiones in quibus similis concedebatur indulgentia pœnitentibus. (G)

tamur ad prælium non inermes et nudos relinquamus, sed protectione sanguinis et corporis Christi muniamus : et cùm ad hoc fiat Eucharistia, ut possint accipientibus esse tutela, quos tutos esse contra adversarium voluimus, munimento Dominicæ saturitatis armemus. Nam quomodo docemus aut provocamus eos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi sanguinem denegamus ? aut quomodo ad Martyrii poculum idoneos facimus, si non eos priùs ad bibendum in Ecclesia poculum Domini jure communicationis admittimus ?

(G) JOAN. BAPT. MORINUS Cong. Orat. Gallic. Presbyt. *Lib.* 18. *de administr. sacram. Pœnit. cap.* 16. *n.* 3. Mihi.... tres potissimùm occurrunt relaxatæ pœnitentiarum exteriorum severitatis occasiones, quas sigillatim explicamus. Prima et omnium antiquissima est pœnitentiarum secundùm Canones impositarum redemptio pœnitentibus permissa.

N. 4. Ea relaxationis species quam pœnitentiarum redemptionem antiqui vocarunt, aliquot seculis in Ecclesia frequentissima fuit.... Variis autem cum modificationibus fieri solebat : Primùm, vix aut nunquam ulla concedebatur pœnitentiæ redemptio anno primo ; rarò secundo et tertio anno. Deindè modica erat redemptio primis illis annis : vix concedebatur in tribus Quadragesimis. In magna Quadragesima quæ Pascha præcedit, nunquam. Post tertium et quartum annum Canones illorum temporum redemptionem pœnitentiarum facilè permittebant. Cùm autem dico redemptionem illis annis facilè permissam, non intelligo posteriores annos simul et semel fuisse redemptos, aut unum aliquem integrè fuisse redemptum, sed dierum singularium facilè permissam fuisse redemptionem. Hoc est, quo die non jejunabis secundùm præscriptum, pauperem unum, duos vel tres eo die reficies, vel tot nummos ad eos reficiendum erogabis ; tot orationes noctu, diuque recitabis ; curabis ut toties Missæ sacrificium celebretur. Id diversimodè fiebat pro ratione temporum. Nam aliquando redemptio illius diei erat integra, hoc est, licebat illi quidquid placebat comedere ; aliquando restringebatur, et veluti dimidiabatur, hoc est, licebat illi propter eleemosynam datam carnes vel pisces comedere, sed non bibere vinum, vel aliquid simile. Hæc potissimùm in magna Quadragesima, et diebus veneris observabantur. Lapsu tamen temporis Ecclesiâ ad lenitatem inclinatiore, non modò dierum, sed mensium, sed annorum redemptio taxata est, ita ut vulgò pœnitenti optio daretur, aut pœnitentiæ agendæ, aut redemptionis ejusmodi eligendæ. *Id probat multis auctoritatibus et exemplis toto hocce capite et sequentibus, quæ legere poteris.*

Cap. 19. *n.* 1. Secunda occasio imminuendarum pœnitentiarum fuit earum æquatio et commutatio cum uno aliquo opere laborioso propter evidenter apparentem Ecclesiæ utilitatem suscepto. Labor ille quia magnus et periculosus, utilitas ex eo promanans quia eximia est et universam Ecclesiam spectat, pœnitentiæ multorum annorum severissimæ non immeritò judicatur æquiparari. Ideò Ecclesiæ Pastores hanc commutationem sub hac formula proponebant : Qui hoc opus egerit, aut ut peragatur pro viribus adnixus fuerit, peccatorum omnium remissionem consequetur. Magnum illud opus ferè semper fuit, arma contra Ethnicos, Hæreticos, Schismatos ferre, aut qui ferat modò non possit, suis sumptibus alere. Insigne et celeberrimum hujus relaxationis exemplum est expeditio Hierosolymitana à Gallis anno 1096. exhortante Urbano II. suscepta. Urbanus enim in Concilio Claromontano maximâ Episcoporum et Principum multitudine omnibus Hierosolymam terræ sanctæ recuperandæ causâ proficiscentibus omnium peccatorum remissionem pollicitus est, ut omnes fideles ad tam arduum et laboriosum opus aggrediendum stimularet.

N. 3. In eodem Claromontano Concilio de hac re editus est Canon qui secundo numero in hæc verba collocatur, *Quicunque pro sola devotione, non pro honoris vel pecuniæ adeptione, ad liberandam Ecclesiam Dei Hierusalem profectus fuerit, iter illud pro omni pœnitentia reputetur.* Clarè explicatur finis et intentio quam sibi proponere tenentur, qui hoc labo-

I. Cùm jam non vigeant illæ satisfactiones Canonicæ, videtur ergo inutilis prorsùs Indulgentia?

R. Imò hinc patet Indulgentiam esse multò núnc magis necessariam quàm priùs. Cùm enim multò major nunc sit inæqualitas inter peccata et satisfactionis compensationem quàm olim, multò magis ergo nunc indigemus nobis indulgentiâ Ecclesiæ subveniri.

I. Si indulgentia nihil aliud est quàm condonatio satisfactionis Canonicæ, quæ vel fuit imposita vel imponi debuisset : cùm jam pridem omnibus peccatoribus concesserit Ecclesia generalem harum satisfactionum condonationem, jam ergo videtur Indulgentiarum concessio superflua?

R. Licèt jam non exigat Ecclesia satisfactiones Canonicas, non propterea dicenda est eas omninò condonasse et remisisse. Tenentur enim etiamnum peccatores ita etiam nunc

riosum opus aggrediuntur; deindè quis sit operis fructus, omnis pœnitentiæ canonicæ impositæ, vet imponendæ expiatio. Posteà quod facile fuit propter rei paritatem, extensa est gratia ista ad Saracenos et Mauros magnæ Hispaniæ parti dominantes, ut videre est in Concilio Rhemensi anno 1148. Eugenio III præside celebrato, in quo incendiariis in pœnitentiam post damnum resarcitum hoc imponitur: Pœnitentia ei detur, ut in Hierosolymis, aut in Hispania in servitio Dei per annum permaneat. Si quis verò Archiepiscopus vel Episcopus hoc relaxaverit, damnum restituat, et per annum ab officio Pontificali abstineat. *Cætera vide apud Auctorem.*

Cap. 20. *n.* 2. Tertia relaxationis pœnitentiarum Canonicarum occasio quam explicatum imus à præcedente longissimè differt, quanquam meà quidem sententiâ illius sit veluti genuina proles, sed quæ ab origine in maximam relaxationem aperlè degeneravit. Ideò cùm primùm ipsius praxis in Ecclesia emicuit, non aliter eam Doctores vocarunt quam pœnitentiarum relaxationem et remissionem. Posteà illius usu vulgato et confirmato vocata est relaxatio sive remissio et indulgentia, cum horum altero Indulgentiæ nomine conjuncto; ut videre est apud Guillelmum Antissiodorensem, Guillelmum Parisiensem, Alexandrum Halensem, Albertum magnum..... tandemque simpliciter.... ab omnibus Catholicis Indulgentia dicta est, quod nomen hactenùs illi magna cum celebritate adhæret. Relaxationis formula erat ejusmodi : Qui denarium in ædificationem aut reparationem hujus Ecclesiæ vel Oratorii contulerit, tertiam partem vel quartam, etc. pœnitentiarum imponendarum illi in Domino relaxamus. Eodem propè tempore extensa est ita relaxatio ad res seculares, pontium, itinerum, rerumque similium refectionem. Nonnunquam integra pœnitentia relaxabatur. Sed rarò id sibi initio arrogabant Episcopi; hoc erat summo Pontifici veluti communi consensu delatum : vix tertiam pœnitentiæ partem excedebat relaxatio ab Episcopis concessa.

N. 3. Hæc relaxatio meritò dici potest causa remissarum et tandem obsoletarum pœnitentiarum. Quis enim longissimis et durissimis pœnitentiis quas libro sexto et septimo descripsimus, noctu, diuque incumbere velit, qui uno denario, aut etiam obolo juxta Episcopi mandatum erogata tertiæ pœnitentiarum Canonicarum parti summâ quadrante satisfacit, et triplicato denario totam summam albo expungit? Quidquid subtiliter dicatur, et disputetur, hoc axiomate posito, difficillimè pœnitentiæ canonicæ actio persuadebitur, cùm ad se ab ea redimendum tam facile et parabile unicuique præstò semper sit remedium. Stupidissimus quisque ad hanc consequentiam intelligendam idoneus est. Quis verò quæ contra subtiliter opponi possunt, animo capit? Hoc paulò post demonstravit experientia, et in hunc usque diem demonstrat. *Auctoritates et exempla lege apud Auctorem, tum hoc capite, tum sequenti.*

pœnitentiam agere sicut priùs, ut compensetur aliquatenùs satisfactio cum culpa : ab illa lege satisfactionis non exemit Ecclesia peccatores. Est ergo illis Indulgentia nunc multò magis necessaria quàm priùs : multò minùs enim justitiæ divinæ satisfaciunt, quàm cùm vigebant pœnitentiæ Canonicæ : quæ quidem eo potissimùm fine institutæ fuerant, ut peccatores possent faciliùs exsolvere justitiæ divinæ debitum pro peccatis.

I. Dàm aliquam nunc concedit Ecclesia Indulgentiam, eximitne prorsùs à lege satisfaciendi Deo pro peccatis ?

R. Quàm longè abest à mente Ecclesiæ, si quis id sibi in animum induxerit. Conceduntur Indulgentiæ in ædificationem, non in destructionem ; nihil est quod eximere peccatorem possit à lege faciendi, quantùm in se est, *fructus dignos pœnitentiæ*, ut præcipitur in Evangelio. (*Luc.* III. 8.) (H)

(H) MATTH. III. 8. Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ. 9. Et ne velitis dicere intra vos : Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. 10. Jam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.

S. CYPRIAN. *De lapsis*, *pag.* 92. Cæterùm si quis præproperâ festinatione temerarius remissionem peccatorum dare se cuiquam putat posse, aut audet Domini præcepta rescindere ; non tantùm nihil prodest, sed et obest lapsis. Provocasse est iram, non servasse sententiam : nec misericordiam priùs Dei deprecandam putare, sed contempto Domini de sua facilitate præsumere.

Pag. 93. Non potest Evangelium in parte consistere, et in parte nutare. Aut utrumque oportet valeat, aut utrumque vim veritatis amittat. Si negantes rei criminis non erunt, nec confitentes præmium virtutis accipient. Porrò si fides, quæ vicerit, coronatur, necesse est ut victa perfidia puniatur. Ita Martyres aut nihil possunt, si Evangelium solvi potest : aut, si Evangelium non potest solvi, contra Evangelium facere non possunt, qui de Evangelio Martyres fiunt. Nemo, fratres dilectissimi, nemo infamet Martyrum dignitatem, nemo eorum glorias destruat ut coronas. Manet incorruptæ fidei robur incolume ; nec dicere aliquid aut facere contra Christum potest, cujus et spes, et fides, et virtus, et gloria omnis in Christo est. Ut ab Episcopis contra mandatum Dei fiat, auctores esse non possunt, qui ipsi Dei mandata fecerunt.

Pag. 93. *in fine.* Si precem toto corde quis faciat, si veris pœnitentiæ lamentationibus et lacrymis ingemiscat, si ad veniam delicti sui Dominum justis et continuis operibus inflectat ; misereri talium potest, qui et misericordiam suam protulit dicens : *Cùm conversus ingemueris, tunc salvaberis, et scies ubi fueris* (*Isai.* XXX. 15. *juxta* LXX.) : et iterùm : *Nolo mortem morientis, dicit Dominus, quantum ut revertatur et vivat.* (*Ezech.* XVIII. 32. *et* XXXIII. 11.) Et Joel Propheta pietatem Domini, Domino ipso monente declarat : *Revertimini*, inquit, *ad Dominum Deum vestrum ; quoniam misericors et pius est, et patiens, et multæ miserationis, et qui sententiam flectat adversùs malitias irrogatas.* (*Joël.* II. 13.) Potest ille indulgentiam dare, sententiam suam potest ille deflectere. Pœnitenti, operanti, roganti potest clementer ignoscere, potest in acceptum referre quidquid pro talibus et petierint Martyres, et fecerint Sacerdotes.

Epist. 57. *aliàs* 54. *ad Cornel.* Hoc in tempore pacem nos non dormientibus, sed vigilantibus damus : pacem non deliciis, sed armis damus : pacem non ad quietem, sed ad aciem damus. Si secundùm quòd eos audimus, et optamus et credimus, fortiter steterint ; et adversarium nobiscum in congressione prostraverit : non pœnitet pacem concessam fortibus, imò Episcopatûs nostri honor grandis et gloria est, pacem dedisse Martyribus : ut Sacerdotes qui sacrificia Dei quotidiè celebramus, hostias Deo et victimas præparemus. Si autem (quod Dominus

Nihil aliud ergo concedit Ecclesia per Indulgentias, quàm vel præmium et consolationem pœnitentibus, qui toto studio et summo fervore labores pœnitentiæ suscepérunt, vel remedium et levamen iis, qui cùm velint eosdem labores suscipere, præ infirmitate tamen corporis, vel aliam ob rationem, nequeunt, ut par est, Deo satisfacere.

I. Cur Indulgentiarum concessio vocatur à summis Pontificibus apertio Thesauri Ecclesiæ ?

R. Hàc loquendi formulà primus omnium usus est Clemens VI. summus Pontifex, ut significaret quod semper Ecclesia docuit, Indulgentiarum concessione applicari fidelibus merita Christi et Sanctorum, quæ quidem meritò Thesaurus Ecclesiæ dicuntur; quia meritis illis ineffabiles divitiæ continentur, quas habet Ecclesia in sua potestate.(1)

avertat à fratribus nostris) aliquis lapsorum fefellerit, ut pacem subdolè petat, et impendentis prælii tempore communicationem non præliaturus accipiat, seipsum fallit et decipit; qui aliud corde occultat, et aliud voce pronuntiat. Nos in quantum nobis et videre et judicare conceditur, faciem singulorum videmus; cor scrutari, et mentem perspicere non possumus. De his judicat occultorum scrutator et cognitor citò venturus, et de arcanis cordis atque abditis judicaturus. Obesse autem mali bonis non debent, sed magis mali à bonis adjuvari. Nec ideò martyrium facturis pax neganda est quia sunt quidam negaturi; cùm propter hoc pax danda omnibus militaturis, ne per ignorantiam nostram ille incipiat præteriti, qui habet in prælio coronari.

Concil. Nicæn. I. Generale, *can.* 12. Quicunque enim et metu, et lacrymis, et tolerantiâ, et bonis operibus conversionem et opere et habitu ostendunt, hi impleto auditionis tempore quod præfinitum est, meritò orationum communionem habebunt, cum eo quod liceat etiam episcopo humanius aliquid de eis statuere. Quicunque autem non adeò graviter tulerunt, nec multum sua referre existimarunt, satisque esse putarunt in Ecclesias ingredi ad conversionem, tempus omninò impleant.

Concil. Carthag. IV. *Can.* 75. Negligentiores pœnitentes tardiùs recipiantur.

Concil. Salegunstad. *ann.* 1021. *tom.* 9. *Concil. Labb. col.* 847. *can.* 18. Quia multi tantâ mentis suæ falluntur stultitiâ, ut in aliquo capitali crimine inculpati pœnitentiam à Sacerdotibus suis accipere nolint, in hoc maximè confisi, ut Romam euntibus Apostolicus omnia sibi dimittat peccata: sancto visum est Concilio, ut talis indulgentia illis non prosit, sed priùs juxta modum delicti pœnitentiam sibi datam à suis Sacerdotibus adimpleant, et tunc Romam ire si velint, ab Episcopo proprio licentiam, et litteras ad Apostolicum ex iisdem rebus deferendas accipiant.

Gregor. PP. VII. *Epist.* 34. *ad Remedium Lincolniens. Episc. Tom.* 10. *Concil. Labb. col.* 33. Absolutionem prætereà peccatorum tuorum, sicut rogasti, auctoritate principum Apostolorum Petri et Pauli fulti, quorum vice quamvis indigni fungimur, tibi mittere dignum duximus, si tamen bonis operibus inhærendo, et commissos excessus plangendo, quantùm valueris, corporis tui habitaculum Deo mundum templum exhibueris.

(1) Extrav. Comm. *Lib.* 5. *tit.* 9. *de Pœnit. et remiss. cap.* 2. Clemens PP. VI. *Archiep. Tarracon.* Unigenitus Dei Filius de sinu Patris in uterum dignatus est descendere Matris, in qua, et ex qua nostræ mortalitatis substantiam Divinitati suæ, in suppositi unitate, ineffabili unione conjunxit, id quod fuit permanens, et quod non erat assumens: ut haberet undè hominem lapsum redimeret, et pro eo satisfaceret Deo Patri. *Ubi enim venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum sub lege, natum ex muliere: ut eos qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem* reciperent filiorum. (*Galat.* IV. 4. *et* 5.) Ipse namque *factus nobis à Deo sapientia, justitia, sanctificatio, et redemptio* (1. *Cor.* I. 30.): *non per*

sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, æternâ redemptione inventâ. (*Hebr.* IX. 12.) *Non enim corruptibilibus auro et argento, sed* sui ipsius *agni incontaminati et immaculati pretioso sanguine* nos redemit (1. *Petr.* I. 18. *et* 19.) : quem in ara crucis innocens immolatus non guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis suffecisset, sed copiosè velut quoddam profluvium noscitur effudisse, ita ut *à planta pedis usque ad verticem* capitis nulla sanitas inveniretur in ipso. (*Isaï.* I. 6.) Quantum ergo exinde, ut nec supervacua, inanis, aut superflua tantæ effusionis miseratio redderetur, THESAURUM militanti Ecclesiæ acquisivit, volens suis thesaurizare filiis pius pater : ut sic sit infinitus thesaurus hominibus, quo qui usi sunt, Dei amicitiæ participes sunt effecti. Quem quidem thesaurum non *in sudario* repositum, non *in agro absconditum* (*Luc.* XIX. 20. *Matth.* XIII. 44.), sed per beatum Petrum cœli clavigerum, ejusque successores suos in terris Vicarios commisit Fidelibus salubriter dispensandum : et propriis, et rationabilibus causis, nunc pro totali, nunc pro partiali remissione pœnæ temporalis pro peccatis debitæ, tam generaliter, quàm specialiter (prout cum Deo expedire cognoscerent) verè pœnitentibus et confessis misericorditer applicandum. Ad cujus quidem THESAURI cumulum beatæ Dei genitricis, omniumque electorum, à primo justo usque ad ultimum merita administriculum præstare noscuntur : de cujus consumptione seu minutione non est aliquatenùs formidandum, tam propter infinita Christi (ut prædictum est) merita, quàm pro eo, quòd quantò plures ex ejus applicatione trahuntur ad justitiam, tantò magis accrescit ipsorum cumulus meritorum.

S. THOM. *Suppl.* 3. *part. Quæst.* 25. *Art.* 1. *in concl.* Et ideò aliter dicendum quòd valent (Indulgentiæ) et quantùm ad forum Ecclesiæ, et quantùm ad judicium Dei, ad remissionem pœnæ residuæ post contritionem et confessionem et ablutionem ; sive sit injuncta, sive non. Ratio autem quare valere possint, est unitas corporis mystici, in qua multi in operibus pœnitentiæ supererogaverunt ad mensuram debitorum suorum : et multas etiam tribulationes injustas sustinuerunt patienter, per quas multitudo pœnarum poterat expiari, si eis deberentur. Quorum meritorum tanta est copia, quòd omnem pœnam debitam nunc viventibus excedunt : Et præcipuè propter meritum Christi ; quod etsi in sacramentis operatur, non tamen efficacia ejus in sacramentis includitur, sed suâ infinitate excedit efficaciam sacramentorum. Dictum est autem suprà (quæst. 13. art. 4.) quòd unus pro alio satisfacere potest : Sancti autem in quibus superabundantia operum satisfactionis invenitur, non determinatè pro isto qui remissione indiget, hujusmodi opera fecerunt (aliàs absque omni indulgentia remissionem consequeretur) ; sed communiter pro tota Ecclesia : sicut Apostolus ait se *adimplere ea quæ desunt passionum Christi in corpore suo pro Ecclesia* ad quam scribit (Coloss. I. 24.) et sic prædicta merita sunt communia totius Ecclesiæ : Ea autem quæ sunt alicujus multitudinis communia, distribuuntur singulis de multitudine, secundùm arbitrium ejus qui multitudini præest : undè sicut aliquis consequeretur remissionem pœnæ, si alius pro eo satisfecisset ; ita si sibi satisfactio alterius per eum qui potest, distribuatur.

Art. 2. *in conclus. circa finem.* Et ideò aliter dicendum est, quòd quantitas effectùs (Indulgentiarum) sequitur quantitatem suæ causæ. Causa autem remissionis pœnæ in Indulgentiis non est, nisi abundantia meritorum Ecclesiæ, quæ se habet sufficienter ad totam pœnam expiandam : non autem causa remissionis effectiva est vel devotio, vel labor, vel datum recipientis Indulgentiam, aut causa pro qua datur Indulgentia. Undè non oportet ad aliquid horum proportionare quantitatem remissionis, sed ad merita Ecclesiæ, quæ semper superabundant : Et ideò secundùm quod applicantur ad istum, secundùm hoc remissionem consequitur : ad hoc autem quod applicentur isti, requiritur auctoritas dispensandi hujusmodi thesaurum ; et unio ejus cui dispensatur ad eum qui merebatur (quod fit per charitatem,) et ratio dispensationis secundùm quam salvetur intentio illorum qui opera meritoria fecerunt. Fecerunt enim ad honorem Dei et utilitatem Ecclesiæ in generali : undè quæcunque causa adsit, quæ in utilitatem Ecclesiæ et honorem Dei

I. Habet Ecclesia, inquis, in sua potestate merita Christi; quam nobis Ecclesia potestatem narras?

R. Accepit à Christo Ecclesia potestatem ligandi et solvendi (*Matth.* XVIII. 18.), *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo; et quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo.* At quid aliud est solvere, quàm applicare merita Christi; quid aliud ligare, quàm illa merita non applicare. Habet ergo Ecclesia aliquatenùs in sua potestate merita Christi.

I. Cur et merita Sanctorum prædicas? nunquid merita Christi non sufficiunt?

R. 1. Merita Sanctorum suam omnem vim habent et efficaciam à Christi meritis, unde nec ab iis debent separari. Deindè dum Sanctos Christo adjungimus, membra capiti copulamus. 2. Adde quòd in eo sequimur id quod vidimus jam à primis Ecclesiæ seculis usurpatum ab Ecclesia. Nam, ut diximus, concedebat olim Ecclesia pœnitentibus indulgentiam intuitu Martyrum, qui datis ad Episcopos libellis gratiam hanc postulaverant, ut patet ex Epistolis (*suprà allatis litt.* (C) sancti Cypriani. Suum autem effectum non consequebantur illæ preces, nisi post mortem Martyrum, ut probarunt viri doctissimi, qui rem penitiùs explorarunt. (K)

vergat, sufficiens est ratio Indulgentias faciendi. Et ideò secundùm alios est dicendum quòd Indulgentiæ simpliciter tantùm valent quantùm prædicantur, dummodò ex parte dantis, sit auctoritas; et ex parte recipientis, charitas; et ex parte causæ, pietas, quæ comprehendit honorem Dei, et proximi utilitatem: Nec in hoc fit nimis magnum forum de misericordia Dei, (ut quidam dicunt) nec divinæ justitiæ derogatur: quia nihil de pœna dimittitur, sed unius pœna alteri computatur.

(K) *Id conceptis verbis docere videtur* S. CYPRIAN. *Lib. de lapsis, pag.* 92. Sub ara Dei animæ occisorum Martyrum *clamant magnâ voce, dicentes: Quousque Domine sanctus et verus non judicas et vindicas sanguinem nostrum de his, qui in terris inhabitant?* (*Apoc.* VI. 10. *et* 11.) et requiescere ac patientiam tenere adhuc jubentur: et quemquam posse aliquis existimat remittendis passim donandisque peccatis dignum fieri contra judicem velle, aut priùs quàm vindicetur, ipse alios posse defendere?

GABRIEL ALBASPINUS Aurel. Episc. *de veter. Eccles. ritibus Observat. lib.* 1. *Observ.* 20. *in calce.* Cæterùm ex ipsis Divi Cypriani verbis conjecturam facio, Martyrum commendationem nulli penitùs, nisi post eorum mortem profuisse, id est, si quis veniam à Martyre impetrasset, cum Ecclesiam neque recepisse, neque ad Communionem admisisse, nisi post mortem ejus Martyris à quo liberatum esse jactabat, Epist. 14. Lib 3. *Ante ipsum penè Martyrum excessum communicent cum lapsis, et offerant*, excessus enim et excedere pro morte usurpantur à Divo Cypriano, Epist. 13. *Sufficiat multos illic ex fratribus nostris annis istis superioribus excessisse sine pace, vel cæteris subveniatur qui supersunt*, Epist. 7. lib. 2. *post excessum nobilissimæ memoriæ viri Fabiani:* Eos igitur increpat, qui antequam Martyres è vita migrassent, eorum petitioni satisfacerent, atque lapsos eâ pace quam ab iisdem Martyribus acceperant, frui sinerent. Epistolæ 22. Pamelii verba quæ paulò anteà protulimus, in hanc conjecturam deducere videntur, *Cùm Benedictus Paulus Martyr adhuc in corpore esset, vocavit me, et dixit mihi: Luciane coram Christo tibi dico, ut si quis post accessionem meam abs te pacem petierit, des in nomine meo.* Fatetur Lucianus, quamvis in carcere detineretur, non suo, sed Pauli nomine peccata condonare. Idem Epistolâ 23. ejusdem

I. Habet Ecclesia, inquis, et in sua potestate merita Sanctorum; quâ id ratione probas?

R. Id patet tum ex intima connexione membrorum cum Christo capite, cujus merita peccatoribus applicari per Ecclesiam certissimum est; tum ex communione Sanctorum, quâ fit ut membra ejusdem corporis suum sibi invicem meritum communicent, ut suprà fusiùs explicatum fuit primâ Parte hujus Operis. (*Sect.* 2. *Cap.* 3. §. 3.) Hæc est et fuit semper Ecclesiæ doctrina. (L)

I. Quid faciendum peccatori ut Indulgentia concessa suum habeat effectum.

R. Debet peccator, 1. Verè pœnitere; 2. Sincerum habere satisfaciendi desiderium: 3. Quantùm est in se satisfacere: 4. Accepisse remissionem peccatorum, quantùm ad culpam; neque enim pœna remittitur, nisi priùs remissa culpa fuerit: 5. Exsequi quidquid præceptum est ab eo qui concessit Indulgentiam; verbi gratiâ, jejunare, orare, visitare Ecclesias, dare eleemosynam, sacrâ communione refici, etc. Hàc enim solùm lege conceditur Indulgentia.

§. 20. De variis Indulgentiarum generibus. Cui competat Potestas eas concedendi.

I. Suntne varia Indulgentiarum genera?

R. Indulgentiarum species multæ sunt: vel enim indulgentia plenaria conceditur, vel septem annorum, vel biennii, vel unius anni, vel quadraginta dierum, vel cujuscunque alterius certi temporis.

Deindè alia est indulgentia Jubilæi, alia indulgentia ad formam Jubilæi concessa.

editionis, Ut manu ejus scripti libelli gregatim multis nomine Pauli darentur.

JOAN. BAPT. MORINUS cong. Orat. Gallic. Presb. *de administr. sacram. Pœnit. lib.* 9. *cap.* 26. *n.* 7. Conjectura Illustrissimi Episcopi Aurelianensis observationum lib. 1. cap. 20. videtur mihi vera, Indulgentias scilicet Martyrum vim suam ab eorum morte deduxisse, atque eorum libellos ab eo tantùm tempore ab Episcopis exsecutioni mandatos: Id enim sonare videntur hæc Epist. 10. verba, « Hi sublato honore quem nobis beati » Martyres cum Confessoribus servant, contemptâ Domini lege et observa» tione quam iidem Martyres et Confessores tenendam mandant, ante » exstinctum persecutionis metum, ante ipsum penè Martyrum excessum, communicent cum Lapsis, etc. » Est enim gradatio perpetuâ quâ exaggerat sanctus Cyprianus quorumdam Presbyterorum crimen, qui Lapsis libellos Martyrum consecutis communicaverant: ex qua duo consequuntur, indulgentias illas post pacem Ecclesiæ redditam exsecutioni mandari tantùm solitas, cùm scilicet Episcopi de hisce rebus deliberaturi convenire poterant.... Alterum consequens, Lapsos indulgentiarum istarum effectu priùs non frui quàm mortui fuerint Martyres. Nam ut istorum Presbyterorum crimen exaggeret, scribit, ante ipsum penè Martyrum excessum cum Lapsis communicasse. Quodnam amplificationis genus nisi communicatio illa post mortem fieri soleret? Hoc autem posterius optimè cum priori convenit: sic enim indulgentiæ fructus post pacem Ecclesiæ factam illis tantùm donabatur, sequi videtur ut post Martyrum mortem id tantùm fiat.

(L) *Id Patrum et Conciliorum auctoritate confirmavimus toto hocce* §. *sed præcipuè litt.* (C)

I. Quid est indulgentia Plenaria ?

R. Sic vocatur illud genus Indulgentiæ, quo remittitur quidquid implendum superest pœnitentiæ Canonicæ, quæ pro peccatis imponi potuisset, et satisfactionis huic pœnitentiæ Dei judicio respondentis.

I. Quid est Indulgentia septennii, sexennii, quadriennii, biennii, quadraginta dierum ?

R. Est Indulgentia quæ remittit septennium, quadriennium, biennium, quadraginta dies pœnitentiæ Canonicæ, quæ pro peccatis imponi potuisset.

I. Quid est Indulgentia Jubilæi ?

R. Est Indulgentia Plenaria, quæ vigesimo quinto quoque anno conceditur à summo Pontifice præcipuas Urbis Ecclesias visitantibus. Instituta primùm fuit ut centesimo quoque anno concederetur ; deindè concessa est post annos quinquaginta exactos ; posteà ad singulos annos trigesimos tertios coarctata est : tandem statutum est ut vigesimo quinto quoque anno concederetur, ut fit etiamnum. Rem fusiùs explico.

Bonifacius VIII. primus omnium Indulgentiam hanc concessit, quam nos Jubilæi, et anni sancti Indulgentiam dicimus. Constituit ut deinceps ab anno 1300. centesimo quoque anno concederetur Indulgentia plenaria omnibus Romæ visitantibus Ecclesias beatorum Apostolorum Petri et Pauli. Hanc ideò concessit, quia vertente anno 1299. adveniebant undique ad urbem peregrini quamplurimi, qui peregrinationis suæ causam sciscitati, respondebant omnes, ideò se venisse quia acceperant à patribus suis, plures Indulgentias iis concedi solitas, qui ultimo quoque anno cujusque seculi Romam adventarent beatorum Apostolorum limina visiturі. (A)

(A) Odoric. Raynal. *Annal. Eccles. Card. Baron. Continuat. ann.* 1300. *n.* 1. Annus Christi millesimus trecentesimus, indictione tertiâ decimâ jubilæi, id est, condonationis criminum, quæ post detectos ritè Sacerdoti conscientiæ sinus Apostolorum basilicas adituris proponitur, majestate illustris affulgit, de quo Jacobus Diaconus Cardinalis S. Georgii ad velum aureum ita cecinit.

Aurea centeno consurgunt secula phœbo :
Et radiat cœleste jubar, miseratus ab alto
Filius æterni Patris de Virgine carnem
Indutus, redimitque suo de sanguine culpas.
Grande datum miseris Romam, qui limina Petri,
Cui reserare polos datur et concludere cœlum,
Deproperant, Paulique ducis pia templa revisit.
Et infrà.
Hinc cumulant templis sua munera divi,
Quæ sedes Romana sequens, suffultaque tantis
Auxiliis jubilans, centeno solis in ortu
Diluit omne nefas plenè. Quin pleniùs omne
Diluit, et veniam culpis uberrima confert
Gratia, si æternam passim fœdare figuram,
Haud timidi culpas compuncti corda recludant ;
Divorumque Patrum Petri Paulique subintrent
Limina, vicenis vicibus Romanus, et exter

Clementi VI. visus est longior statæ hujus Indulgentiæ terminus, adeoque illum ad annum quinquagesimum quemque coarctavit, et anno 1350. quatuor præcipuas urbis Ecclesias visitaturis concessit reipsâ Indulgentiam eamdem, quam Bonifacius VIII. anno 1300. concesserat. (B) Viguit ea

> Quindenis rutilans orbem quoad exeat axis.
> Quisnam igitur latitet, quænam vecordia, quænam
> Segnities compescit iter, quin frigeat æstus,
> Et calceat glacies, liquidusque exhorreat humor? *
> Certè magna quies, parvus labor, etc.

Bonifacius VIII. *etc. ad certitudinem præsentium, et memoriam futurorum.* *N.* 4. Antiquorum habet fida relatio, quòd accedentibus ad honorabilem basilicam Principis Apostolorum de urbe concessæ sunt remissiones magnæ et indulgentiæ peccatorum. Nos igitur qui juxta officii nostri debitum salutem appetimus et procuramus libentiùs singulorum, hujusmodi remissiones et indulgentias omnes et singulas ratas et gratas habentes, ipsas auctoritate apostolica confirmamus et approbamus, ac etiam innovamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Ut tamen beatissimi et Petrus et Paulus Apostoli eò ampliùs honorentur, quò ipsorum basilicæ de urbe devotiùs fuerint à fidelibus frequentatæ, et fideles ipsi specialium largitione munerum ex hujusmodi frequentatione magis senserint se refectos; nos de omnipotentis Dei misericordia, et eorumdem Apostolorum ejus meritis et auctoritate confisi, de fratrum nostrorum consilio et apostolicæ plenitudine potestatis, omnibus in præsenti anno millesimo trecentesimo à festo Nativitatis Domini nostri Jesu Christi præterito proximè inchoato, et in quolibet anno centesimo secuturo, ad basilicas ipsas accedentibus reverenter, verè pœnitentibus et confessis; vel qui verè pœnitebunt et confitebuntur, in hujusmodi præsenti, et quolibet centesimo secuturo annis, non solùm plenam et largiorem, immò plenissimam omnium suorum concedimus veniam peccatorum: statuentes, ut qui voluerint hujusmodi indulgentiæ à nobis concessæ fore participes, si fuerint Romani ad minus triginta diebus continuis vel interpolatis, et sallem semel in die, si verò peregrini fuerint aut forenses, modo simili diebus quindecim ad basilicas easdem accedant. Unusquisque tamen plus merebitur, et indulgentiam efficaciùs consequatur, qui basilicas ipsas ampliùs et devotiùs frequentabit. Nulli ergo, etc. Dat. Romæ apud S. Petrum 8. Kal. Martii Pontificatûs nostri anno 6.

N. 5. Exceptum est secundâ gratulatione id diploma, inspectaque jubilæi luce, populi, ut ait Jacobus Cardinalis, jubilare cœperunt. Quo verò pietatis ardore Romani Apostolorum basilicas lustrarent, describit Auctor: « Nec mora: totius orbis caput Roma, civitatis populus, nullo » sexûs vel ætatis, dum pubertatis annos exegisset, discrimine, ad » suorum patronorum basilicas, quoad dierum intervallum finem acce» pisset, cursitabat. »

N. 6. Incredibilem porrò hominum multitudinem non modò ex Italia, Sicilia, Sardinia, Corsica; sed Gallîis, Hispaniâ, Angliâ, Germaniâ, Ungariâ, concurrisse; nec solùm juvenes ac vegetæ ætatis, sed etiam septuagenarios et infirmos, qui lecticis deferebantur, confluxisse addit Auctor. Inter quos præclaro spectaculo fuit Sabaudus quidam senex, non humili genere ortus, à filiis allatus, qui centenarium annum transilierat, quique præteriti centesimi memor erat, utpote qui olim celebritati interfuisset.

(B) Oderic. Raynal. *Annal. Eccles. Card. Baron. Continuat. ann.* 1350. *n.* 1. Affulsit lætus piis annus à virgineo partu quinquagesimus supra millesimum trecentesimum, indictione tertiâ ex apostolicâ Clementis VI. Papæ constitutione Jubilæus, quo maximi ex omni Christiani orbis parte concursus hominum utriusque sexûs facti: de quibus accuratissimè præ cæteris Auctoribus, quos recensere omisimus, Matthæus Villanus, qui tum temporis scribebat, refert, Christi fideles amplissimæ peccatorum veniæ, quam summus Dei Vicarius dabat, consequendæ

cupiditate permotos incredibili alacritate sacrum iter, periculis omnibus et incommodis posthabitis, aggressos tanto numero confluxisse Romam, ut communi consensu existimatum sit, festo Domini natalitio superioris anni, et quadragesima ac sacro Dominicæ resurrectioni die decies circiter ad duodecies centena peregrinorum millia continuò euntium ac redeuntium in urbe esse versata : sacro Ascensionis Dominicæ et Pentecostes tempore ultra octies centena millia : adultâ æstate numerum imminutum, haud tamen adeò, ut ad ducenta millia quotidiè conspecta non sint. De pietatis sensu, quo fideles erant in lustrandis sacris Urbis locis delibuti, hæc habet Petrarcha : « Quàm dulce est Christiano animo » urbem cernere cœli instar in terris sacro-sanctis Martyrum nervis » atque ossibus confertam, et veri testium pretiosa cæde respersam. » Videre venerandam populis Salvatoris imaginem, et in saxo durissimo » æternùm gentibus adoranda vestigia, ubi ad litteram luce clariùs » impletum cernitur illud Esaïæ : *Et venient ad te curvi filii eorum, qui* » *humiliaverunt te, et adorabunt vestigia pedum tuorum omnes qui detra-* » *hebant tibi* (*Isaï.* LX. 14.) : circumire Sanctorum tumulos, vagari per » Apostolorum atria melioribus jam curis comitibus. »

CLEMENS VI. Archiep. Tarracon. Unigenitus, etc. *Vide supra* §. 19. *litt.* (I) *Deindè addit :* Quod fel. record. Bonifacius Pap. VIII. prædecessor noster plè sicut indubiè credimus, considerans, et attentâ meditatione revolvens, quantùm apud homines gloriosi principes terræ Petrus et Paulus, per quos Evangelium Christi Romæ resplenduit, et per quos Ecclesia religionis sumpsit exordium : qui facti Christiani populi per Evangelium genitores, gregis Dominici pastores, fidei lucernæ, Ecclesiarum columnæ, præ cæteris Apostolis peculiari quadam prærogativâ in ipso Salvatore fidei virtute præcellunt. Quorum uni, scilicet Apostolorum principi, sicut bono dispensatori, claves regni cœlorum commisit : alteri tanquam idoneo Doctori, Magisterium Ecclesiasticæ eruditionis injunxit : in speciali veneratione haberi debeant, et debitâ honorificentiâ venerari pro ipsorum memoria recolenda crebriùs, et reverentiâ à cunctis Christi fidelibus eis devotiùs adhibendâ, ipsorumque patrocinio favorabiliùs assequendo, inconsumptibilem thesaurum hujusmodi pro excitanda et remuneranda devotione fidelium voluit aperire : decernens de fratrum suorum consilio, ut omnes, qui in anno à nativitate Domini M. CCC. et quolibet anno centesimo ex tunc seculturo ad dictorum Apostolorum basilicas de urbe accederent reverenter, ipsasque si Romani ad minus 30. Si verò peregrini aut forenses fuerint, quindecim diebus continuis vel interpolatis, saltem semel in die, dum tamen verè pœnitentes, et confessi existerent, personaliter visitarent, suorum omnium obtinerent plenissimam veniam peccatorum. Nos autem attendentes, quòd annus quinquagesimus in lege Mosaïca (*Levit.* XXV. 8. *et seq.*) (quam non venit Dominus solvere, sed spiritualiter adimplere) (*Matth.* V. 17.) Jubilæus remissionis et gaudii sacerque dierum numerus, quo lege fit remissio, censebatur : quodque ipse quinquagenarius numerus in Testamentis, veteri quidem ex legis datione, novo ex visibili Spiritûs sancti in Discipulos missione, per quem datur peccatorum remissio, singulariter honoratur. Quodque huic plura et grandia divinarum adaptantur mysteria Scripturarum, et clamorem peculiaris populi nostri Romani, videlicet hoc humiliter supplicantis, ac nos ad instar Moysi et Aaron per proprios et solemnes nuntios, ad hoc destinatos specialiter orantes pro toto Christiano populo, et dicentis : *Domine, aperi eis thesaurum tuum fontem aquæ vivæ* (*Num.* XX. 6.), desiderantes benigniùs exaudire, non quidem ut sicut illius Israëlitici populi indurati cessel murmuratio, sed ut istius prædilecti populi, et cunctorum fidelium augeatur devotio, fides splendeat, spes vigeat, charitas vehementiùs incalescat. Volentesque quàm plurimos hujusmodi indulgentiæ fore participes, cùm pauci multorum respectu propter vitæ hominum brevitatem valeant ad annum centesimum pervenire, de fratrum nostrorum consensu, prædictam concessionem indulgentiæ ex suprascriptis, et aliis justis causis ad annum quinquagesimum duximus reducendam. Statuentes de fratrum consilio prædictorum, et Apostolicæ plenitudine potestatis, ut universi fideles, qui verè pœnitentes et con-

lex nullâ factâ mutatione usque ad Pontificatum Pauli II. Is anno 1470. decrevit Indulgentiam hanc esse vigesimo quinto quoque anno concedendam. (C) Quam legem primus om-

fessi in anno nativitate ejudem M. CCC. quinquagesimo, proximè futuro, et deinceps perpetuis futuris temporibus de quinquaginta in quinquaginta annis prædictas eorumdem Petri et Pauli Apostolorum basilicas et Lateranensem Ecclesiam, quam inclytæ recordationis Constantinus, postquàm per beatum Silvestrum, sicut per eosdem Apostolos Deo revelante cognovit, renatus fonte baptismatis fuerat, et à contagio lepræ mundatus, in honorem Salvatoris construxisse, quamque idem beatus Silvester novo sanctificationis et chrismationis genere dedicasse legitur: et in cujus Ecclesiæ parietibus præfati Salvatoris imago depicta primùm toti populo Romano visibiliter apparuit devotiùs veneranda, quàm ex his et aliis certis et rationabilibus causis, ut ipsa Ecclesia pariter indulgentiæ prædictæ privilegio decoretur, et devotus ab eodem Salvatore, qui in præfatis Apostolis mirabilis prædicatur, eorum meritis et precibus indulgentiæ mereatur percipere largitatem, in hoc censuimus veneranda, causâ devotionis modo prædicto visitaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum veniam consequantur, ita videlicet, ut quicunque voluerit indulgentiam hujusmodi assequi, si Romani ad minus 30. si verò peregrini aut forenses, modo simili 15. diebus ad prædictas basilicas et Ecclesiam accedere teneantur: adjicientes, ut ii etiam pro ea consequenda ad easdem basilicas, et Ecclesiam accedent, post iter arreptum impediti legitimè, quominùs ad urbem illo anno valeant pervenire, aut in via vel dierum prætaxato numero non completo in dicta urbe decesserint, verè pœnitentes (ut præmittitur) et confessi, eamdem indulgentiam consequantur. Omnes nihilominùs et singulas indulgentias, per nos vel prædecessores nostros Romanos Pontifices tam prænominatis, quàm aliis basilicis et Ecclesiis de dicta urbe concessas, ratas et gratas habentes, ipsas auctoritate Apostolicâ confirmamus et approbamus, ac etiam innovamus, et præsentis scripti patrocinio communimus.

(C) ODORIC. RAYNAL. *Annal. Eccles. Card. Baron Continuat. ann.* 1470. *n.* 55. Redegit hoc anno Paulus II. Jubilæum annum à trigesimo tertio ad vigesimum quintum recurrentem edito Apostolico Diplomate, *in quo inter cætera, hæc leguntur:* Attentè considerantes novum vel à moribus alienum non esse pro varietate temporum antecessorum eorumdem statuta reduci ad spatium temporis brevioris; maximè pro salute animarum fidelium, quam totâ mente appetimus annum 33. ad annum 25. reducentes, auctoritate, scientiâ, potestate plenissimâ statuimus et ordinamus quòd de cætero perpetuis futuris temporibus annus Jubilæus, plenariæ videlicet remissionis et gratiæ et reconciliationis humani generis nostro piissimo redemptori, cum omnibus et singulis etiam peccatorum remissionibus supradictis de 25. annis in 25. annos cum gratiarum actione, et mentis jucunditate debeat ab omnibus Christi fidelibus frequentari, ac etiam celebrari. Nos enim de omnipotentis Dei misericordia et ipsorum Apostolorum auctoritate confisi, eisdem utriusque sexûs fidelibus qui in anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo quinto incipiendo à primis vesperis vigiliæ Nativitatis Domini nostri Jesu Christi anni millesimi quadringentesimi septuagesimi quarti, et ut sequitur finiendo, et deinceps de 25. annis in 25. annos basilicas et Ecclesias.... juxta ordinationem prædecessorum devotè visitaverint.... plenissimam peccatorum suorum omnium veniam elargimur. 15. Kal. Maii.

Dedit et aliam Constitutionem, quâ privilegia Sacerdotibus pœnitentiariis et pœnitentibus concessa restringit. Legitur EXTRAV. *lib.* 5. *tit.* 9. *cap.* 3. *cujus tale est initium:* Et si Dominici gregis saluti semper intenti singulis cum humilitate poscentibus ea benignè concedere studeamus, per quæ (peccatorum mole depositâ) salus ipsa succedat, et ab hostis humani generis servitute ereptas animas lucrifaciamus altissimo, qui nobis eas suâ benignitate commisit: id tamen propensiori studio præcavendum esse censemus, ne (cujusvis indulgentiæ, remissionis vel facultatis obtentu) Christi fideles procliviores ad illicita in posterum committenda reddantur: aut veniæ facilitas eis peccandi tribuat incentivum.

nium exsecutioni mandavit ejus successor Sixtus IV. anno 1475. et deinceps ad nostra usque tempora viguit ea lex. (D) Ante Paulum II. Gregorius IX. editâ Constitutione sanxerat quidem Indulgentiam hanc esse trigesimo tertio quoque anno concedendam, sed non videtur ea Constitutio quidquam habuisse firmitatis. (E)

I. Cur Indulgentia quæ anni sancti dicitur, dicitur et indulgentia Jubilæi?

(D) ODORICUS RAYNAL. *Annal. Eccles. Card. Baronii Continuat. anno* 1475. *n.* 1. Recurrente vigesimo quinto anno Pauli II. decretum de celebrando Jubilæo, à Sixto IV. confirmatur.... *Exstat de eodem Jubilæo Bononiæ indicto Pontificium diploma, in quo cæteras indulgentias à se aut prædecessoribus suis indultas suspensas esse voluit anno jubilæi, quod et apud successores deinceps invaluit; hujus diplomatis verba tibi transcribimus, quod habetur.*

EXTRAV. *lib.* 5. *tit.* 9. *cap.* 4. Quemadmodum operosi, vigilisque Pastoris solertia oves suæ custodiæ deputatas, curat à ferarum præservare incursibus, et ad statum prosperum fœtu multiplicato perducere: ita quoque et nos (quibus dispositione supernâ universi gregis Dominici sollicitudo commissa est) et supremis desideramus affectibus, et studiis nitimur indefessis cunctos Christi fideles, quos à justitiæ semita hostis humani generis diabolicâ fraude avertit, depositâ peccatorum sarcinâ, suo reconciliare auctori: ut æternæ felicitatis præmiis nostri Redemptoris inæstimabili charitate media potiantur, fiatque nostræ operationis ministerio utilitate publicâ suadente, etiam per gratiarum susceptionem, quod eorum saluti conveniat, atque nostræ et Prædecessorum nostrorum ordinationes salubres debitis effectibus mancipentur. Clim siquidem felicis recordat. Paulus PP. II. Prædecessor noster rationabilibus causis tunc expressis inductus.... ANNUM JUBILÆUM ad brevius tempus providâ moderatione reducens, illum ad annum vigesimum quintum Apostolicâ auctoritate restrinxit, ac voluit, statuit, et decrevit.... quòd singulis viginti quinque annis *Jubilæus annus* prædictus celebrari deberet: quodque anno Domini M. CCCCLXXIV. proximè futuro, videlicet à vigilia Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, idem ANNUS JUBILÆUS inciperet, et ut sequitur, finiretur.... Similiter statuimus et ordinamus, quòd ANNUS JUBILÆUS prædictus, cum iisdem indulgentiis et remissionibus plenariis peccatorum, anno proximè futuro à vigilia Nativitatis ejusdem incipere, et ut sequitur, continuari deberet... Verùm, quia... multorum Principum et aliorum Christi fidelium,... pulsati precibus, diversas indulgentias et peccatorum remissiones plenarias nonnullis Ecclesiis, Monasteriis et piis locis duximus concedendas: propter quas populorum forsan concursus ad basilicas (*SS. Petri et Pauli, Lateranensis et S. Mariæ majoris*) retardari, aut ipsius ANNI JUBILÆI celebritas minui, vel intermitti posset, cum animarum non modico detrimento. Nos qui universorum credentium profectibus et saluti prospicere ex debito ministerii Pastoralis adstringimur (ne propter aliarum indulgentiarum, hactenùs à nobis seu.... Prædecessoribus nostris concessarum, hujusmodi effusionem, hoc sanctum opus ac remissionis et gratiæ ANNUS JUBILÆUS intermittatur, aut fideles ipsi à tanto munere reddantur experles) remediis opportunis providere volentes, omnes et singulas plenarias, etiam ad instar jubilæi, ac etiam commutandi vota, etc.... et indulta à nobis et eadem sede vel illius auctoritate quibuscunque Ecclesiis, Monasteriis, etc.... auctoritate Apostolicâ tenore præsentium de Apostolicæ potestatis plenitudine, usque ad nostrum et ejusdem sedis beneplacitum suspendimus, illasque durante beneplacito nostro, et sedis prædictæ suspensas esse volumus, nec interim alicui suffragari, Indulgentiis tamen basilicarum et Ecclesiarum dictæ urbis in suo plenario robore durantibus. Distinctiùs inhibentes, alias indulgentias (præter istas duntaxat) in locis publicis vel privatis prædicari aut nuntiari, etc. Datum Tyburi anno 1473. 4. Kal. Sept.

(E) *Hujus meminit* PAULUS II. *in Bulla suprà allata litt.* (C) *hocce* §.

R. Primus omnium Sixtus IV. Indulgentiam hanc *Jubilæum* appellavit, quia multùm habet convenientiæ cum anno Judæorum *Jubilæo.* (F)

I. Quid erat is annus Jubilæus apud Judæos ?

R. Quinquagesimo quoque anno si qui fortè Judæorum possessiones suas vendiderant vel pignori dederant, illi anno quinquagesimo redibant omnes ad possessiones suas. Si qui fortè eorum dederant se in servitutem fratribus suis, illi anno quinquagesimo libertate donabantur cum tota sua familia : is annus Jubilæus et annus remissionis vocabatur. Sanxerat eam legem Deus, ut meminissent Hebræi fuisse se gratuità Dei misericordià liberatos à servitute Ægyptiorum, et introductos in possessionem terræ Chanaan ; tùm ne Tribus et Familiæ miscerentur ; sed staret facta divisio possessionum per Tribus et Familias sub Josue jussu Dei. (G) Hic autem annus remissionis, qui Jubilæus apud Judæos dicebatur, typus fuit ut SS. Patres ex Prophetarum oraculis intellexerunt et scripserunt, typus, inquam, fuit ineffabilis illius misericordiæ, quam concessurus erat Christus hominibus ; per eum enim et liberandi eramus à peccatis, quæ debitorum nomine exprimuntur in Scripturis, et à servitute diabolica. Audienda sunt ea de re verba Isaïæ de Messia vaticinantis, ut Christus ipse interpretatus est. (*Isai.* LXI. 1.) *Spiritus Domini super me : propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captivis remissionem, et cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum et diem retributionis.* Hæc verba ad annum Judæorum Jubilæum respicere per se patet, fuisse autem Prophetiam hanc in se impletam testatur Christus his verbis : *Hodie impleta est Scriptura hæc in auribus vestris.* (*Luc.* IV. 21.)

I. Quid est Indulgentia quæ à summis Pontificibus subinde conceditur ad formam Jubilæi ?

R. Est species quædam Indulgentiæ plenariæ omnibus

(F) *Vide Bullam* SIXTI IV. *suprà exscriptam hocce §. litt.* (D)

(G) LEVIT. XXV. 8. Numerabis quoque tibi septem hebdomadas annorum, id est, septies septem, quæ simul faciunt annos quadraginta novem, 9. et clanges buccinâ mense septimo, decimâ die mensis, propitiationis tempore in universa terra vestra. 10. Sanctificabisque annum quinquagesimum, et vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ tuæ : ipse est enim Jubilæus. Revertetur homo ad possessionem suam, et unusquisque rediet ad familiam pristinam : 11. quia jubilæus est et quinquagesimus annus. Non seretis, neque metetis sponte in agro nascentia, et primitias vindemiæ non colligetis, 12. ob sanctificationem jubilæi, sed statim oblata comedetis. 13. Anno jubilæi redient omnes ad possessiones suas.

Ibid. 38. Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægypti, ut darem vobis terram Chanaan, et essem vester Deus. 39. Si paupertate compulsus vendiderit se tibi frater tuus, non eum opprimes servitute famulorum, 40. sed quasi mercenarius et colonus erit : usque ad annum jubilæum operabitur apud te, 41. et postea egredietur cum liberis suis, et revertetur ad cognationem et ad possessionem patrum suorum. 42. Mei enim servi sunt, et ego eduxi eos de terra Ægypti.

fidelibus graves ob causas concessæ, quemadmodum conceditur Indulgentia Jubilæi : non secùs ferè ac si Judæis olim fuisset aliquando extraordinariè concessa ea remissio, quæ anno Jubilæi ex lege concedebatur.

Cæterùm cum isthæc Indulgentia fidelibus conceditur à summis Pontificibus, simul multæ conceduntur ipsis prærogativæ ad beneplacitum Pontificis, 1° ut possint omnes seligere sibi Confessarium qualem voluerint ex approbatis ab ordinario : 2° ut Confessarius ille, quisquis ille sit, possit absolvere pœnitentem à quibuslibet casibus et censuris, etiam reservatis summo Pontifici ; 3° ut possit commutare omnia vota, præter illa quæ nominatim excipiuntur ut in Bulla Pontificia. Hæc et alia hujusmodi fusiùs contenta in diplomatibus Indulgentiarum legi possunt.

I. Quinam possunt concedere Indulgentias ?

R. Summus Pontifex et Concilium generale per totam Ecclesiam hoc jure gaudent ; Episcopi verò cæteri per suas tantùm Diœceses in quas Jurisdictionem habent, non per alias Ecclesias, nec ultra annum uti constitutum fuit in Concilio œcumenico Lateranensi IV. (*cap.* 62.) sub Innocentio PP. III. anno 4215. celebrato, his verbis : *Ad hæc, quia per indiscretas et superfluas Indulgentias, quas quidam Ecclesiarum Prælati facere non verentur, et claves Ecclesiæ contemnuntur, et pœnitentialis satisfactio enervatur : decernimus ut, cùm dedicatur Basilica, non extendatur Indulgentia ultra annum, sive ab uno solo, sive à pluribus Episcopis dedicetur : ac deindè in anniversario dedicationis tempore, quadraginta dies de injunctis pœnitentiis indulta remissio non excedat. Hunc quoque dierum numerum Indulgentiarum litteras præcipimus moderari, quæ pro quibuslibet causis aliquoties conceduntur : cùm Romanus Pontifex, qui plenitudinem obtinet potestatis, hoc in talibus moderamen consueverit observare.* (*Cap.* 14. Cùm ex eo. *Extra.* de Pœnit. et remiss. §. ad hæc.) Hocce statutum hodiedum strictè sequuntur Episcopi, cùm anteà Indulgentias plenarias per suas Diœceses concederent, quas juxta hodiernam Ecclesiæ disciplinam solus summus Pontifex et Concilium universale per Catholicam Ecclesiam dispensant. (H)

(H) Concil. Basil. *Epist. Syn.* 7. Et ut ad recentiora veniamus, et ad hanc specialiter Indulgentiarum causam proximum generale Concilium Senense, quod in foribus Romanæ urbis erat, in quo felicis recordationis Martinus residebat, sub his verbis has plenarias Indulgentias concessit : sacro sancta generalis Synodus Senensis, in Spiritu sancto legitimè congregata, universalem Ecclesiam repræsentans, etc. statuit, quòd quicunque capientes hæreticos, et in potestatem Ordinariorum vel Inquisitorum hæreticæ pravitatis effectualiter ponentes, vel ad eos quos retinere vel capere non possent, de eorum territoriis omninò expellentes, aut bannientes, seu et jam requisiti brachium seculare contra tales præstantes, eam Indulgentiam consequantur, quæ dari consuevit proficiscentibus in subsidium terræ sanctæ. Hanc autem, quæ in subsidium terræ sanctæ dari consuevit, plenariam fore nemo est qui nesciat. Nec quidem ex tali decernendi modo, quem universalia servant Concilia

absente Papa, quidquam auctoritati Sedis Apostolicæ deperit. In omnibus enim Synodalibus sanctionibus, semper prima et potissima refulget illius sanctæ Sedis auctoritas, ac deindè Patriarcharum et Antistitum, totiusque Ecclesiæ universalis, quam generalia Concilia legitimè congregata repræsentant. Et est prætereà omnibus consentientibus Apostolicis præsidentibus hîc synodaliter ordinatum, ut in hoc Concilio, cùm Papa sit absens, omnia sub nomine et bulla hujus sacri Concilii expediri debeant.

ALEXANDER III. Archiep. Cantuar. *Decret.* GREGORII IX. *lib.* 5. *tit.* 38. *de pœnit. et remiss. cap.* 4. Quod autem consuluisti, utrum remissiones, quæ fiunt in dedicationibus Ecclesiarum, aut conferentibus ad ædificationem pontium, aliis prosint quàm his, qui remittentibus subsunt: Hoc volumus tuam fraternitatem tenere, quòd cùm à non suo judice ligari nullus valeat vel absolvi, remissiones prædictas prodesse illis tantummodò arbitramur, quibus ut prosint proprii judices specialiter indulserunt.

SEXT. DECRET. *lib.* 5. *tit.* 9. *de Pœnit. et remiss. cap.* 3. Indulgentiæ, quæ ab uno vel pluribus Episcopis in Ecclesiarum dedicationibus vel aliis quibuscunque casibus conceduntur: vires non obtinent, si statutum excesserint Concilii generalis.

CONCIL. RAVENN. IV. *ann.* 1317. *Rubrica* 20. Cùm inferior superioris legem habeat observare, nec eam possint infringere, seu etiam abolere et in jure contineatur, quòd Episcopi plures, vel unus non possint concedere Indulgentiam ultra numerum quadraginta dierum, excepto in sola Ecclesiarum consecratione, quod de uno anno statutum fuit in Concilio Forlivii celebrato per bonæ memoriæ fratrem Bonifacium prædecessorem nostrum, circa Prælatos eleemosynarios, sub rubrica de pauperibus alendis, limitamus et reducimus ad numerum 40. dierum, hoc sacro approbante Concilio.

Rubr. 22. Relaxamus quoque eâdem auctoritate omnibus et singulis verè pœnitentibus et confessis, qui ad hoc sacrum Concilium accesserunt, vel pro eo laboraverunt, de injunctis pœnitentiis 40. dies, pro singulis diebus quibus laboraverunt vel laborabunt, usque ad festum omnium Sanctorum inclusivè.

S. THOM. *Suppl.* 3. *part. Quæst.* 29. *art.* 1. *in corp.* Respondeo dicendum quòd Indulgentiæ effectum habent secundùm quòd opera satisfactoria unius alteri computantur, non solùm ex vi charitatis, sed etiam ex intentione operantis aliquo modo directà ad ipsum: sed intentio alicujus potest ad alterum dirigi tripliciter; aut in generali, aut in speciali, aut in singulari. In singulari quidem, sicut cùm quis pro alio satisfacit determinatè; et sic quilibet potest alteri sua opera communicare: in speciali autem, sicut cùm quis orat pro congregatione sua et familiaribus, et benefactoribus, et ad hoc etiam ordinat sua opera satisfactoria: Et sic ille qui congregationi præest, potest opera illa alii communicare, applicando intentionem illorum qui sunt de congregatione sua, adhuc determinatè: sed in generali, sicut cùm quis opera sua ordinat ad bonum Ecclesiæ in generali: Et sic ille qui præest Ecclesiæ generaliter, potest opera illa communicare applicando intentionem suam ad hunc vel illum: Et quia homo est pars congregationis, et congregatio est pars Ecclesiæ, ideò in intentione privati boni includitur intentio boni congregationis, et boni totius Ecclesiæ: Et ideò ille qui præest Ecclesiæ potest communicare ea quæ sunt congregationis et hujus hominis; et ille qui præest congregationi, potest communicare ea quæ sunt hujus hominis, sed non convertitur: sed neque prima communicatio, neque secunda, Indulgentia dicitur, sed solùm tertia, propter duo. Primò, quia per illas communicationes, quamvis homo solvatur à reatu pœnæ, quantùm ad Deum, tamen non solvitur à debito faciendi satisfactionem injunctam ad quam obligatus est ex præcepto Ecclesiæ: sed per tertiam communicationem homo etiam ab hoc debito solvitur: secundò, qui in una persona vel in una congregatione non est indeficientia meritorum, ut sibi et omnibus aliis valere possint: Unde iste non absolvitur à pœna debita pro toto, nisi tantum determinatè pro eo fiat, quantum debeat; sed in Ecclesia tota est indeficientia meritorum, præcipuè propter meritum Christi: Et ideò solus ille qui præficitur Ecclesiæ potest indulgentias facere: sed cùm

§. 21. De Indulgentiis concessis in gratiam mortuorum Fidelium.

I. Potestne Ecclesia concedere Indulgentias in gratiam mortuorum fidelium?

R. Potest: Sed non eodem modo quo conceduntur vivis fidelibus. Conceditur enim vivis per modum absolutionis, mortuis verò per modum suffragii.

Vivis, inquam, *per modum absolutionis*; hoc est, exercendo erga ipsos actum jurisdictionis, quo remittitur illis pars satisfactionis exsolvendæ, ut diximus.

Mortuis autem per modum suffragii; id est, Indulgentiam in gratiam mortuorum concessam nihil aliud esse, quàm preces efficaciores ad mortuorum solatium ab Ecclesia fusas. Ita ut mens Ecclesiæ ea sit in harum Indulgentiarum concessione, ut offerat specialiùs pro mortuis suas preces junctas meritis et Christi et Sanctorum. (A)

Ecclesia sit congregatio fidelium, congregatio autem hominum sit duplex; scilicet œconomica, sicut qui sunt de una familia: et politica, sicut illi qui sunt de uno populo; Ecclesia assimilatur congregationi politicæ, quia ipse populus Ecclesia dicitur; sed conventus diversi vel Parochiæ in una Diœcesi assimilantur congregationi in diversis familiis, vel in diversis officiis. Et ideò solus Episcopus propriè *Prælatus Ecclesiæ dicitur:* Et ideò ipse solus quasi sponsus, annulum Ecclesiæ recipit: Et ideò solus ipse habet plenam potestatem in dispensatione sacramentorum, et jurisdictionem in foro causarum quasi persona publica; alii autem, secundùm quòd ab eo eis committitur: sed Sacerdotes qui plebibus præficiuntur, non sunt simpliciter Prælati, sed quasi coadjutores: unde in consecratione Sacerdotum Episcopus dicit: *Quantò fragiliores sumus, tantò magis his auxiliis indigemus:* Et propter hoc etiam non omnia sacramenta dispensant: unde Sacerdotes Parochiales, vel Abbates, aut alii hujusmodi Prælati, non possunt indulgentias facere.

(A) Rob. Bellarm. S. R. E. Card. *lib.* 2. *de Purgatorio cap.* 16. Ad hæc juvantur etiam defuncti indulgentiis; sed ideò non faciunt illæ quartum genus suffragiorum: quia indulgentia nihil aliud est quàm applicatio satisfactionum, seu pœnalium operum Christi et Sanctorum, defunctis. Nam idcircò dicuntur Indulgentiæ concedi defunctis per modum suffragii, non per modum absolutionis: non enim potest Pontifex absolvere defunctos à pœnis, quomodo absolvit viventes: quia illi non sunt ei subjecti, isti sunt; potest tamen tanquam summus dispensator thesauri Ecclesiæ communicare illis bona opera pœnalia, quæ in thesauro sunt.

Lib. 1. *de Indulgent. cap.* 14. De indulgentiis, quibus juvantur animæ defunctorum sex quæstiones sunt. Prima, an prosint. Secunda, an per modum absolutionis dari possint. Tertia, quid sit dari Indulgentias defunctis per modum suffragii. Quarta, an ex justitia, an ex misericordia liberentur animæ, quibus indulgentiæ applicantur. Quinta, quid requiratur, ut indulgentiæ prosint defunctis. Sexta, an Indulgentiæ prosint in particulari certis animabus, an solùm omnibus in communi.

Quod ad primam quæstionem attinet, Hæretici omnes, tum recentiores, tum antiquiores, qui Purgatorium negaverunt, consequenter etiam suffragia, et indulgentias mortuis prodesse negaverunt. Ex Catholicis; Ostiensis in summa lib. 5. tit. de remissionibus num. 9. et Gabr. lect. 57. in Canonem Missæ docuerunt Indulgentias defunctis non prodesse: sed Gabriel citò correxit errorem, ut perspicuum est ex additione ad eamdem lectionem. Res autem certissima est, et apud Catholicos indubitata, Indulgentiis juvari posse animas quæ in Purgatorio pœnas luunt. Id quod primùm probari potest ratione deductâ ex Scripturis, Conciliis, Patribus. Constat enim animas defunctorum posse juvari suffragiis viventium, id est, eleemosynis, precibus, jejuniis, sacrificiis Missarum, aliisque piis operibus, ut copiosè ostensum est à nobis in lib. 1. de Purgatorio ferè

loto, et lib. 2. cap. 15. quæ non sunt hoc loco repetenda. Et quamvis suffragia defunctis per modum impetrationis prosint, ac præsertim preces, et oblatio sacrificii: tamen nulla ratio reddi potest, cur non prosint etiam per modum satisfactionis, ac præcipuè jejunia et eleemosynæ: nam hæc opera satisfactoria esse, satis à nobis probatum est in 4. lib. de pœnitentia, et in libris de operibus bonis in particulari. Et defunctos, quibus hæc suffragia à vivis applicantur, satisfactione indigere non dubium est. Constat præterea illam esse rationem, cur suffragia viventium prodesse possint defunctis, quia fideles defuncti ita conjuncti sunt cum fidelibus viventibus, ejusdem fidei et charitatis vinculo, ut unam Ecclesiam, et unum corpus efficiant. *Neque enim*, inquit S. Augustinus lib. 20. de Civit. Dei, cap. 9. *piorum animæ defunctorum ab Ecclesia separantur, quæ est regnum Christi.* Ex his duobus fundamentis aperiè colligitur, posse etiam privatos homines offerre Deo pro defunctis, tanquam membris ejusdem corporis, satisfactiones suas, jejunia, eleemosynas, peregrinationes, et similia opera laboriosa. Quòd si privati homines possunt applicare defunctis tanquam membris ejusdem corporis satisfactiones suas, cur non potest summus Pontifex applicare eisdem satisfactiones Christi et Sanctorum, quæ sunt in thesauro spirituali, cujus ipse dispensator est?

Præterea idem probatur ex usu Ecclesiæ. Constat enim Paschalem summum Pontificem ante annos DCC. concessisse indulgentiam pro defunctis, quæ habetur in Ecclesia S. Praxedis in introitu capellæ S. Zenonis, cujus indulgentiæ meminit etiam Gabriel loco notato; sed non rectè vocat Paschasium V. Cùm sit reverà Paschalis I. Multi etiam Pontifices alii, ut ibidem refert Gabriel, pro defunctis indulgentias concesserunt. Denique consentiunt Theologi, ut S. Thom. in 4. dist. 45. q. 2. art. 3. quæst. 2. S. Bonav. in 4. d. 20. p. 2. q. 5. Rich. d. 20. art. 3. q. 3. et alii; nec non Canonistæ, ut Innocent. in cap. *Quod autem* de pœnit. et remiss. Felinus in serm. de indulg. et alii. Neque iis repugnat, quòd Joannes Major in 4. d. 20. q. 2. dicat multos Theologos contrà sentire. Nam loquitur de indulgentia per modum absolutionis judicialis, non de indulgentia absolutè. Altera quæstio difficilior est, de modo, quo Indulgentiæ defunctis prodesse possunt; an videlicet summus Pontifex possit animas defunctorum, quæ sunt in Purgatorio, judicialiter absolvere, ut facit cum hominibus viventibus, dum Indulgentias eis concedit. Nam Michael Medina disp. 7. c. 34. et disp. 8. c. 41. de Indulg. contendit animas defunctorum, quæ sunt in Purgatorio, pertinere ad jurisdictionem summi Pontificis, et posse ab eo Indulgentias percipere per modum absolutionis. Sed contrà sentiunt ferè omnes alii Scriptores, ut S. Bonavent. Richardus, Gabr. et Joannes Major locis citatis. Qui postremus auctor testatur suo tempore à Schola Parisiensi fuisse damnatam sententiam contrariam. Item Cajet. Tract. 15. c. 5. Dominicus Soto in 4. d. 21. q. 2. art. 1. concl. 3. Petrus de Soto lect. de indulg. Navarr. de jubilæo, notab. 22. n. 6. Anton. Cord. q. 15. de indulg. et alii.

Et probatur hæc sententia posterior, Primò, quoniam S. Leo in Epist. ad Rusticum Narbonensem Episcopum, et habetur apud Gratianum 24. q. 2. can. 1. sic ait, *de communione privatis, et ita defunctis, eorum causa judicio Dei reservanda;* et Gelasius Papa in Epist. ad Faustum, et in altera ad Episcopos Dardaniæ, ut est apud eumdem Gratianum 24. q. 2. can. *Legatur*, et can. *Nec quisquam*, disertis verbis docet, homines mortuos, qui sunt in divino judicio constituti, non posse ab Ecclesia judicari. Secundò, quia non potest Ecclesia mortuorum animas citare, non potest earum causam cognoscere, non potest eas cogere ad obedientiam; non igitur potest absolvere, vel ligare. Tertiò, Pontifex non habet auctoritatem nisi in oves, quas pascendas suscepit, juxta illud Joan. XXI. 17. *Pasce oves meas.* At animæ defunctorum non possunt pasci à Pontifice, cùm non possint ab eo doctrinam, vel sacramenta, vel leges et jura percipere: non igitur sunt ei subjectæ; ac proindè non possunt ab eo ligari, vel solvi. Quartò, quoniam Pontifices ordinariè cùm extendunt Indulgentias ad mortuos, addunt particulam per modum suffragii, ut perspicuum est ex Constitutionibus Alexandri VI. Clementis VII. Julii III. et Gregorii XIII. de indictione Jubilæi. Refert etiam Gabr. in addit. ad lect. 57. super Ca-

nonem, se vidisse declarationem Sixti IV. quòd indulgentiæ prosint defunctis per modum suffragii. Quod (ut mox dicemus) opponitur ei, quod est, per modum absolutionis. At objiciunt aliqui verba Domini, (Matth. XVI. 19.) *Quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis*, et probant illud *super terram*, non referri ad eos qui solvuntur, sed ad eum qui solvit, ut sensus sit; Quodcunque solveris tu super terram degens, erit solutum à me, qui sum in cœlis.

Prætereà dicunt, defunctos, qui sunt in Purgatorio, adhuc esse viatores, et auxilio egentes, ac proinde videri esse subjectos Pontificis jurisdictioni. Denique ostendunt ex can. *sanè*, 24. qu. 2. sæpè ab Ecclesia excommunicari defunctos, et rursùs absolvi ab excommunicatione, ex quo sequi videtur, ut propriè sint Ecclesiæ judicio subditi.

Sed facilis est responsio. Nam ad primum dici posset, Gelasium, cujus magna est in Ecclesia auctoritas, exposuisse illud (*super terram*) ut referatur ad eos, qui solvuntur, non ad eum, qui solvit, ut patet ex can. *Legatur*, jam citato. Sed esto, referri possit ad eum, qui solvit; nihil tamen ex eo sequitur: quia debent intelligi de solutione circa eos, qui sunt ei subjecti. Alioqui posset summus Pontifex ligare et solvere eos etiam, qui sunt cœlo vel gehenna, si ita universaliter accipiatur ligandi, vel solvendi potestas. Ad secundum responderi potest, non omnes viatores esse propriè subjectos Pontifici, sed solùm eos, qui sunt oves visibilis hujus ovilis, et membra hujus visibilis Ecclesiæ. Quòd autem defuncti, qui in Purgatorio degunt, aliquo modo sint viatores, et egentes auxilio Ecclesiæ, et cum ipsa Ecclesia visibili invisibiliter conjuncti per fidem et charitatem, facit, ut possint ab Ecclesia nostra juvari, et indulgentiis frui, non ut subditi per modum absolutionis, sed ut amici absentes per modum suffragii.

Ad tertium respondemus, Defunctos ab Ecclesia posse excommunicari, et ab excommunicatione absolvi, solùm quoad ea, quæ à viventibus fieri debent: nam cùm defunctus excommunicatur, id fit, quia post mortem detegitur ejus pertinacia in hæresi, aut aliquid ejusmodi, et id solùm ex illa excommunicatione sequitur, ut pro ipso non fiant suffragia, non sepeliatur in loco sacro, et similia. Et contra, si detegatur aliquis per errorem excommunicatus, et ideò absolvatur, effectus ablutionis erit, ut pro ipso oretur, et sacrificetur, ejusque cadaver honorificè sepeliatur. Itaque excommunicatio, vel absolutio defunctorum est potiùs declaratio sententiæ, quæ ferenda fuisset si meritum eorum non latuisset, quàm nova aliqua pœna, quæ ad animas ipsas pertingat. Quod autem legitur in 2. lib. Dial. S. Gregor. c. 23. de sanctimonialibus à B. Benedicto excommunicatis, quæ de sepulcris exire videbantur, et de Ecclesia recedere, quando inter Missarum solemnia Diaconus clamabat, Qui non communicant, recedant: inter miracula referendum videtur. Voluit enim Deus eo signo demonstrare quanti faciendæ sunt admonitiones Sanctorum. Nam alioqui S. Benedictus non eas excommunicaverat, sed solùm excommunicationem minatus fuerat, ut S. Greg. ibidem dicit. Prætereà non eas excommunicavit post mortem, sed in vita (si tamen ea excommunicatio dicenda sit) neque eas propriè per sententiam posteà absolvit, sed per intercessionem mittendo oblationem, quæ pro eis Domino offerretur.

At, inquies, S. Greg. ibidem, ut ostendat, non esse mirum, si S. Benedictus potuit in carne mortali degens de spiritibus defunctorum judicare, allegavit illud Evangelicum, (*Matth.* XVI. 19.) *Quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis.* Respondeo, S. Greg. argumentum à simili ducere voluisse. Nam quemadmodum divinà potestate sibi collatà possunt Prælati, cùm sint homines in carne mortali degentes, judicare de rebus spiritualibus: ita potuit S. Benedictus in carne adhuc mortali degens, extraordinario privilegio sibi collato à Deo, ligatas tenere vel solvere animas earum, quibus dum viverent excommunicationis sententiam fuerat comminatus. Neque credibile est S. Greg. S. Leoni repugnare voluisse, qui in Epist. ad Rusticum, jam citata, disertis verbis docet, non posse ab Ecclesia solvi eos qui communione privati de hac vita recedunt, cùm jam sint in divino judicio constituti.

Tertia quæstio est, Quid significet illud, per modum suffragii, cùm

Pontifices dicunt, Indulgentias valere defunctis per modum suffragii. Non desunt, qui existiment Indulgentias prodesse defunctis per modum suffragii, qui prosunt eis suffragia, id est, Missæ preces, et alia pia opera, quæ Pontifex injungit, cùm Indulgentia tribuit. Sed hoc non est Indulgentias prodesse. Nam etiamsi Pontifex ea opera non injungeret, valerent illa suffragia ad refrigerium defunctorum. Itaque frustrà darentur Indulgentiæ defunctis, si nihil adderent præter valorem suffragiorum. Neque Pontifices dicerent, Indulgentias per modum suffragii, sed dicerent cum Hostiensi, Indulgentias non prodesse defunctis, ut Indulgentiæ, sed solà vi suffragiorum adjunctorum.

Alii existimarunt, Indulgentias defunctis prodesse per modum suffragii, quia tametsi ipsæ Indulgentiæ reverà prosint, tamen prosunt per suffragia viventibus imperata. Pontifex enim applicat satisfactiones Christi, et sanctorum ex thesauro tam viventibus, quàm defunctis; sed viventibus applicat per opera ipsis viventibus injuncta, defunctis verò per opera iisdem viventibus imperata, quæ opera, cùm fiant nomine defunctorum, suffragia quædam defunctorum dici possunt. Sed neque hæc sententia rationem idoneam reddit illorum verborum: neque enim hoc est Indulgentias prodesse per modum suffragii, sed est prodesse per ipsa suffragia.

Vera igitur sententia est, Indulgentias prodesse per modum suffragii, quia non prosunt per modum absolutionis juridicæ, sed per modum solutionis, quomodo prosunt suffragia, quæ vel publicè, vel privatim, pro defunctis fieri solent; sed cùm suffragia tribus modis defunctos juvent, per modum meriti de congruo, per modum impetrationis, et per modum satisfactionis: Indulgentiæ autem non sint nisi satisfactoriæ: intelligendum est Indulgentias dari defunctis per modum suffragii tantùm satisfactorii. Itaque quemadmodum cùm quis dat eleemosynam, vel jejunat, vel peregrinatur ad loca sancta pro defunctis, non absolvit defunctos à reatu pœnæ, sed offert Deo satisfactionem illam pro defunctis, ut Deus eam acceptans, liberet defunctos à debito pœnæ, quam luituri erant; sic Pontifex non absolvit animas defunctorum, sed offert Deo ex thesauro satisfactionum, quantum necesse est ad eas liberandas: et Deus acceptans alienam satisfactionem, communicatam animabus defunctorum, eas liberat à reatu illo pœnæ. Sed hoc interest, inter suffragia, et Indulgentias, quòd ut suffragia offerantur, non requiritur aliqua jurisdictio, sed ut indulgentiæ dentur requiritur jurisdictio, quia non potest thesaurum dispensare, nisi qui habet claves Ecclesiasticas. Prætereà qui offert suffragia, nescit an, id quod offert, sufficiat ad animam liberandam, vel solùm refrigerandam; at Pontifex potest offerre ex thesauro illo infinito quantum requiritur ad satisfaciendum integrè pro reatu cujuscunque pœnæ: et ideò dicitur dare Indulgentiam plenariam, atque animas liberare per modum suffragii; quia offert, quantum ad plenam satisfactionem satis est. Vide Cajet. tract. 16. de Indulg. q. 6. et Cordub. q. 15. de Indulgent.

Quarta quæstio difficillima omnium, ea est, Utrum ex justitia, sive certa lege, et ex conditione prosint Indulgentiæ defunctis, an solùm ex benignitate Dei, et ex congruo. Aliqui docent, Indulgentias ex condigno, sive ex justitia defunctis prodesse. Ita enim scribit Dominicus à Soto in 4. d. 21. q. 2. art. 3. quem sequitur Nav. de Jubilæo, not. 22. n. 20. Ratio eorum est, quoniam potest unus vivens pro alio vivente ex condigno satisfacere; igitur potest etiam vivens pro mortuo satisfacere ex condigno. Eadem enim est ratio utriusque satisfactionis, unio videlicet, quæ est inter membra ejusdem corporis Ecclesiæ, nam vivens pro vivente satisfacit ex condigno, quia sunt membra ejusdem corporis glutino fidei, et charitatis unita: at sunt etiam mortui, qui in Purgatorio degunt, membra ejusdem corporis glutino fidei, et charitatis unita. Quòd si privatorum suffragia ex condigno defunctis prosunt, qualenùs satisfactiones sunt, certè multò magis satisfactiones Christi et Sanctorum iisdem mortuis fidelibus à capite Ecclesiæ, id est, à Pontifice Maximo applicatæ proderunt ex condigno.

Alii contra sentiunt, Indulgentias, quæ defunctis dantur, nisi misericordià et benignitate Dei, ac per hoc ex congruo, non ex condigno

eis prodesse. Ita docet Cajet. Tract. 16. q. 5. quem sequuntur Petrus de Soto lect. 3. de Indulg. et Anton. Cordub. q. 15. de Indulg. Neque significare volunt hi auctores, dubium, aut incertum esse dogma Ecclesiasticum de Indulg. defunctorum, imò affirmant, certum esse, et indubitatum, quod indulgentiæ rectè dentur vel suscipiantur pro defunctis, quodque illis prodesse possint, et reipsà prosint, vel ad refrigerium, vel ad liberationem, sed quibus, quando, et quantùm divinæ pietati placuerit. Quomodo etiam pro mortuis rectè fundi preces, eisque prodesse fides Catholica docet, et tamen non ex condigno, sed ex congruo, non ex justitia sed ex misericordia nos impetrare confidimus quidquid à Domino petimus, ut vel ex ipsa forma precum intelligi potest.

Rationes hujus sententiæ sunt hæ. Prima, quoniam non videtur certum, posse viventes pro viventibus satisfacere ex condigno, quod erat fundamentum prioris opinionis. Contrarium enim docent Joan. Medinæ, c. de satisfaction. qu. 5. et Cord. q. 5. de Indulg. Unio enim fidei et charitatis, quâ colligantur inter se viva membra Ecclesiæ, facit quidem, ut possimus invicem adjuvare, et bona nostra communicare, et unus pro alio saltem ex congruo satisfacere; sed non videtur facere, ut teneatur Deus ex justitia acceptare unius satisfactionem pro altero, nisi ostendatur de hac re pactum vel promissio aliqua ipsius Dei, quamvis possit Deus, et soleat acceptare ex benignitate sua, et confirmatur à simili; nam in foro externo non tenetur Judex acceptare, ut unus flagelletur, vel ad triremes amandetur pro alio, etiamsi illi non solùm sint conjuncti, ut Christiani, sed etiam ut cives, vel ut consanguinei. Denique videtur esse proprium, solius Christi posse pro aliis ex condigno ut mereri, ita etiam satisfacere; quoniam est caput corporis Ecclesiæ, et dum pro nobis satisfecit, pro corpore suo satisfecit.

Secunda ratio, quoniam etiamsi certum esset, posse in præsenti vita unum pro alio ex condigno satisfacere: tamen non videtur esse eadem ratio de satisfactione pro defunctis; hic enim possumus solvere pœnas ejusdem generis, et nostro jejunio, vel eleemosynâ satisfacere pro alio, qui jejunii, vel eleemosynæ pœnam subiturus erat: at pœnæ, quibus jam addictæ sunt animæ in Purgatorio, sunt alterius generis, et ideò sicut non tenetur Judex remittere pœnam corporalem uni alicui reo propter muletam pecuniariam, quam alius offert, ita non videtur teneri Deum ex justitia admittere satisfactiones hujus vitæ pro remissione pœnarum Purgatorii ad quas animæ illæ jam sunt addictæ. Sed si id fiat, ut certò fieri credimus, ex benignitate Dei fieri credibile est.

Tertia ratio, quoniam ipsæ animæ, ut ex historiis gravium Auctorum colligimus, hoc ipsum declarasse videntur. Nam Petr. Damian. in Epist. 5. ad Dominicum, c. 4. scribit animam Benedicti Pont. Rom. in Purgatorio constitutam apparuisse, Deo permittente, cuidam, atque ab eo petiisse, ut suffragia pro ipsa fierent, et addidisse, se per ea suffragia liberandam, quando hoc miseratio divina decreverit. Petrus quoque Cluniacensis in 1. lib. de miraculis, c. 10. scribit animam defuncti apparuisse alicui, et postulatis suffragiis adjecisse, per ineffabilem misericordiam Dei se liberandam, si ei per suffragia subventum fuisset; et cap. 27. scribit, aliam animam similiter apparentem, et suffragia postulantem adjecisse, Conditoris mediante clementiâ se per ea suffragia liberandam. Quòd si suffragia nituntur pietate divinâ, et Indulgentiæ defunctis non dantur, nisi per modum suffragii: certè sequi videtur, ut etiam Indulgentiæ divinâ pietate defunctis prosint.

Ex his sententiis neutram reprobare audeo, videtur enim prior admodum pia, posterior verò valdè rationabilis.

Quinta quæstio est, Quid requiratur ad hoc, ut Indulgentiæ defunctis prosint. Et quidem certum est, Primùm auctoritatem requiri, eamque summam, id est, Apostolicæ Sedis. Non enim Episcopi, aliive Prælati summo Pontifici inferiores indulgentias defunctis concedere possunt, ut Navarr. docet de Jubilæo, notab. 22. num. 4. quoniam solus Christi Vicarius habet potestatem dispensandi thesaurum Ecclesiæ absolutè. Episcopi enim solùm possunt applicare subditis suis, secundùm mensuram sibi ab Apostolica Sede determinatam.

Secundò, certum est, requiri causam justam, ut S. Thom. docet in 4.

d. 45. qu. 2. art. 3. quæstiunc. 2. Non enim potest summus Pontifex pro arbitrio liberare animas à pœnis Purgatorii: neque sufficit pro causa, utilitas illarum animarum, vel gloria Dei, quæ redundaret ex animarum illarum liberatione. Nam si ista sufficerent, Christus ipse jam omnes animas liberasset. Itaque requiritur causa aliqua particularis pertinens ad honorem Dei, et Ecclesiæ utilitatem, sicut de Indulgentiis pro viventibus diximus, ita ut summus Pontifex arbitretur gratiorem esse Deo rem illam, cujus gratiâ Indulgentiæ conceduntur, quàm exsecutionem justitiæ, quæ exercetur in expiandis animabus Purgatorii.

Tertiò requiritur, ut qui pro defunctis Indulgentias suscipit, adimpleat opus injunctum: nam ut S. Th. loco notato, et alii Doctores scribunt Indulgentiæ primariò et directè non dantur, nisi viventibus, qui possunt opera injuncta perficere; defunctis autem dantur secundariò et indirectè, quatenùs viventes pro mortuis opera injuncta perficiunt. Ex quo etiam requiritur, ut qui opera illa perficit, sit in statu gratiæ, si opera ipsa id requirant, ut diximus suprà de opere viventibus injuncto. Nam si opus injunctum id non requirat, probabiliter dici potest prodesse defunctis Indulgentias, etiamsi is qui pro defunctis eas suscipit, non sit in statu gratiæ. Sed omninò tutius est, ut qui cupit mortuis Indulgentias obtinere, priùs det operam, ut ipse Indulgentiam à culpa per sacramentum confessionis obtineat.

Quartò requiritur ex sententia Cajet. tract. 16. q. 5. de Indulg. ut defunctus non solùm sit in statu gratiæ, et in Purgatorii locis degat, sed etiam, ut dum viveret, fuerit devotus clavium, Ecclesiæ mortuosque suffragiis juvare studuerit, et pro suis peccatis satisfacere non neglexerit. Ita enim intelligit Cajetan. verba illa S. August. lib. de cura pro mortuis, c. 1. et in Enchir. c. 109. suffragia non prodesse omnibus mortuis, sed illis tantùm qui in hac vita meruerunt, ut sibi prodesse possent. Sed hæc Cajet. sententia, ut est utilis, et pia, quia excitat viventes ad opera bona, ita videtur minùs vera, et ab omnibus passim refellitur. Nam S. August. locis notatis non excludit à suffragiis etiam particularibus ullas animas ex iis, quæ degunt in Purgatorio; sed solùm animas damnatas ad æternas pœnas inferorum. Dicit enim eas tantùm esse capaces suffragiorum, quæ dum viverent, id meruerunt, quia videlicet in gratia Dei, et charitate perseverarunt. Charitas enim est fundamentum communionis inter Ecclesiæ membra, et non aliqua peculiaris devotio ad Ecclesiæ claves, vel aliquid hujusmodi.

Postrema quæstio est, An indulgentiæ prosint illis, pro quibus in particulari suscipiuntur, an omnibus in communi? Præpositivus quidam antiquus Auctor, ut refert S. Th. in 4. d. 45. q. 2. art. 4. docebat, suffragia Ecclesiæ semper prodesse defunctis fidelibus in communi, et illis magis, qui liberationi propinquiores erant: atque ad hoc persuadendum adducebat similitudinem lucernæ, quæ si accendatur in aula Regis pro ipso Rege, non tamen lucet soli Regi, sed omnibus qui adsunt, et illis magis, qui habent oculos meliores. Adducebat quoque similitudinem ex libro aliquo, qui fortè legatur ad mensam Regis: ex quo non minorem fructum percipiunt alii qui adsunt, quàm Rex ipse, et nonnulli fortè longè majorem, quamvis propriè Regi liber legatur. Quod Præpositivus de suffragiis dixit, idem sine dubio de Indulgentiis intellexit, quæ juvant defunctos per modum suffragii.

Sed responsio communis Doctorum est, tam suffragia, quàm Indulgentias prodesse omnibus defunctis, quoad gaudium quoddam accidentarium; charitas enim facit omnia communia in hoc sensu, quòd omnes, qui sunt prædili charitate, gaudent de bonis aliorum, ac si propria essent: sed quoad satisfactionem, et liberationem à pœnis, suffragia Ecclesiæ communia prodesse omnibus in communi, sed suffragia particularia, et Indulgentias, quæ pro certis animabus suscipiuntur, non prodesse nisi illis, quibus ex intentione viventium applicantur.

Atque hoc esse verissimum, perspicuum est; Primò, ex ipsis Pontificiis concessionibus. Nam Paschalis I. Indulgentiam ita concessit, ut qui pro anima patris, vel alterius particularis personæ defunctæ tot Missas celebraverit in capella S. Zenonis, quæ est in Ecclesia S. Praxedis, animas illas de Purgatorii pœnis eripiat. Item Alexander VI. Clemens VII. aliique Pontifices in Constitutionibus de indictione Jubilæi, disertis verbis dicunt,

Nonnulli Theologi, quorum ea de re sententia non videtur satis habere ponderis et auctoritatis, existimant Indulgentias in gratiam mortuorum concessas, nihil aliud esse quàm indulgentias vivis eo fine concessas, ut ipsi specialiùs orent pro mortuis : rati nimirùm hanc esse Ecclesiæ mentem, ut puriores effecti et Deo gratiores per Indulgentiam, dehinc efficaciores et ferventiores preces fundere possimus pro mortuis.

I. Cur non conceduntur Indulgentiæ mortuis per modum absolutionis ?

R. Quia absolutio est actus jurisdictionis, et nullam habet Ecclesia jurisdictionem in mortuos.

I. Dic, amabo, quid sentias de Altaribus Privilegiariis : Certumne est liberari animam ab igne Purgatorio quoties in uno ex illis Altaribus sacrificium offertur pro mortuis ?

R. Nihil ex Scriptura vel Traditione erui potest quod faveat huic de Altaribus Privilegiariis opinioni. Neque illud est Altarium hujusmodi privilegium.

In eo positum est, quòd dum Missa celebratur in illis Altaribus, applicat Ecclesia, specialiùs orando pro mortuis, merita Christi et Sanctorum. Licitum est offerre in illis Altaribus ornatu funebri sacrificium pro defunctis, iis etiam diebus quibus non licet idem in cæteris Altaribus ; adeoque tunc oratur specialiùs pro defunctis, quàm si Missa de die occurrente celebraretur, in qua mentio de defunctis non fieret nisi in Canone. Et hæc quidem ratio est, cur juxta usum Cancellariæ Romanæ, Altaria Privilegiaria non concedantur nisi illis Ecclesiis in quibus septem jam sunt ad minus Altaria, nec licet uti quotidiè privilegio hujusmodi Altarium, sed semel vel bis ad summum qualibet hebdomadà. Ea nimirùm Ecclesiæ mens est, ut non discedatur frequentiùs ab illa Ecclesiæ lege, quà sapienter sancitum est, ut, quantùm fieri potest, accommodetur officium Missæ ad officium Canonicum quod eo die celebratur.

I. Prosuntne eodem modo suffragia Ecclesiæ omnibus defunctis pro quibus fiunt ?

R. Nihil ea de re certi statui potest. Probabiliùs tamen dixeris, quemadmodum inæqualia sunt merita mortuo-

Indulgentias illas anni Jubilæi extendi per modum suffragii ad animas patris, vel matris, vel alterius personæ particularis, pro quibus suscipientur. Secundò, quoniam hic est sensus totius Ecclesiæ, omniumque fidelium. Tertiò, quoniam S. August. in lib. de cura pro mortuis, cap. 4. scribit, Ecclesiam suffragia quædam communia transmittere ad animas defunctorum, ut qui desunt particularia à consanguineis, vel amicis, non desint aliqua à communi Matre, quæ est Ecclesia. Quartò denique, quoniam nulla ratio est, cur satisfactiones uni alicui animæ per intentionem satisfacientis applicatæ, aut illi non prosint magis, quàm aliis, aut aliis ullo modo prosint. Neque similitudines illæ Præpositivi aliquid efficiunt, non enim similes sunt Indulgentiæ, vel suffragia particularia lucernæ, vel lectioni, sed potiùs summæ pecuniariæ quæ ita datur in liberationem alicujus debitoris, ab ære alieno, ut per eam non possint debitores alii liberari.

rum qui in Purgatorio detinentur, ita inæqualiter ipsis, unicuique pro ratione meritorum, prodesse suffragia Ecclesiæ. Quantùm singulis illa prosint Deo miserante novit Deus. (B)

§. 22. De Absolutione à Peccatis, et de Potestate eam concedendi Sacerdotibus traditâ.

I. Cùm Christianus quispiam peccata sua cum intimo doloris sensu confessus est; et satisfactionem injunctam vel jam implevit, vel impleturum se pollicitus est; quid jam superest, ut per sacramentum Pœnitentiæ Deo reconcilietur?

R. Nihil jam superest, nisi ut Absolutio sacramentalis à Sacerdote illi concedatur.

I. Quid est Absolutio sacramentalis?

R. Absolutio est judicialis sententia, quâ Sacerdos, Christi vices gerens in hac parte, remittit peccata Christianis verè pœnitentibus, qui fecerunt quantùm in se est, quod Christus faciendum præcepit ad remissionem peccatorum obtinendam.

I. Quâ ratione constat remitti verè peccata per Sacerdotes?

R. Id constat ex Scriptura et Traditione.

Ex Scriptura quidem: nam Apostolis et eorum in hoc ministerio successoribus Christus ait (*Matth.* XVIII. 28.): *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt alligata et in cœlo, et quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo:* Et, (*Joan.* XX. 23.) *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt.*

Ex Traditione verò: cujus argumenta jam suprà protulimus (*Hujusce Cap.* §. 2.): quibus accessit Ecclesiæ judicium. Hæc enim jam à tertio seculo Novatianos pro hæreticis habuit, eò quòd contenderent non posse per Ecclesiam remitti peccata Baptizatorum. (A)

(B) S. AUG. *Epist.* 164. *aliàs* 99. *ad Evod. Quædam eam in rem principia videtur in medium adducere, è quibus tamen nihil admodum certi elicitur; Cap.* 2. *siquidem n.* 5. *hæc habet.* Hoc scilicet quod scriptum est, solutis doloribus inferni, non in omnibus, sed in quibusdam accipi potest, quos ille dignos istâ liberatione judicabat: ut neque frustrà illùc descendisse existimetur, nulli eorum profuturus qui ibi tenebantur inclusi, nec tamen sit consequens, ut quod divina quibusdam misericordia justitiaque concessit, omnibus concessum esse putandum sit.

Qui Ecclesiæ Theologorumque circa Indulgentias doctrinam nosse penitiùs cupit, adeat CAJETANUM, BELLARMINUM *et* MALDONATUM *Societatis Jesu Theologos*, DD. WALEMBURGENS. *Controversiarum libros;* NATALEM ALEXANDRUM *Dominicanum;* JUENINUM *Congreg. Orat. D. J. Presbyterum aliosque Theologos, qui de Indulgentiis scripserunt. Legat insuper duos Catechismos Gallicè scriptos* de Indulgentiis et Jubilæo, *quorum alter prostat Parisiis apud Eliam Josset, alter Cabilloni apud Senense.*

(A) S. CYPRIAN. *Epist.* 55. *aliàs* 52. *ad Anton. pag.* 250. Neminem putamus à fructu satisfactionis et spe pacis arcendum; cùm sciamus juxta Scripturarum divinarum fidem, auctore et hortatore ipso Deo, et ad agendam pœnitentiam peccatores redigi, et veniam atque indulgentiam pœnitentibus non denegari. Atque ô frustrandæ fraternitatis irrisio! ô miserorum lamentantium caduca deceptio! ô hæreticæ institutionis inef-

1. Quis potest peccata remittere nisi solus Deus ? (*Luc.* V. 21.) **Non ergo id Sacerdotes possunt.**

ficax et vana traditio ! Hortari ad satisfactionis pœnitentiam, et subtrahere de satisfactione medicinam ; dicere fratribus nostris, Plange et lacrymas funde, et diebus ac noctibus ingemisce, et pro abluendo et purgando delicto tuo largiter et frequenter operare, sed extra Ecclesiam post omnia ista morieris : quæcunque ad pacem pertinent, facies, sed nullam pacem, quam quæris, accipies. Quis non statim pereat ? Quis non ipsâ desperatione deficiat ? Quis non animum suum à proposito lamentationis avertat ? ..... Præcludere est atque abscindere iter doloris ac pœnitendi viam ; ut cùm in Scripturis Dominus Deus revertentibus ad se et pœnitentibus blandiatur, nostrâ duritiâ et crudelitate dum fructus pœnitentiæ intercipitur, pœnitentia ipsa tollatur. Quòd si invenimus à pœnitentia agenda neminem debere prohiberi, et deprecantibus atque exorantibus Domini misericordiam, secundùm quòd ille misericors et pius est, per Sacerdotes ejus pacem posse concedi ; admittendus est plangentium gemitus et pœnitentiæ fructus dolentibus non negandus. Et quia apud inferos confessio non est (*Psal.* VI. 6.), nec exomologesis illic fieri potest : qui ex toto corde pœnituerint, et rogaverint, in Ecclesiam debent interim suscipi, et in ipsa Domino reservari, qui ad Ecclesiam venturus, de illis utique, quos in ea intùs invenerit, judicabit.

Epist. 60. *aliàs* 57. *ad Cornel. pag.* 270. Quot illic lapsi, gloriosâ confessione sunt restituti ? Steterunt fortes, et ipso dolore pœnitentiæ facti ad prælium fortiores ; ut appareat nuper subitatos esse, et novæ atque insuetæ rei pavore trepidasse ; rediisse ad se postmodum, fidem veram, et vires suas de Dei timore collectas, ad omnem patientiam constanter et firmiter roborasse, nec jam stare ad criminis veniam, sed ad passionis coronam. Quid ad hæc Novatianus ? Frater charissime, utrumne jam deponit errorem ? ... in perniciem fratrum linguâ suâ perstrepens, et facundiæ venenatæ jacula contorquens, magis durus secularis philosophiæ pravitate, quàm philosophiæ Dominicæ lenitate pacificus : desertor Ecclesiæ, misericordiæ hostis, interfector pœnitentiæ, doctor superbiæ, veritatis corruptor, perditor charitatis ?

Epist. 68. *aliàs* 67. *ad Stephan. pag.* 291.... Marcianus Arelate consistens Novatiano sese conjunxerit, et à Catholicæ Ecclesiæ unitate atque à corporis nostri et Sacerdotii consensione discesserit, tenens hæreticæ præsumptionis durissimam pravitatem ; ut servis Dei pœnitentibus et dolentibus, et Ecclesiam lacrymis, gemitu, et dolore pulsantibus, divinæ pietatis, et lenitatis paternæ solatia et subsidia claudantur, nec ad fovenda vulnera admittantur vulnerati, sed sine spe pacis et communicationis relicti ad laporum rapinam et prædam diaboli projiciantur.

Euseb. *Histor. Eccles. lib.* 6. *cap.* 43. Etenim Novatus Ecclesiæ Romanæ Presbyter, arrogantiâ adversùs eos elatus : quasi nulla spes salutis ipsis posthac superesset, tamesi omnia explerent quæ ad sinceram conversionem puramque confessionem pertinent, propriæ cujusdam sectæ eorum qui tumore mentis elati seipsos catharos cognominarunt, auctor exstitit. Ob quam rem cùm Romæ congregata esset Synodus, in qua sexaginta quidem Episcopi, Presbyteri verò ac Diaconi multò plures convenerunt : Cùmque in provinciis Antistites quid agendum esset seorsùm consultassent, hujusmodi Decretum cunctis promulgatum est : Novatum quidem et eos qui unà cum ipso sese insolentiùs extulerant, et quicunque inhumanissimæ et à fraterna charitate alienæ ejus opinioni consentire præsumpserant, alienos ab Ecclesia habendos esse : fratres verò qui in calamitatem inciderant, pœnitentiæ remediis curandos esse et confovendos.... Aliæ prætereà latino sermone conscriptæ exstant Epistolæ Cypriani et aliorum Antistitum qui cum ipso in Africa congregati sunt. Ex quibus colligitur, ipsis etiam placuisse ut subveniretur iis qui in tentationem inciderant : Utque auctor nefariæ opinionis simul cum iis qui ad partes ipsius desciverant, ac Ecclesiæ Catholicæ consortio meritò abdicaretur.

Lege quæ de Novatianis diximus suprà hujusce Operis Parte 1. *Sect.* 2. *Cap.* 3. §. 10. *cùm* de hæresibus tertii Ecclesiæ seculi *verba faceremus.*

R. Solus Deus potest peccata remittere proprio nomine (B): sed Christi et Dei nomine id possunt et homines quibus hanc potestatem Deus facere voluit. Fecisse autem Sacerdotibus constat ex suprà dictis. (*Part.* 1. *Sect.* 2. *Cap.* 3. §. 13.)

I. Si non suo, sed solius Christi nomine remittunt peccata Sacerdotes : ergo solus Christus peccata remittit, Sacerdotes autem declarant solùm factam fuisse per Christum remissionem ?

R. Quamvis absolutio Sacerdotis, alieni sit beneficii dispensatio ; tamen non est solùm nudum ministerium pronuntiandi et declarandi remissa esse peccata ; sed est actus judicialis, quo verè peccata dimittuntur : neque enim Christus ait, Quorum declaraveritis remissa esse, remittuntur eis : sed *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* (*Joan.* XX. 23.)

I. Exstatne in veteri lege vestigium aliquod hujus tantæ potestatis concessæ novæ legis Sacerdotibus ?

R. Exstat. (*Levit.* XIII. *et* XIV. *Matth.* VIII. 4.) Legimus enim in libro Levitici hoc præceptum fuisse leprosis, ut sisterent se coram Sacerdotibus. Sacerdotum autem officium fuisse dijudicare quo genere lepræ affectus esset leprosus, discernere inter lepram et lepram : à Judæorum consortio expellere si qui leprâ infecti essent, probare eos quorum esset incerta et dubia curatio, declarare si qui essent curati à lepra, eosque ad societatem et consortium civium revocare. (C) In eo facilè cernitur typus Sacerdotis novæ legis.

(B) TERTULL. *de Pœnit. cap.* 10. Cùm te ad fratrum genua protendis, Christum contrectas, Christum exoras. Æquè illi cùm super te lacrymis agunt, Christus patitur, Christus Patrem deprecatur. Facilè impetratur semper, quod filius postulat.

S. CYPRIAN. *De lapsis, pag.* 92. Nemo se fallat, nemo se decipiat. Solus Dominus misereri potest. Veniam peccatis, quæ in ipsum commissa sunt solus potest ille largiri, qui peccata nostra portavit, qui pro nobis doluit, quem Deus tradidit pro peccatis nostris. Homo Deo esse non potest major : nec remittere aut donare indulgentiâ suâ servus potest, quod in Dominum delicto graviore commissum est ; ne adhuc lapso et hoc accedat ad crimen, si nesciat esse prædictum : *maledictus homo qui spem habet in homine.* (*Jer.* XVII. 5.) Dominus orandus est, Dominus nostrâ satisfactione placandus est ; qui negantem negare se dixit, qui omne judicium de Patre solus accepit. (*Matth.* X. 33. *Joan.* V. 22.)

S. AMBROS. *Lib.* 5. *in Lucam, n.* 13. *Quis* enim *potest peccata dimittere nisi solus Deus*, (*Luc.* V. 21.) qui per eos quoque dimittit, quibus dimittendi tribuit potestatem.

(C) LEVIT. XIII. 2. Homo in cujus cute et carne ortus fuerit diversus color sive pustula, aut quasi lucens quippiam, id est, plaga lepræ, adducetur ad Aaron Sacerdotem, vel ad unum quemlibet filiorum ejus. 3. Qui cùm viderit lepram in cute, et pilos in album mutatos colorem, ipsamque speciem lepræ humiliorem cute et carne reliquâ ; plaga lepræ est, et ad arbitrium ejus separabitur. 4. Sin autem lucens candor fuerit in cute, nec humilior carne reliquâ, et pili coloris pristini, recludet eum Sacerdos septem diebus. 5. et considerabit die septimo : et si quidem lepra ultrà non creverit, nec transierit in cute priores terminos, rursùm recludet eum septem diebus aliis. 6. Et die septimo contemplabitur : si obscurior fuerit lepra, et non creverit in cute, mundabit eum, quia

scabies est : lavabitque homo vestimenta sua , et mundus erit. 7. Quòd si postquam à Sacerdote visus est , et redditus munditiæ , iterùm lepra creverit ; adducetur ad eum , 8. et immunditiæ condemnabitur. 9. Plaga lepræ si fuerit in homine , adducetur ad Sacerdotem , 10. et videbit eum : cumque color albus in cute fuerit , et capillorum mutaverit aspectum , ipsa quoque caro viva apparuerit : 11. Lepra vetustissima judicabitur , atque inolita cuti. Contaminabit itaque eum Sacerdos , et non recludet , quia perspicuæ immunditiæ est. 12. Sin autem efloruerit discurrens lepra in cute , et operuerit omnem cutem à capite usque ad pedes , quidquid sub aspectum oculorum cadit , 13. considerabit eum Sacerdos , et teneri leprâ mundissimâ judicabit : eò quòd omnis in candorem versa sit , et idcircò homo mundus erit. 14. Quando verò caro vivens in eo apparuerit , tunc Sacerdotis judicio polluetur , et inter immundos reputabitur... 44. Quicunque ergò maculatus fuerit leprâ , et separatus est ad arbitrium Sacerdotis , 45. habebit vestimenta dissuta , caput nudum , os veste contectum , contaminatum ac sordidum se clamabit. 46. Omni tempore quo leprosus est et immundus , solus habitabit extra castra.

XIV. 1. Locutusque est Dominus ad Moysen , dicens : 2. Hic est ritus leprosi , quando mundandus est : adducetur ad Sacerdotem : 3. Qui egressus de castris , cùm invenerit lepram esse mundatam , 4. præcipiet ei qui purificatur , ut offerat duos passeres vivos pro se , quibus vesci licitum est , et lignum cedrinum , vermiculumque et hyssopum. 5. Et unum ex passeribus immolari jubebit in vase fictili super aquas viventes : 6. alium autem vivum cum ligno cedrino , et cocco et hyssopo , tinget in sanguine passeris immolati , 7. quo asperget illum , qui mundandus est , septies , ut jure purgetur : et dimittet passerem vivum , ut in agrum avolet. 8. Cumque laverit homo vestimenta sua , radet omnes pilos corporis , et lavabitur aquâ : purificatusque ingredietur castra , ita duntaxat ut maneat extra tabernaculum suum septem diebus. 9. et die septimo radet capillos capitis , barbamque et supercilia , ac totius corporis pilos. Et lotis rursùm vestibus et corpore , 10. die octavo assumet duos agnos immaculatos , et ovem anniculam absque macula , et tres decimas similæ in sacrificium , quæ conspersa sit oleo , et seorsùm olei sextarium. 11. Cumque Sacerdos purificans hominem , statuerit eum , et hæc omnia coram Domino in ostio tabernaculi testimonii , 12. tollet agnum , et offeret eum pro delicto , oleique sextarium : et oblatis ante Dominum omnibus , 13. immolabit agnum , ubi solet immolari hostia pro peccato , et holocaustum , id est , in loco sancto. Sicut enim pro peccato , ita et pro delicto ad Sacerdotem pertinet hostia : Sancta Sanctorum est. 14. Assumensque Sacerdos de sanguine hostiæ , quæ immolata est pro delicto , ponet super extremum auriculæ dextræ ejus qui mundatur , et super pollices manûs dextræ et pedis , 15. et olei sextario mittet in manum suam sinistram , 16. tingetque digitum dextrum in eo , et asperget coram Domino septies. 17. Quod autem reliquum est olei in lævа manu , fundet super extremum auriculæ dextræ ejus qui mundatur , et super pollices manûs ac pedis dextri , et super sanguinem qui effusus est pro delicto , 18. et super caput ejus. 19. Rogabitque pro eo coram Domino , et faciet sacrificium pro peccato. Tunc immolabit holocaustum , 20. et ponet illud in altari cum libamentis suis , et homo ritè mundabitur. 21. Quòd si pauper est , et non potest manus ejus invenire quæ dicta sunt , pro delicto assumet agnum ad oblationem , roget pro eo Sacerdos , decimamque partem similæ conspersæ oleo in sacrificium , et olei sextarium , 22. duosque turtures sive duos pullos columbæ , quorum unus sit pro peccato , et alter in holocaustum : 23. offeretque ea die octavo purificationis suæ Sacerdoti , ad ostium tabernaculi testimonii coram Domino. 24. Qui suscipiens agnum pro delicto et sextarium olei , levabit simul : 25. immolatoque agno , de sanguine ejus ponet super extremum auriculæ dextræ illius qui mundatur , et super pollices manûs ejus ac pedis dextri : 26. olei verò partem mittet in manum suam sinistram , 27. in quo tingens digitum dextræ manûs asperget septies coram Domino : 28. tangetque extremum dextræ auriculæ illius qui mundatur , et pollices manûs ac pedis dextri , in loco sanguinis qui effusus est pro delicto : 29. reliquum autem partem olei , quæ est in sinistra manu , mittet super caput purificati , ut placet pro

Lepra, peccatorum typus fuit. Debent peccatores ostendere se Sacerdotibus, ipsisque lepram suam humili confessione detegere; Sacerdotum est discernere inter lepram et lepram, varia variis peccatorum generibus remedia præscribere, segregare peccatores à communione corporis Christi, ipsos probare, absolutionemque vel negare, vel differre, vel impertiri.

I. Ex eo typo sequi videtur in eo positum esse novæ legis ministerium, ut declarent Sacerdotes peccata esse remissa, non peccata remittant: quemadmodum in veteri lege Sacerdotes non lepram curabant, sed declarabant solùm essetne curata necne?

R. In eo Sacerdotium novæ legis veteri supereminet, ex mente S. Chrysostomi, quòd illi declarabant solùm lepram corpoream esse mundatam, nostri lepram spiritualem verè curant; verè peccata remittunt. (D)

§. 23. De Absolutionis dilatione.

I. Debentne Sacerdotes pro arbitrio nullâque certâ regulâ usi, absolutionem vel concedere, vel negare pœnitentibus?

R. Suæ sunt Sacerdotibus regulæ constitutæ, à quibus discedere minimè licet in administratione sacramenti pœnitentiæ. Si secùs faxint, peccant, nec ratum erit in cœlo quod ab iis factum fuerit in terris. *Tunc solùm rata est absolutio præsidentis, cùm summi arbitrium sequitur Judicis*, inquit S. Gregorius. (*Homil.* 26. *in Evang.*) (A)

eo Dominum: 30. et turturem sive pullum columbæ offeret, 31. unum pro delicto, et alterum in holocaustum cum libamentis suis. 32. Hoc est sacrificium leprosi, qui habere non potest omnia in emundationem sui.

(D) S. Joann. Chrysost. *Lib.* 3. *de Sacerdot. cap.* 6. Corporis lepram purgare seu ut veriùs dicam, haud purgare quidem, sed purgatos probare, Judæorum Sacerdotibus solis licebat.... At verò nostris Sacerdotibus non corporis lepram, verùm animæ sordes, non dico purgatas probare, sed purgare, prorsùs concessum est.

(A) S. Gregor. *Homil.* 26. *in Evang.* Ligandi atque solvendi auctoritatem suscipiunt, qui gradum regiminis sortiuntur. Grandis honor, sed grave pondus istius est honoris. Durum quippe est, ut qui nescit tenere moderamina vitæ suæ, judex vitæ fiat alienæ.... ac sæpè agitur, ut vel damnet immeritos, vel alios ipse ligatus salvet. Sæpè in solvendis ac ligandis subditis suæ voluntatis motus, non autem causarum merita sequitur. Unde fit, ut ipsa hac ligandi et solvendi potestate se privet, qui hanc pro suis voluntatibus, et non pro subjectorum moribus exercet. Sæpè fit, ut erga quemlibet proximum odio vel gratiâ moveatur pastor: judicare autem de subditis dignè nequeunt, qui in subditorum causis sua vel odia vel gratiam sequuntur. Unde rectè per prophetam dicitur: *mortificabant animas quæ non moriuntur; et vivificabant animas quæ non vivunt.* (*Ezech.* xiii. 19.) Non morientem quippe mortificat, qui justum damnat. Et non victurum vivificare nititur, qui reum à supplicio absolvere conatur. Causæ ergo pensandæ sunt, et tunc ligandi atque solvendi potestas exercenda. Videndum est quæ culpa præcessit, aut quæ sit pœnitentia secuta post culpam: ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos Pastoris sententia absolvat. Tunc enim vera est absolutio Præsidentis, cùm æterni arbitrium sequitur Judicis.

S. Cyprian. *De lapsis*, *pag.* 92. Mandant aliquid Martyres fieri? Sed si scripta non sint in Domini lege quæ mandant, antè est ut sciamus illos de Deo impetrasse quod postulant; tunc facere quod mandant: neque

enim statim videri potest de divina majestate concessum, quod fuerit humanâ pollicitatione promissum.

Epist. 30. *aliàs* 31. *Cleri Romani ad Cyprian. pag.* 210. Absit enim ab Ecclesia Romana vigorem suum tam profanâ facilitate dimittere, et nervos severitatis eversâ fidei majestate dissolvere; ut cùm adhuc non tantùm jaceant, sed et cadant eversorum fratrum ruinæ, properata nimis remedia communicationum utique non præsentur, et nova per misericordiam falsam vulnera veteribus transgressionis vulneribus imprimantur, ut miseris ad eversionem majorem eripiatur, et pœnitentia. Ubi enim poterit indulgentiæ medicina procedere, si etiam ipse medicus interceptâ pœnitentiâ indulget periculis? Si tantummodò operit vulnus, nec sinit necessaria temporis remedia obducere cicatricem? Hoc non est curare, sed, si dicere verum volumus, occidere.

Pag. 211. Non sit minor medicina, quàm vulnus est: non sint minora remedia, quàm funera.... Maximè enim illis congruit verecundia, quorum in delictis damnatur mens inverecunda. Pulsent sanè fores, sed non utique confringant. Adeant ad limen Ecclesiæ, sed non utique transiliant. Castrorum cœlestium excubent portis, sed armati modestiâ, quâ intelligant se desertores fuisse. Resumant precum suarum tubam, sed quâ non bellicum clangant. Arment se quidem modestiæ telis, et quem negando mortis metu fidei dimiserant clypeum, resumant; sed ut contra hostem diabolum vel nunc armati, non contra Ecclesiam, quæ illorum dolet casus, armatos esse se credant. Multùm illis proficiet petitio modesta, postulatio verecunda, humilitas necessaria, patientia non otiosa. Mittant legatos pro suis doloribus lacrymas; advocatione fungantur ex intimo pectore prolati gemitus, dolorem probantes commissi criminis et pudorem. Imò si dedecoris admissi magnitudinem perhorrescunt, si pectoris et conscientiæ suæ lethalem plagam et sinuosi vulneris altos recessus verè medicâ manu tractant, erubescant et petere, nisi quia majoris est rursùm periculi et pudoris, auxilium pacis non petiisse. Sed hoc totum in sacramento, sed in ipsius postulationis lege temporis facto temperamento, sed postulatione demissâ, sed prece subditâ; quoniam et qui petitur flecti debet, non incitari; et sicut respici debet divina clementia; sic respici debet et divina censura; et sicut scriptum est (*Matth.* XVIII. 32.), *Donavi tibi omne debitum, quia me rogasti;* sic scriptum est (*Matth.* X. 33. *Luc.* XII. 9.), *Qui me negaverit coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo et coram Angelis ejus.* Deus enim ut est indulgens, ita est præceptorum suorum exactor, et quidem diligens; et sicut ad convivium vocat, sic habitum nuptiarum non habentem *ligatis manibus et pedibus* (*Matth.* XXII. 13.) extra Sanctorum cœtum foras jactat. Paravit cœlum, sed paravit et tartarum. Paravit refrigeria, sed paravit etiam æterna supplicia. Paravit inaccessibilem lucem, sed paravit etiam perpetuæ noctis vastam æternamque caliginem.

Pag. 212. Eorum autem quorùm vitæ suæ finem urgens exitus dilationem non potest ferre, actâ pœnitentiâ professâ frequenter suorum detestatione factorum, si lacrymis, si gemitibus, si fletibus dolentis ac verè pœnitentis animi signa prodiderint, cùm spes vivendi secundùm hominem nulla substiterit; ita demùm cautè et sollicitè subveniri, Deo ipso sciente quid de talibus faciat, et qualiter judicii sui examinet pondera; nobis tamen anxiè curantibus, ut nec pronam nostram improbi homines laudent facilitatem, nec verè pœnitentes accusent nostram quasi duram crudelitatem.

Epist. 30. *aliàs* 30. *Cleri Romani ad Cyprian.* Quòd si aliundè prærogativam communionis habere se credunt, cum Evangelio illam conferre conentur, ut ita demùm firmiter valeat, si ab Evangelica lege non dissonat. Cæterùm quo pacto Evangelicam poterit præstare communicationem, quod contra Evangelicam decretum videtur veritatem? Nam cùm omnis prærogativa ita demùm ad indulgentiæ privilegium spectet: si ab eo cui sociari quærit non discrepet; qui à Deo, cui sociari quærit, discrepat, necesse est indulgentiam et privilegium societatis amittat.

S. JOANN. CHRYSOST. *Homil.* 14. *in Epist.* 2. *ad Corinth. in morali.* Liga cum qui deliquit, donec placet Deum: ne relinquas solutum, ne magis divinâ irâ implicetur. Nam si ego ligavero, Deus jam non ligat: si autem

ego non ligavero, infracta manent ejus vincula. Nam *si nos ipsos judicaverimus, non judicamur.* (1. *Cor.* XI. 31.) Neque putaveris hoc esse crudelitatis vel inhumanitatis, sed summæ mansuetudinis et optimæ curationis.

S. AMBROS. *in Apologia David. cap.* 9. *n.* 47. Ille qui errorem suum non agnoscit, insanit, furit, desipit : qui autem agnoscit, utique resipiscit, non respuit remedia sanitatis ; sed se ipse restringit, pœnitet eum culpæ, de ipsa semper cogitat, et cogitando se ipse condemnat. *Justus enim in primordio sermonis accusator est sui.* (*Prov.* XVIII. 17.) Qui se accusat, justus est, sobrius est, sanus est. Justus favere sibi nescit, rigorem judicii etiam circa se non novit inflectere, recordationem lapsûs proprii perhorrescit, et commissum erubescit errorem, omnem ejus memoriam pavet, meluit, reformidat : gravem sibi se judicat, se ipsum arbitrum refugit, nec se sibi audet committere ; quòd nullum putat sibi esse graviorem, quàm eum quem latere non possit, fallere non queat, fugere ac vitare non reperiat ; nisi ut se sibi abneget, et Domini crucem tollat. (*Matth.* XVI. 24. *Luc.* XII. 23.)

Serm. 4. *in Psal.* CXVIII. *n.* 23. Meritoque quia vulnus grande, ac vetus est, et diù serpens, perfectioris medicinæ remedia deposcit, obsecrans ut Domini legitimâ miseratione curetur. Citò enim refricatur vulnus, quod sanatum medicinæ lege non fuerit ; immò etiam seriorem curatio sentit profectum. Ideoque si virus in interiora proserpit, medicamenta foris apposita non sentit. Exigit ergo medicinæ ratio, ut aut sectione, aut adustione curetur. Nisi enim putrefacta recidantur, aut humor inutilis decoquatur, frustrà medicinæ manus adhibentur ad vulnera. Ideoque bonus medicus hujusmodi ægrum legitimè dicit esse curandum : ut possit medica proficere. Lege ergo miseretur, qui cum justitia sapientiaque miseretur, ut ea dimittat quæ scit jure posse dimitti ; ne cùm alterius miseretur, se ipsum legi faciat obnoxium. Agag postquam miseratione donatus est, fecit peccare Saul. (1. *Reg.* XV. 9.) Peccavit enim in ipsa misericordia, et ideò peccavit post misericordiam.

N. 24. Consideremus etiam, ne et ipsum deteriorem faciamus, cujus miseremur injustè. Plerumque enim non coërcere delinquentes majoris auctoritatis est, quàm si ulciscaris. Traduntur enim in passiones ignominiæ (*Rom.* I. 26.), quicunque aliquid inhonestum commiserunt, nullumque culpæ pretium ferunt.

Serm. 8. *in Psal.* CXVIII. *n.* 6. In ipsa Ecclesia, ubi maximè misereri decet, teneri quàm maximè debet forma justitiæ ; ne quis à communionis consortio abstentus, brevi lacrymulâ, atque ad tempus paratâ, vel etiam uberioribus fletibus communionem quam plurimis debet postulare temporibus, facilitate Sacerdotis extorqueat. Nonne cùm uni indulget indigno, plurimos facit ad prolapsionis contagium provocari ? Facilitas enim veniæ incentivum tribuit delinquendi. Hoc eò dictum est, ut sciamus secundùm verbum Dei, secundùm rationem, dispensandam esse misericordiam debitoribus. Medicus ipse si serpentis interiùs inveniat vulneris cicatricem, cùm debeat resecare ulceris vitium, ne latiùs serpat ; tamen à secandi urendique proposito lacrymis inflexus ægroti, medicamentis tegat quod ferro aperiendum fuit : nonne ista inutilis misericordia est, si propter brevem incisionis vel exustionis dolorem corpus omne tabescat, vitæ usus intercat ? Rectè igitur et Sacerdos vulnus grave, ne latiùs serpat, à toto corpore Ecclesiæ quasi bonus medicus debet abscindere, et prodere virus criminis quod latebat, non fovere ; ne dum unum excludendum non putat, plures faciat dignos quos excludat ab Ecclesia.

Lib. 2. *de Pœnit. cap.* 9. *n.* 87. Nonnulli ideò poscunt pœnitentiam, ut statim sibi reddi communionem velint. Hi non tam se solvere cupiunt, quàm Sacerdotem ligare ; suam enim conscientiam culpâ non exuunt, et Sacerdotis induunt, cui præceptum est : *nolite sanctum dare canibus, neque miseritis margaritas vestras ante porcos* (*Matth.* VII. 6.), hoc est, immundis impuritatibus sacræ communionis non imperlicenda consortia.

S. HIERON. *Lib.* 3. *in cap.* 16. *Matth. Et dabo tibi claves Regni cœlorum. Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum in cœlis : et quodcunque solveris super terram, erit solutum in cœlis.* (*Matth.* XVI. 19.) Istum

I. Quas leges sequi teneantur Sacerdotes in concedenda vel deneganda absolutione ?

R. Exstant illæ in libris Ritualibus, in Statutis Synodalibus multarum Diœceseon, in Instructione quam Mediolanensibus Confessariis scripsit S. Carolus Borromæus : quæ quidem Instructio in Comitiis generalibus Cleri Gallicani *an.* 1655. approbata, ejusdem Cleri impensis typis mandata et ad singulos Galliarum Episcopos missa, tanquam utilissima regula à Confessariis adhiberi potest et debet. (B)

locum Episcopi et Presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Pharisæorum assumunt supercilio : ut vel damnent innocentes ; vel solvere se noxios arbitrentur, cùm apud Deum non sententia Sacerdotum, sed reorum vita quæratur. Legimus in Levitico de leprosis (*Levit.* XIII. *et* XIV.) ubi jubentur, ut ostendant se Sacerdotibus ; et si lepram habuerint, tunc à Sacerdotes immundi fiant, non quò Sacerdotes leprosos faciant et immundos ; sed quò habeant notitiam leprosi, et non leprosi : et possint discernere qui mundus, quive immundus sit. Quomodo ergo ibi leprosum Sacerdos mundum vel immundum facit : sic et hîc alligat, vel solvit Episcopus et Presbyter, non eos qui insontes sunt vel noxii ; sed pro officio suo, cùm peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, quive solvendus.

(B) L'ASSEMBLÉE GÉNÉRALE DU CLERGÉ, *à Messieurs les Evêques de France.*

Le nom de saint Charles Borromée est si saint et si vénérable dans l'Eglise, qu'il suffit de le voir à la tête de quelques réglemens, pour les faire recevoir de tous ceux qui aiment la discipline Ecclésiastique. Dieu le fit naître en un temps où on peut dire que la couleur de l'or était presque toute effacée, et que la pureté de l'argent s'était changée en une crasse très-sale ; Que ceux qui devaient être les chefs du corps mystique de Jésus-Christ, étaient tombés en langueur ; Que le cœur qui le devait animer n'avait presque plus de vie ; Que les aveugles en conduisaient d'autres ; Que le Prêtre était aussi ignorant que le peuple ; Que le Tabernacle du Seigneur menaçait ruine de tous côtés, et qu'il n'y avait presque personne qui fût propre pour le soutenir. Nous parlons de cette sorte avec ses Prophètes, pour exprimer le malheureux état où se trouvait l'Eglise, quand Dieu lui donna le grand saint Charles Borromée. Il le sépara dès le ventre de sa mère, comme un Nazaréen, et le consacra à son service dès ses plus tendres années. Il remplit son jeune cœur du feu de son amour, qui surmonta en lui toutes les flammes de la concupiscence, et qui lui fit conserver l'innocence du nouvel homme, dont il avait été revêtu au Baptême. Il l'éleva au comble des dignités Ecclésiastiques par le Cardinalat, et le mit sur la chaire de l'Eglise de Milan à l'âge de vingt-deux ans, pour faire par ce jeune homme, dans ce grand Diocèse et dans toute sa Province, ce que les plus consommés en expérience n'eussent osé entreprendre. La pourpre qu'il portait ne le put éblouir. L'autorité d'un Cardinal neveu, et la douceur du gouvernement qui était entre ses mains, ne furent pas capables de le divertir du soin des ames que Dieu lui avait commises. Parmi tout l'éclat et tous les délices de la Cour de Rome, son cœur soupirait toujours après son Eglise de Milan. Enfin Dieu rompit les chaînes qui l'attachaient, par la mort de son oncle, et il vint commencer sa résidence, qu'il n'a jamais interrompue que pour des raisons très-canoniques. Un des plus grands désordres qu'il trouva dans son Diocèse, et qui était comme la source de tous les autres, fut l'ignorance des Confesseurs, et l'abus du sacrement de Pénitence. Comme ceux-là n'étaient point du tout instruits de la nature de ce remède sacré, ni des dispositions avec lesquelles il faut que les malades s'en approchent, il ne faût pas s'étonner, si ce que la charité de Jésus-Christ avait ordonné pour leur rendre la santé, entretenait leurs maux et les rendait pires de jour en jour. Les pénitens les plus éclairés pensaient que se confesser, c'était seulement raconter ses péchés comme une histoire. Ils n'en quittaient point les occasions, c'est pourquoi ils y

retombaient presque à toute heure, et leur vie se passait à se souiller et à se laver extérieurement, à tomber et à se relever en apparence; car en effet ils ne se lavaient pas, mais au contraire ils se souillaient tous les jours davantage. Et il leur arrivait ce qui arrive à la tuile fraîche, laquelle plus on la lave, plus la rend-on sale et boueuse. Au lieu de se relever, ils faisaient une chute plus dangereuse, puisqu'ils profanaient un Sacrement institué pour obtenir de Dieu le pardon des péchés commis, et la force pour n'en plus commettre. La pénitence, disent tous les Saints Pères, consiste à pleurer les maux que l'on a faits, à ne plus rien faire qui soit digne d'être pleuré; et celui qui après avoir demandé pardon à Dieu, retombe encore dans des fautes capitales, qui ont besoin de sa miséricorde, est un moqueur et non pas un pénitent. Saint Charles en qui Dieu avait versé la plénitude de l'esprit Ecclésiastique, ayant longuement examiné et consulté quel remède il pouvait apporter à cet abus, reconnut qu'il n'y en avait point de plus propre ni de plus prompt, que d'instruire les médecins, et de leur marquer la façon dont ils se devaient gouverner en la cure des maladies, afin de leur rendre une santé véritable et assurée. Dans ce dessein il dressa des Instructions fort amples, qu'il adressa aux Confesseurs de son Diocèse, pour leur enseigner les dispositions intérieures et extérieures qu'ils devaient apporter à l'administration de ce Sacrement, et de quelle façon il fallait se gouverner en l'imposition des pénitences, et en l'absolution des pécheurs. Or parce que ceux-ci étaient venus à tel point d'insensibilité pour la mort de leurs âmes, qu'ils voulaient bien goûter tous les plaisirs du péché, comme dit saint Grégoire le Pape, mais qu'ils ne voulaient sentir aucune amertume de la pénitence, et qu'ils demandaient l'absolution comme une chose qui leur était due, plutôt que comme une grâce, dont, s'ils eussent été véritablement pénitens, ils se devaient reconnaître indignes; cet admirable Evêque examina distinctement les cas où il entendait que les Confesseurs refusassent l'absolution à certaines personnes. Il ajouta ensuite les Canons pénitentiaux dressés par les Saints Pères dans les Conciles, et pratiqués dans l'Eglise durant près de mille ans, afin de servir comme de règle en l'imposition des satisfactions dues par les pécheurs. Ce n'est pas qu'il espérât qu'en ces derniers temps de l'Eglise, où à peine trouve-t-on de la foi parmi les fidèles, et où la charité est presque éteinte dans tous les cœurs, on pût faire subir aux pécheurs les rigueurs de la pénitence ancienne. Il savait bien que leur faiblesse, ou pour mieux parler, leur indévotion et leur impénitence, n'étaient pas capables de porter un joug si pesant; mais son dessein était de faire connaître aux Confesseurs l'horreur des péchés qui sont aujourd'hui si communs parmi les Chrétiens, par la rigueur des peines avec lesquelles l'ancienne Eglise voulait qu'ils fussent expiés, afin qu'ils pussent l'imprimer plus fortement dans l'ame des pécheurs, et les porter plus aisément à satisfaire à la justice Divine avec quelque proportion à la grandeur de leurs fautes. En cela il suivait l'esprit du Concile de Trente, lequel il avait fait heureusement conclure, qui avertit les Confesseurs de ne se rendre pas complices des péchés d'autrui, en enjoignant des pénitences légères pour des crimes énormes, et leur ordonnant de suivre en l'imposition des satisfactions le mouvement de l'esprit de Dieu, et les règles de la prudence chrétienne, qui les doit ordonner non-seulement pour expier le passé, mais pour servir de préservatif à l'avenir.

Il y a long-temps, Messeigneurs, que nous gémissons avec raison de voir nos Diocèses pour ce point, non-seulement au même état que la Province de saint Charles, mais dans un qui est beaucoup plus déplorable; car si nos Confesseurs sont plus éclairés que les siens, il y a grand danger qu'ils ne s'engagent dans certaines opinions modernes, qui ont tellement altéré la morale chrétienne et les maximes de l'Évangile, qu'une profonde ignorance serait beaucoup plus souhaitable qu'une telle science, qui apprend à tenir toutes choses problématiques, et à chercher des moyens, non pas pour exterminer les mauvaises habitudes des hommes, mais pour les justifier, et pour leur donner l'invention de les satisfaire en conscience. Car au lieu que Jésus-Christ nous donne ses préceptes et nous laisse ses exemples, afin que ceux qui croient en

lui y obéissent, et y accommodent leur vie : le dessein de ces Auteurs paraît être d'accommoder les préceptes et les règles de Jésus-Christ aux intérêts, aux plaisirs et aux passions des hommes, tant ils se montrent ingénieux à flatter leur avarice et leur ambition par des ouvertures qu'ils leur donnent pour se venger de leurs ennemis, pour prêter leur argent à usure, pour entrer dans les dignités Ecclésiastiques par toutes sortes de voies, et pour conserver le faux honneur que le monde a établi par des voies toutes sanglantes. Autrefois le fils de Dieu disait, Bienheureux les pauvres d'esprit, parce que le Royaume du Ciel est à eux. Mais aujourd'hui par la subtilité de ces nouveaux Docteurs, il n'y a plus que des gens d'esprit qui puissent prétendre d'entrer en ce Royaume, suffisant, pour ne pécher pas, si on les veut croire, de bien dresser son intention, et de ne se proposer pas certaines fin mauvaises, que tout homme de bon sens n'a garde d'avoir, quand sans cela il peut faire en conscience ce qu'il a envie de faire. Outre cette corruption de doctrine qui se glissera aisément dans tous les esprits, si on n'en arrête le cours, nous avons été sensiblement touchés de douleur, voyant la facilité malheureuse de la plupart des Confesseurs à donner l'absolution à leurs pénitens, sous des prétextes pieux de les retirer peu à peu du péché, par cette douceur, et de ne les porter pas dans le désespoir, ou dans un entier mépris de la Religion. Car nous ne voulons pas croire qu'il y en ait d'assez méchans pour considérer leur intérêt particulier, ou celui de leurs Communautés, en la conduite de certaines personnes qui s'approchent souvent du bain de la pénitence, et ne s'y lavent jamais : et qui au lieu de se fortifier par la fréquente manducation de la chair de Jésus-Christ, en deviennent plus faibles, et paraissent toujours autant remplis de l'amour du monde et d'eux-mêmes, que s'ils étaient encore assis à la table des idoles. Plusieurs Curés de la ville de Paris, et des autres villes principales de ce royaume, par les plaintes qu'ils nous ont faites de ces désordres, avec la permission de Messeigneurs leurs Prélats, et par les conjurations d'y apporter quelque remède, ont encore augmenté notre zèle et redouble notre douleur. S'ils se fussent plus tôt adressés à notre assemblée qu'ils n'ont fait, nous eussions examiné avec un soin très-exact toutes les propositions nouvelles des Casuistes, dont ils nous ont donné les extraits, et prononcé un jugement solennel qui eût arrêté le cours de cette peste des consciences. Mais ayant manqué de loisir pour faire cet examen avec toute la diligence, et l'exactitude que demandait l'importance du sujet, nous avons cru que nous ne pouvions pour le présent apporter un meilleur remède à un désordre si déplorable, que de faire imprimer aux dépens du Clergé, les Instructions dressées par saint Charles Borromée, Cardinal et Archevêque de Milan, pour apprendre à ces Confesseurs de quelle façon ils se doivent conduire en l'administration du sacrement de Pénitence, et de les envoyer à tous Messeigneurs les Evêques du Royaume. C'est dequoi nous nous acquittons, et nous ne doutons point que vous ne nous sachiez gré d'avoir mis entre vos mains des enseignemens si saints et si nécessaires en notre temps, que l'on peut bien nommer la lie et la fin des siècles. Quand ils seront publiés par votre autorité dans vos Diocèses, ils auront toute la force et toute la bénédiction qui leur est nécessaire, afin d'être utiles, et aux Médecins, et aux malades. Nous vous conjurons de l'employer en cette occasion, afin d'arrêter le cours des péchés qui attirent la colère de Dieu sur la France, et de rétablir dans l'esprit des fidèles les maximes sacrées de l'Evangile, qui ont depuis peu de temps reçu une si grande altération.

Extrait du PROCÈS-VERBAL *de l'Assemblée générale du Clergé de France, tenue au grand Couvent des Augustins, ès années* 1655. 1656. *et* 1657.

Du jeudi premier jour de Février à huit heures du matin, Monseigneur l'Archevêque de Narbonne présidant :

Monsieur de Ciron a dit, Que suivant l'ordre de l'Assemblée, il avait fait venir de Toulouse, le Livre des Instructions pour les Confesseurs, dressées par saint Charles Borromée, et traduit en Français par feu Monseigneur l'Archevêque de Toulouse, pour la conduite des Confesseurs de son Diocèse : et plusieurs de Messeigneurs les Prélats qui ont lu

Harum legum hæc summa est, ut iis solùm concedatur absolutionis beneficium, qui verum habent de peccatis dolorem, verum non peccandi propositum, qui præterea quantùm in se est peccata confessi sunt, et pro iis vel satisfecerunt vel satisfacere volunt.

I. Si quis pœnitens ita se affectum esse profiteatur, debetne Sacerdos stare verbis ejus, ipsumque absolvere ?

R. Non semper standum est verbis pœnitentis : sunt enim non pauci qui promissis futilibus vel Sacerdotem fefellerunt vel seipsos. Illi probandi sunt, nec priùs absolvendi quàm opere perfecerint quod verbis profitentur.

I. Quinam probandi sunt priùs quàm absolvantur ?

R. 1° Qui ex pravo habitu peccant, non priùs absolvendi quàm vitam in melius commutarint.

2° Qui sunt in proxima peccandi occasione, non priùs absolvendi quàm ab ea recesserint, quod quidem intelligendum juxta leges infrà dicendas.

3° Qui gerunt inimicitias, non priùs absolvendi quàm eas deposuerint : et quantùm in se est, reconciliati fuerint cum inimicis.

4° Qui aliena vel rapuerunt vel injustè detinent, non debent absolvi donec restituerint quantùm in se est.

5° Qui ignorant elementa fidei, et præcepta præcipua vitæ Christianæ, et ea quæ pertinent ad obeunda ritè suæ conditionis officia, non debent absolvi donec ea didicerint et noverint. (C)

ledit Livre, ayant représenté qu'il serait très-utile, et surtout en ce temps où on voit avancer des maximes si pernicieuses et si contraires à celles de l'Evangile, et où il se commet tant d'abus en l'administration du sacrement de Pénitence, par la facilité et l'ignorance des Confesseurs : L'Assemblée a prié Monsieur de Ciron de prendre soin de le faire imprimer ; afin que cet Ouvrage composé par un si grand Saint, avec tant de lumière et de sagesse, se répande dans les Diocèses, et qu'il puisse servir comme d'une barrière pour arrêter le cours des opinions nouvelles, qui vont à la destruction de la Morale Chrétienne.

(C) S. Carol. *Instruct. ad Confess. Act. Eccl. Mediol. part. 4. pag.* 651. Ut confessores informentur concedendam non iis esse absolutionem, qui eâ sunt indigni, quod ex imprudentiâ, negligentiâ, aliâve de causâ sæpè contingit ; ex quo fit plurimos, in iisdem peccatis stupendâ animarum suarum ruinâ, diù immorari ; ideò ex plurium Theologorum simul congregatorum habito consilio infrà notatur, quid à Confessoribus debeat observari, in conferenda aut neganda absolutione.

Quicunque rationis usum attigerit, sub reatu peccati mortalis omnes symboli Apostolici, quo Ecclesia utitur, articulos scire tenetur ; saltem quoad substantiam. Item Dei et Ecclesiæ præcepta, quæ sub peccato mortali observanda sunt ; quæque solent in scholis Doctrinæ Christianæ comparari : ubi ergo pœnitens hæc ignoraverit, si quàm primùm ad ea discendum non acquieverit, absolvi non debet : immò si ad ea discenda se dispositum significaverit : interrogandum, num aliàs de ea negligentia à Confessore, sive ipse sit, sive alius, aut Pastor, monitus fuerit : si quidem pro modulo diligentiam ad hoc non adhibuerit, tandiù illi absolutio differatur, donec huic officio pœnitens satisfecerit : quod si nondum monitus fuerit, absolvatur quidem, sed de suprà dictis, ut poterit, instruatur.

Patres, aut matres-familias, qui suos filios aut domesticos (de quo

interrogabuntur) supradicta scire neglexerint; aut ab iisdem Dei, et Ecclesiæ præcepta observari non curant; aut quod pejus est, ut observentur impediunt, putà cùm famuli, aut famulæ ita occupantur, ut pro suis necessitatibus laborare festis diebus ipsis necessum sit; aut tempus non concedunt, quo illi juxta Ecclesiæ præceptum Missæ possint interesse: aut qui, an sint in sua familia qui legitimo impedimento teneantur, ignorantes, cœnare eos sinunt Quadragesimæ, aut aliorum jejunii dierum tempore, aut prandere ante horam in his diebus institutam; aut eos objurgare negligunt, cùm præcepta Dei transgrediuntur; aut denique quando famuli cum scandalo, et sine emendatione vivunt, nec è domo eliminant.

Si in his casibus pro officio non satisfaciant, nec de hactenùs habitâ circa familiæ suæ curam in supradictis negligentiâ emendentur, non absolvantur.

Quòd si id se acturos polliceantur, nondùm scilicet à Confessore de his moniti, poterunt absolvi; sed si sæpiùs moniti, nullatenus emendati fuerint, proroganda eis erit absolutio, donec emendationis argumenta sincera dederint.

Eodem modo se gerat cum iis Confessor, qui contra Concilii nostri tertii aliorumque Mandatorum ordinationem, diebus festis aut vendunt, aut à rebus agendis à nobis, in edictis, prohibitis non abstinent.

Nec eos etiam absolvat, qui in vestium splendore, aut exteriori ornatu mortaliter peccant. Et quia hodie sæculi pompa, et vanitates, ad summum creverunt, potissimùm ex culpa Confessorum, eorumque negligentiâ, qui sine discretione, nec pœnitentes de eo increpantes, eos absolvunt, casus exponemus, in quibus solent ex pompis, et ornatibus peccari, ut Confessores juxta datas à nobis instructiones, in absolvendo se gerant.

Quando itaque ornamenta illa pœnitentes adhibent cum peccati mortalis intentione, peccant mortaliter.

Item cùm ob similia ornamenta transgrediuntur, aut transgrediendi occasionem præbent aliis, aliqua Dei vel Ecclesiæ præcepta transgrediendo, ut si die festo laborent, aut laborare jubeant, aut Missam obmittant, aut se ornando obmitti ab aliis faciant, aut si in causa sint, cur sponsus, aut alii ad quos spectat ut necessaria præbeantur, plus expendant quàm ferant facultates; undè noscant aut probabiliter suspicentur, oritura domi dissidia, aut maritum, aliosque blasphemiam edituros, aut ut fiant contractus illiciti, debitæ obmittantur eleemosynæ, aut legatis piis, aliisque debitis, quibus tenentur, non satisfiat, aut operarii debitâ mercede fraudentur, aut illa differatur: debita nova, quibus solvendis non sufficiunt, contrahantur, undè proximo damnum notabile accedat, filiæ tempore convenienti non collocentur, quod eas in casus infaustos sæpè induxit, et undè nascuntur, aut nasci possunt similia peccata, quæ ut plurimum ex pompis, et his excessibus oriuntur; in iis omnibus casibus, ornatuum usus peccatum est mortale.

Et quia impossibile est, ut, qui plus expendit quàm facultates ferunt, non prævideat, aut possit, debeatve prævidere quæ indè sequuntur peccata, de his generaliter dici potest, omnes his vanitatibus deditos esse in peccato mortali, nisi facto à Confessore diligentiori examine, de contrario aliqua ex causa constiterit.

Peccat adhuc mulier mortaliter in ornandi se modo, etiamsi hoc facultates ferant; putà si ornatus is sit, qui ex se aut juxta hominum opinionem ad lasciviam inducat, aut saltem probabiliter potest suspicari quòd ex hujus ornatûs, suæ conditionis personis, insoliti occasione, aliquis ad eam inhonestè amandam alliciatur, aut in peccato hæreat, et tamen aut nihili aut pauci curat de proximi salute, quam ex hoc ornatu ruituram videt, et eo uti perseverat: aut quando ornatus ille eo fine adhibetur, ut amoris inhonesti argumenta indè pateant, hoc ii, ex insoliti coloris alteriusve modi vestibus significant.

Nec his solùm debet absolutio negari, in quibus sincerum, peccatum mortale dimittendi, propositum non observantur; sed his etiam, qui licèt illud relinquendi desiderio teneri testentur, fatentur tamen, ut ab eo se possint abstinere, vires non sentire, et imprimis cùm hi noluut pro-

posita sequi remedia, sine quibus Confessor eos in peccata relapsuros censeat.

Proroganda adhuc absolutio, donec hi emendentur, qui licèt se peccatum dimissuros polliceantur, ab illo tamen non separandos, confessor suspicetur, ut sunt ii, et præsertim juvenes otiosi, qui solent majori temporis parte aleis, crapulis, amoribus, peccatis carnalibus, blasphemiis, inhonestis conversationibus, dissensionibus, odiis, et detractionibus vacare, aut qui Quadragesimæ diebus tantùm ultimis peccatà deposituri accedunt, aut qui à multis annis in iisdem peccatis perseverarunt, nec ut emendarentur laborarunt.

Nec ii possunt absolvi, qui sincerà resolutione peccata mortalia, et eorum occasiones fugiendi non statuerunt.... *Cætera lege suprà hujusce Cap. §. 5. ubi de peccati occasionibus tam proximis, quàm remotis locuti, S. Caroli ea de re doctrinam exscripsimus.*

Addit deinde ibid. pag. 654. Quòd si Confessori visum fuerit ex prima, aut secunda pœnitentis pollicitatione, et non ampliùs ipsum occasionem hanc dimissurum, poterit eum absolvere; absolutionem autem differat, si promissis non steterit, donec amandatam omninò fuisse hanc occasionem agnoverit.

Qui etiam contrahunt contra Conciliorum nostrorum statuta, et pactum omninò illicitum pepigerunt, nisi rescindatur, et debita satisfactio primùm agatur, non absolvantur.

Paulò post, pag. 655. Ante factam restitutionem nemo absolvatur; nisi impotentia aut gravis et periculosa infirmitas obsteterit.

Deinde pag. 662. Concubinarii, Blasphemi aliique ex consuetudine peccatores, non admittantur, quidquid dicant, seque licèt emendaturos polliceantur; nisi aliquibus antè mensibus emendationis signa Confessori nota, juxta ordinem ab ipso præscriptum dederint. Nec ipsi etiam Usurarii, nisi rescissis contractibus fœneratoriis, malè accepta restituerint.

Pag. 633. A satisfactione facienda eos non absolvant qui ad hanc pro debito tenentur aut restitutione: si ex postremà confessione etiam alteri Confessori facta, eosdem non satisfecisse noverit.

Pag. 664. Qui restitutioni aut legatorum piorum solutioni nondum satisfecerint, non absolventur.... nisi pœnitentes in mortis periculo confiteantur.

Si concubinarii, usurariique publici, semel ad communionem jam admissi, ad meliorem frugem se non receperint, à communione eos removeant, donec de emendatione innotuerit.

Eos caveant absolvere, qui falso testimonio aliquem aut in rebus aut in honore læserunt, donec pro facultatibus iis satisfecerint.

Nec eos etiam, qui de rebus amissis quæ rescierint, non deponunt.

Pag. 665. Omni curà pœnitentium conscientias discutiant, num usuris aut quibuscunque contractibus illicitis inquinentur; quos si, iis irretitos, invenerint, nullomodo absolvant, nisi factà primùm, ut sacri Canones jubent, satisfactione.

De infrà scriptis etiam peccatis habitualibus quæ quantùm poterint, exstirpabunt, similiter advertant; talia sunt inimicitiæ, litigationes cum contumacia, vel advocati res aliorum intricantes, aut qui solent vendere et laborare diebus festis: quibus adnumerantur aulætes publici, et qui in saltationibus ludunt diebus sacris, alcatores, pigmentorum, et fuci usus aliorumque similium, quibus viduæ et puellæ jam grandiores uterentur, libri impudici, aut in indice prohibiti, superstitiones, incantamenta, pompæ, et comessationes immoderatæ.

CONCIL. LATERAN. II. *ann.* 1139. *Tom.* 10. *Concil. Labb. col.* 1007. *can.* 22. Sanè quia inter cætera unum est quod sanctam maximè perturbat Ecclesiam, falsa videlicet pœnitentia: Confratres nostros et Presbyteros admonemus, ne falsis pœnitentiis laïcorum animas decipi, et in infernum pertrahi patiantur. Falsam autem pœnitentiam esse constat, cùm spretis pluribus, de uno solo pœnitentia agitur: aut cùm sic agitur de uno, ut non discedatur ab alio. Undè scriptum est: (*Jacob* II. 10.) *Qui totam legem observaverit, offendit autem in uno, factus est omnium reus:* scilicet quantùm ad vitam æternam. Sicut enim si peccatis esset omnibus involutus, ita si in uno tantùm maneat, æternæ vitæ januam non intra-

Advertendum tamen posse absolvi eum qui, nondum factà cum inimico reconciliatione, deposuit inimicitias, spondetque se facturum quod in se est, ut incatur cum inimico gratia : item qui, nondum factâ restitutione, spondet eam à se mox faciendam ; nisi illi datam ea de re fidem jam fregerint : tunc enim non standum eorum promissis.

I. Cur ais eos qui ex pravo habitu peccant non priùs absolvendos quàm vitam in melius commutarint ?

R. Quia non debent absolvi qui carent peccatorum contritione, et non peccandi proposito : at in illis qui peccant ex pravo habitu, non ex verbis, sed ex sola vitæ mutatione, cognosci potest veritas contritionis et non peccandi propositum. Non enim ex foliis, sed ex fructibus arbor cognoscitur. (*Matth.* VII. 20.) Nec tam citò curatur morbus inveteratus.

I. Cur non debent absolvi qui versantur in proxima occasione peccandi, donec ab ea recesserint ?

R. Quia qui spontè versatur in proxima occasione peccandi, exponit sese ultrò peccandi periculo : *qui autem amat periculum, in illo peribit.* (*Eccli.* III. 27.) Quin et tentat Deum, adeoque peccat qui exponit sese lubens peccandi periculo. Non habet ergo peccati contritionem, nec proindè potest absolvi, qui spontè versatur in proxima occasione peccandi.

I. Si per se malum non est quod peccatori præbet proximam peccati occasionem ; vel si ab ea occasione, quantumlibet res per se mala sit, non potest prorsùs homo recedere, ut fit sæpiùs in filiis vel filiabus familias, quibus adest in paterna domo peccandi occasio proxima ; debetne tunc Sacerdos non priùs absolvere quàm à peccandi occasione recessum fuerit ?

R. Non debet tunc peccator semper ab illa occasione recedere, id enim quandoque fieri prorsùs nequit, et nemo tenetur ad impossibile. Sed debet Sacerdos diù probare pœnitentem, donec saltem à peccato recesserit ; ita ut quod priùs fuerat occasio peccandi, jam mutatis affectibus, esse peccandi occasio desierit ? (D)

I. Si post diuturnam probationem ex illa occasione sequatur semper peccatum ; quid facto opus ?

R. Tunc non debet absolvi pœnitens donec ita recesserit à peccato, ut jam ex veteri illa peccandi occasione peccatum ampliùs non sequatur. (E)

I. Cur non debent absolvi qui gerunt inimicitias donec eas deposuerint, et quantùm in se est redierint in gratiam cum inimico ? item qui aliena rapuerunt vel injustè detinent

bil. Falsa etiam fit pœnitentia, cùm pœnitens ab officio vel curiali vel negotiali non recedit, quod sine peccato agi nullâ ratione prævalet : aut si odium in corde gestetur, aut si offenso cuilibet non satis fiat, aut si offendenti offensus non indulgeat, aut si arma quis contra justitiam gerat.

(D) S. CAROL. *in Instruct. Confess. Vide suprà hujusce Cap.* §. 5.

(E) S. CAROL. *ibid. reperies ubi suprà.*

donec restitutionem fecerint, vel promiserint se jam jam esse facturos ?

R. Quia non possunt absolvi qui adhuc in peccatis sunt : At in peccatis sunt qui gerunt inimicitias, et qui injustè detinent aliena. (F)

I. Cur non debent absolvi qui ignorant ea quorum ipsis cognitio necessaria prorsùs est, donec ea didicerint et noverint ?

R. Quia talis ignorantia, utpote supina et facilè superabilis, nullatenus excusari potest ; et qui in ea versantur, in peccatis sunt, nec proindè possunt absolvi. (G)

I. Expeditne fideles nosse quibus in casibus concedenda vel neganda vel differenda absolutio sit ? Nunquid ea Sacerdotes nosse satis est ?

R. Expedit ea et à fidelibus sciri ; ut intelligant quos Confessarios eligere, quos fugere oporteat : sicut enim sunt severioris disciplinæ ostentatores, qui ex hypocrisi vel odio damnant immeritos, et mortificant animas quæ non moriuntur, ligando communiter, et prohibendo indiscriminatim pœnitentes quos debent absolvere, ab usu divinæ Eucharistiæ ; sunt etiam duces cæci et animarum, ut ita dicam, interfectores, qui præposterè absolvunt quos ligare debuerant. (*Matth.* XV. 14. XXIII. 16. *et* 24.) Nec enim ad solvendum modò, sed et ad ligandum claves à Christo Sacerdoti concessæ sunt (*Matth.* XVI. 19. XVIII. 18. *Joan.* XX. 23.) ; Et

(F) *Vide* S. CAROL. *suprà hocce* §. *litt.* (C)

CONCIL. NAMNETENSE, *Can.* 1. *Tom.* 9. *Concil. Labb. col.* 468. Ut Dominicis et festis diebus Presbyteri, antequam Missas celebrent, plebem interrogent,... si aliqui discordantes sint, qui inter se litem implacabilem habeant. Et si inventi fuerint, statim reconcilientur. Quòd si renuerint pacem suscipere, ab Ecclesia ejicientur, usquequo ad charitatem redeant. Non enim possumus munus vel oblationem ad altare offerre, donec priùs fratri reconciliemur.

CONCIL. CARTHAG. IV. *an.* 398. *tom.* 2. *Concil. Labb. col.* 1207. *can.* 93. Oblationes dissidentium fratrum neque in sacrario, neque in gazophylacio recipiantur.

CONCIL. ARELAT. II. *ann.* 452. *Can.* 50. *tom.* 4. *Concil. Labb. col.* 1016. Hi qui publicis inter se odiis exardescunt, ab Ecclesiasticis conventibus removendi, donec ad pacem recurrant.

CONCIL. AGATHENSE, *ann.* 506. *Tom.* 4. *Concil. Labb. col.* 1388. *Can.* 31. Placuit etiam, ut sicut plerumque fit, quicunque odio aut longinquâ inter se lite dissenserint, et ad pacem revocari diutinâ intentione nequiverint, à civitatis primitùs Sacerdotibus arguantur. Qui si inimicitias deponere perniciosâ intentione noluerint, de Ecclesiæ cœtu justissimâ excommunicatione pellantur.

S. AUGUST. *Epist.* 153. *aliàs* 54. *ad Macedon. cap.* 6. *n.* 20. Pessimum hominum genus commemoras, cui pœnitendi medicina omnino non prodest. Si enim res aliena, propter quam peccatum est, cùm reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur ; si autem veraciter agitur, non remittetur peccatum, nisi restituatur ablatum ; sed, ut dixi, cùm restitui potest. Plerumque enim qui aufert amittit, sive alios patiendo malos, sive ipse malè vivendo, nec aliud habet undè restituat. Huic certè non possumus dicere, Redde quod abstulisti, nisi cùm eum habere credimus et negare.

(G) S. CAROL. *in Instruct. Confess. Vide suprà hocce* §. *litt.* (C)

Christus cavendum ait *à falsis Prophetis, qui veniunt in vestimentis ovium ; intrinsecùs autem sunt lupi rapaces* (*Matth.* VII. 15.) : quibus Christi verbis designantur qui sub specie benignitatis decipiunt animas. Id autem faciunt Sacerdotes indulgentiores, qui absolutione præposterà *consuunt* veluti *pulvillos sub omni cubito manûs, et faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas.* (*Ezech.* XIII. 18.) Ipsi enim in causa sunt cur pœnitentes de absolutione, quæ nulla est, temerè sibi blandientes, nunquam à peccato, nunquam à scelere recedunt ; et nunquam probati, nunquam reprehensi, nunquam edocti viam justitiæ, pereunt et damnantur. (H)

I. Quid agere debet pœnitens cui fuit absolutio vel negata vel dilata ?

R. Si cui absolutio negata est, debet is quàm citissimè removere impedimentum, quo factum est ut absolutio negaretur.

Si verò non negata, sed dilata solùm absolutio fuit, debet pœnitens præparare se ad illam ritè suscipiendam carnis et spiritûs mortificatione, solitudine, orationum assiduitate, fugà occasionum peccandi, majori vigilantiâ, lectionibus sacris, alienorum restitutione, injuriarum condonatione. Uno verbo debet interim cessare à peccato, gemere de vita anteacta, novam instituere vitæ rationem, dignos facere fructus pœnitentiæ, (*Matth.* III. 8. *Luc.* III. 8.), et ad amussim observare quæcunque à Sacerdote præcepta et præscripta sunt.

I. Si quis fortè pœnitens, nondum accepto absolutionis beneficio, moreretur ; qui foret ejus exitus ?

R. Multùm semper Ecclesia confisa est de salute pœnitentium, qui nondum absolutâ pœnitentiâ nec acceptâ absolutione morerentur inito pœnitentiæ stadio ; pro illis sacrificium et preces obtulit non secùs ac si fuissent absolutione donati. Et verò si perfectam habeant peccatorum contritionem salvantur, ut jam diximus, ex virtute illius contritionis cum voto absolutionis conjunctæ. (I)

(H) JEREM. VI. 14. Curabunt contritionem filiæ populi mei cum ignominia, dicentes : Pax, pax ; et non erat pax.

EZECH. XIII. 10. Eò quòd deceperint populum meum, dicentes : Pax, et non est pax.

19. Ut interficerent animas, quæ non moriuntur, et vivificarent animas, quæ non vivunt, mentientes populo meo credenti mendaciis.

Varios hosce S. Scripturæ locos de Sacerdotibus qui nimiâ indulgentiâ peccatores fovent ipse Spiritus sanctus in sacris Conciliis interpretatur : in CONCIL. PARIS. VI. *ann.* 829. *Can.* 22. *cujus suprà meminimus hujusce Cap.* §. 16. *Et in* CONCIL. AQUISGRANENSI *anni* 816. *part* 1. *can.* 37. *ex verbis* S. GREGOR. *Homil.* 26. *in Evang. contexto, quem S. Gregorii locum suprà exscripsimus hocce* §. *litt.* (A)

Lege etiam suprà litt. (A) S. HIERON. *in cap.* XVI. *Matth.* S. AMBROS. *serm.* 8. *in Psalm.* CXVIII. *et lib.* 2. *de Pœnit. cap.* 9. *et alios.*

(I) *Vide suprà hujusce Cap.* §. 2. *litt.* (F) CONCIL. IV. CARTHAG. *can.* 79. CONCIL. II. ARELAT. *can.* 12. *et* S. CYPRIAN. *Epist.* 18.

§. 24. De Casibus reservatis, et de Censuris in genere.

I. Superestne aliquid dicendum quod spectet ad absolutionem ?

R. Unum adhuc superest quod explicetur : nimirùm non posse Sacerdotem absolvere à casibus vel censuris reservatis, nisi acceptâ speciali licentiâ Superioris, ad quem spectat casuum aut censurarum reservatio.

I. Quid intelligis nomine casuum reservatorum ?

R. Intelligo peccata quædam mortalia, quorum absolutionem vel summus Pontifex vel Episcopi sibi reservarunt ; ita ut nefas sit Sacerdotibus inferioribus ab iis absolvere sine speciali licentia Superioris, cui absolutio reservata est. (A)

I. Cur peccatorum quorumdam absolutio reservatur superioribus Sacerdotibus ?

R. Magnoperè ad Christiani populi disciplinam pertinere, sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quædam et graviora crimina non à quibusvis, sed à summis duntaxat Sacerdotibus absolverentur (*Concil. Trid. Sess.* 14. *cap.* 7.) : 1° Ut eò rariora forent quò esset eorum absolutio difficilior ; 2° Ut imponeretur salutaris confusio peccatoribus, dum tenentur ejusmodi peccata Superiori detegere : 3° Ut certior fieret ejusmodi morborum curatio, dum eorum curatio non cuilibet medico, sed peritiori, sed doctiori committitur.

I. Nunquamne possunt inferioris ordinis Sacerdotes à casibus reservatis absolvere : nisi acceptâ ad hoc speciali licentiâ ?

R. Nunquam, nisi in duobus casibus.

1° Tempore Jubilæi potest quivis Sacerdos ex approbatis, ab omnibus casibus et censuris absolvere : quod tamen sic

(A) Concil. Trident. *Sess.* 14. *cap.* 7. Quoniam igitur natura et ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos duntaxat feratur ; persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem. Magnopere verò ad Christiani populi disciplinam pertinere, sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quædam et graviora crimina non à quibusvis, sed à summis duntaxat Sacerdotibus, absolverentur, undè meritò Pontifices Max. pro supremâ potestate sibi in Ecclesia universa traditâ, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare. Neque dubitandum est, quando omnia *quæ à Deo sunt, ordinata sunt* (*Rom.* XIII. 1.), quin hoc idem Episcopis omnibus in sua cuique Diœcesi, in ædificationem tamen, non in destructionem, liceat, pro illis in subditos traditâ supra reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate, præsertim quoad illa, quibus excommunicationis censura annexa est. Hanc autem delictorum reservationem, consonum est divinæ auctoritati, non tantùm in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere. Verumtamen piè admodum, ne hac ipsâ occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis : atque ideò omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt : extra quem articulum Sacerdotes, cùm nihil possint in casibus reservatis, id unum pœnitentibus persuadere nitantur, ad superiores et legitimos Judices beneficio absolutionis accedant.

intelligendum, ut non excedantur limites Pontificio diplomate constituti. (B)

2° In articulo mortis omnes Sacerdotes etiam interdicti, suspensi, excommunicati, non approbati, modò validè ordinati fuerint, possunt quoslibet pœnitentes, ubi non adest copia Sacerdotis legitimè approbati, à quibusvis peccatis et censuris absolvere. (C) Hoc enim *in Ecclesia Dei custoditum semper fuit*, inquit Tridentina Synodus, *ut nulla sit reservatio in articulo mortis.*

I. Quid est censura Ecclesiastica?

R. Hoc nomine intelligitur pœna Ecclesiastica quâ Christiani ob peccatum aliquod grave, et ex quo multis offensio generetur, privantur usu bonorum aliquot spiritualium, quo gaudent cæteri ejusdem ordinis Christiani.

I. Undenam habet Ecclesia potestatem ferendi censuras?

R. A Christo ipso, qui tradidit Ecclesiæ potestatem ligandi atque solvendi (*Matth.* XVI. 19. XXIII. 18.), regendi et puniendi. Quam potestatem fuisse ab Apostolis in usu positam patet ex eorum Epistolis. Eamdemque auctoritatem penès eorum Successores fuisse constat ex perpetuo usu Ecclesiæ. (D)

(B) *Vide quæ diximus hujusce Capit.* §. 20.

(C) *Adi si lubet, Partis* 1. *hujusce Operis, Sect.* 2. *Cap.* 3. §. 13.

(D) 1. CORINTH. V. 3. Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens, eum, qui sic operatus est, 4. in nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis et meo spiritu, cum virtute Domini nostri Jesu, 5. tradere hujusmodi satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi.

2. TIMOTH. IV. 14. Alexander ærarius multa mala mihi ostendit: reddet illi Dominus secundùm opera ejus: 15. Quem et tu devita: valdè enim restitit verbis nostris.

2. JOAN. 10. Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis. 11. Qui enim dicit illi Ave, communicat operibus ejus malignis.

Censurarum necessitatem probat ORIGENES *Homil.* 9. *in Hierem* CXIII. *circa med.* Deus si pepercerit peccatori, et miseratus ejus noluerit eum punire pro scelere, quis non accipiat licentiam? Quis malorum qui nunc saltem propter supplicia terrentur, non invadet tempus, ut expleat quæcunque voluerit, et præceps feratur in vitia. Hæc autem in Ecclesia sæpè accidentia possumus considerare. Peccavit quispiam, et post peccatum postulat communionem. Si ei conceditur quod rogat, in incommodum omnium venia procedit, et laxatis frænis sceleribus panditur via. Sin verò cum rationabili deliberatione, non ut misericors, nec rursùm ut crudelis judex, sed et quasi uni providens, et de omnium salute pertractans consideraverit, populi damnum in unius venia, haud dubium est quin faciat ejici unum de Ecclesia ut multos salvet incolumes. Age nunc, considera mihi et medicum, si cessaverit à sectione ejus vulneris, quod secandum est, si non asserit id quod indiget cauterio, videlicet propter dolores qui ex talibus remediis consequuntur, quomodo crescat infirmitas, et in deterius vetus humor exuberet. Si verò (ut ita dicam) temerarius ac cruentus sector accesserit, et inusserit plagam, curat eum qui secatur et uritur, quia paululum severitatis assumpsit, licèt visus fuerit ægrotanti ad horam non misereri.

At ne injustè, aut non satis cautè ferantur cavet S. LEO. MAGN. *Epist.* 12. *alias* 89. *cap.* 8. Nulli Christianorum facilè communio denegetur, nec ad indignantis fiat hoc arbitrium Sacerdotis, quod magni reatûs ultionem invitus et dolens quodammodo debet inferre animus judicantis. Cognovimus enim pro commissis et levibus verbis quosdam à gratia commu-

I. Ad quos spectat jus ferendi censuras ?

R. Ad summum Pontificem in universa Ecclesia ; ad cæteros Episcopos in sua quemque ditione ; ad Concilia Episcoporum. Ad eos omnes qui jurisdictionem habent in foro externo ; verbi gratiâ , ad Capitulum Sede Episcopali vacante, ad Prælatos regulares : uno verbo ad eos omnes quibus vel ex officio vel ex speciali Ecclesiæ concessione hæc potestas tribuitur.

I. Quandonam Ecclesia peccatores censuris coërcet?

R. Quando monita , preces , cæteræque , quas charitas variè suggessit, rationes revocandi peccatorem à peccato nihil profecerunt.

I. In quos censuræ ferri possunt ?

R. In solos Christianos , qui cùm ad discretionis annos pervenerint , his pœnis affici meruerunt. (E)

I. Feruntur ne eodem modo censuræ omnes ?

R. Hîc multa sunt distinguenda et observanda. 1° Aliæ sunt censuræ quæ à jure dicuntur, aliæ ab homine.

Censura *à jure*, illa est quæ fertur à Legislatore condente legem, injunctâ per legem hâc pœnâ transgressoribus. Viget ea censura quandiù lex viget.

Censura *ab homine* , ea est quæ fertur à Superiore per sententiam aliquam particularem , habitâ ratione temporis , loci , delicti , circumstantiarum. Hæc autem censura vel fertur ad puniendum aliquod delictum , vel proponitur injungenda si delictum fiat.

2° Censura vel est latæ sententiæ , vel ferendæ sententiæ.

Censura *latæ sententiæ* , ea est quæ incurritur ipso facto absque Judicis sententia. (F)

nionis exclusos , et animam pro qua Christi sanguis effusus est , irrogatione tam sævi supplicii sauciatam , et inermem quodammodo , exutamque omni munimine , diabolicis incursibus , ut facilè caperetur , objectam. Certè si quando causa talis emerserit , ut pro commissi criminis qualitate aliquem justè faciat communione privari , is tantùm pœnæ subdendus est , quem reatus involvit ; nec particeps debet esse supplicii , qui consors non docetur fuisse commissi.

Id clariùs patebit variis Conciliorum sanctionibus , quas infrà tum hoc §. tum sequentibus excripturi sumus.

(E) *Decret.* GREG. IX. *lib.* 5. *tit* 39. *de Sentent. Excomm. cap.* 5. *Ex* ALEX. III. Non dubium est , quòd hi , qui violentas manus in Clericos vel Canonicos, aut cujuslibet religionis conversos injiciunt, ex constitutione Concilii sententiam excommunicationis incurrunt , nec nisi in articulo mortis sine Romano Pontifice absolutionis possunt beneficium impetrare.

GREGOR. IX. *Decret. cap.* 143. *tom.* II. *Concil. Labb. col.* 403. Pueris , qui in canonem inciderunt sententiæ promulgatæ , sive ante sive post pubertatem postulent se absolvi , potest diœcesanus Episcopus absolutionis beneficium impertiri : Cùm propter defectum ætatis in qua fuit commissus excessus , rigor sit mansuetudine temperandus.

(F) *Excommunicationis ipso facto incurrendæ exemplum reperitur in* CONCIL. LUGDUN. II. *ann.* 1274. *tom.* II. *Concil. Labb. col.* 993. *can.* 31. Quicunque pro eo , quòd in Reges , Principes , Barones, Ballivos vel quoslibet ministros eorum , aut quoscunque alios excommunicationis , suspensionis , seu interdicti sententia fuerit promulgata , licentiam alicui dederint occidendi , capiendi , seu aliàs in personis , aut bonis suis vel suorum , gravandi eos qui tales sententias protulerunt , sive quorum sunt occasione

Censura *ferendæ sententiæ*, ea est quæ non incurritur ipso facto, sed post latam solùm à Judice sententiam : ita tamen ut hanc ferre Judex possit ubi probatum fuerit delictum fuisse commissum.

3° Censuræ vel sunt reservatæ, vel non sunt. Reservatæ dicuntur illæ quarum Superior absolutionem sibi reservavit. A cæteris, si sint à jure tantùm et non ab homine, potest quislibet Sacerdos approbatus absolvere.

I. Quid observare debent pœnitentes quantùm ad absolutionem à Censuris ?

R. Si censura quà ligantur reservata sit, adeundus est is ad quem spectat ejus absolutio. Si non possit adiri, instante mortis periculo, potest, ut jam diximus, quilibet Sacerdos etiam interdictus absolvere. Sed si quis sic absolutus convalescat posteà, tenetur adire Superiorem cui fuerat censura reservata, ut accipiat ab eo convenientem pro modo culpæ pœnitentiam ; alioqui tenebitur eâdem censurâ quâ tenebatur priùs. (G)

I. Si quis ligatus fuerit censurâ, quæ nulla sit ipso jure, quid facto opus ?

R. Nullitas censuræ pluribus de causis contingere potest : vel enim ideò nulla est, quia lata est à non habente jurisdictionem ; vel quia injusta ; vel quia non fuit juris ordo servatus. Rursùs vel nullitas censuræ per se patet, nec potest ullam adjunctam habere dubitationem, vel non est ita manifesta. His positis,

Certum est quidem censuram, quæ nulla et irrita sit ex defectu potestatis et jurisdictionis in eo qui fert censuram, nullo modo ligare, quia censura non est ; si autem sit tantùm injusta ex defectu causæ vel tali errore *qui sententiam non annullet*, censura illa *habet suum effectum, et debet* subditus *humiliter obedire.* Verba sunt S. Thomæ. (H) Rursùs ne

prolatæ, vel easdem sententias observantes, seu taliter excommunicatis communicare nolentes, nisi licentiam ipsam re integrâ revocaverint, vel si ad bonorum captionem occasione ipsius licentiæ sit processum, nisi bona ipsa sint infra octo dierum spatium restituta, aut satisfactio pro ipsis impensa, in excommunicationis sententiam incidant ipso facto.

(G) SEXTI *Decretal. lib.* 5. *tit.* 11. *de Sentent. excommunicat. cap.* 22. Eos qui à sententia canonis vel hominis (cùm ad illum, à quo aliàs de jure fuerant absolvendi, nequeunt propter imminentis mortis articulum, aut aliud impedimentum legitimum, pro absolutionis beneficio habere recursum) ab alio absolventur : si cessante posteà periculo, vel impedimento hujusmodi, se illi, à quo his cessantibus absolvi debeant, quàm citò commodè poterunt, contempserint præsentare, mandatum ipsius super illis, pro quibus excommunicati fuerant, humiliter recepturi, et satisfacturi, prout justitia suadebit : decernimus (ne sic censuræ illudant ecclesiasticæ) in eamdem sententiam recidere ipso jure.

(H) S. THOM. *Supp. tert. part. Quæst.* 21. *art.* 4. *in corp.* Respondeo dicendum, quòd excommunicatio potest dici injusta dupliciter : uno modo ex parte excommunicantis ; sicut cùm ex odio vel ira aliquis excommunicat : Et tunc excommunicatio nihilominùs habet effectum suum, quamvis ille qui excommunicat peccet ; quia iste justè patitur, quamvis ille injustè faciat : alio modo ex parte ipsius excommunicationis ; vel quia causa excommunicationis est indebita ; vel quia fertur sententia juris

quis sibi temerè blandiatur de nullitate censuræ quæ justa et legitima foret, meritò constitutum est ab Ecclesia, ut, exceptâ nullitate quæ per se pateat omnibus, nec ullâ ratione excusari possit, ubi quis censurâ etiam nullâ ligatus est, exteriùs pareatur, donec appellatio ad Superiorem lata dirempta sit. Neque enim quisquam sibi judex esse debet in propria causa. Quòd si quis sub specie Appellationis censuram violaverit, graviorem meretur, et si Clericùs fuerit, fit irregularis. (1)

ordine prælermisso : Et tunc si sit talis error ex parte sententiæ, qui sententiam nullam esse faciat, non habet effectum : quia non est excommunicatio : si autem talis error non annullet sententiam, habet effectum suum ; et debet excommunicatus humiliter obedire (et erit ei ad meritum), et vel absolutionem petere ab excommunicante, vel ad superiorem judicem recurrere : si autem contemneret, eo ipso mortaliter peccaret. Contingit autem quandoque quòd sit debita causa ex parte excommunicantis, quæ non est debita ex parte excommunicati : sicut cùm aliquis pro falso crimine in judicio probato excommunicatur : Et tunc si humiliter sustinet, humilitatis meritum recompensat excommunicatoris damnum.

(1) S. Gregor. Magn. *Homil.* 26. *in Evangel.* Sub magno moderamine Pastores Ecclesiæ vel solvere studeant, vel ligare. Sed utrum justè, an injustè obliget Pastor, Pastoris tamen sententia gregi timenda est : ne is qui subest, et cùm injustè forsitan ligatur, ipsam obligationis suæ sententiam ex alia culpa mereatur. Pastor ergo vel absolvere indiscretè timeat, vel ligare. Is autem qui sub manu Pastoris est, ligari timeat vel injustè : nec Pastoris sui judicium temerè reprehendat : ne etsi injustè ligatus est, ex ipsa tumidæ reprehensionis superbia, culpa, quæ non erat, fiat.

Concil. Nicæn. *ann.* 325. *can.* 5. *tom.* 2. *Concil. Labb. col.* 30. De iis qui à communione segregati sunt, sive clericorum sive laicorum sint ordinis, ab Episcopis, qui sunt in unaquaque provincia, valeat sententia secundùm Canonem, qui pronuntiat eos, qui ab aliis ejecti sunt, non esse ab aliis admittendos. Examinetur autem, nunquid vel pusillanimitate, vel contentione, vel aliquâ ejusmodi Episcopi acerbitate, congregatione pulsi sint. Ut hoc ergo convenientem examinationem accipiat, rectè habere visum est, ut singulis annis in unaquaque provincia bis in anno synodi fiant : ut cùm omnes provinciæ Episcopi in eumdem locum communiter conveniant, ejusmodi quæstiones examinentur : et sic quos Episcopum offendisse constiterit, justè esse à congregatione separati apud omnes videantur, donec Episcoporum congregationi videatur pro iis humaniorem proferre sententiam.

Codex Canon. Eccles. African. *Can.* 29. *tom.* 2. *Concil. Labb. col.* 1064. Item placuit universo Concilio, ut qui excommunicatus fuerit pro suo neglectu, sive Episcopus, sive quilibet Clericus, et tempore excommunicationis suæ ante audientiam communionem præsumpserit, ipse in se damnationis judicetur protulisse sententiam.

Idem statuit Concil. Carthag. VI. *ann.* 419. *Can.* 5.

Synod. Lingon. *ann.* 1404. *apud* Bochell. *Decret. Eccles. Gallic. lib.* 2. *tit.* 14. *cap.* 3. Sententia excommunicationis propter nullas causas valdè timenda est, et ab excommunicato et ab aliis. Prima est : quia excommunicatio est gladius spiritualis, qui separat animam à Deo, et magis timendus est iste gladius, quàm materialis qui separat carnem. Augustinus : Gravius est excommunicatio quàm si feriretur gladio ferreo, vel à feris devoraretur. Secunda : excommunicatus est sicut membrum abscissum à corpore, quod nullius valoris est, si putrescit : et quando membrum abscinditur à corpore, omnia alia membra contremiscunt : sic cùm quis excommunicatur, abscinditur à corpore Christi, omnes fideles debent contremiscere. Augustinus : Nihil sic debet formidare Christianus, quàm separari à corpore Christi, quod est Ecclesia. Tertia :

I. Quot sunt species Censurarum ?

R. Tres sunt. Excommunicatio, Suspensio, et Interdictum : de singulis agemus sequentibus paragraphis.

§. 25. De Excommunicatione.

I. Quid est Excommunicatio ?

R. Excommunicatio est censura Ecclesiastica, per quam Christianus aliquis ob grave peccatum privatur eo jure quod habent cæteri fideles ad bona spiritualia totius Ecclesiæ. (A)

quia excommunicatus traditur satanæ secundùm Apostolum (1. *Cor.* v. 5.), et Augustinum. Omnis Christianus qui excommunicatur, traditur satanæ. Et diabolus est sicut canis qui stat juxta macellum, ut cùm quid de carnibus projicitur, recipiat : Ita diabolus recipit Christianos qui ab Ecclesia extrà projiciuntur. Quarta est : excommunicatus traditus est suis hostibus, velut homo captus ab inimicis suis, et non habet qui sibi præstet auxilium, cùm privatus sit omnibus bonis quæ fiunt in Ecclesia : et est similis illi qui sub maximo pondere quod portabat, cecidit in foveam, et non habet sublevatorem. Quinta : Excommunicatus immundus reputatur sicut canis : et ideò ab Ecclesia sicut canis, imò magis quàm canis expellitur. Apocalyp. (XXII. 15.) *Foris canes* et excommunicati, quæ communicatio excommunicati ad eanem. Sextâ : excommunicatus plures inficit suo vitio quasi leprosus, et per tales excommunicatos diabolus plures lucratur animas quàm per aliud peccatum. Cùm enim quidam diabolus loqueretur in quodam dæmoniaco, interrogatus per quemdam sanctum virum, Quo peccato plures damnantur, respondit, Per excommunicationem ; quia unus excommunicatus quandoque unâ die potest facere peccare centum, vel mille personas, participando scienter cum ipso excommunicato.

Cap. 4. Timenda est sententia excommunicationis, etiam si reputatur injustè lata (*S. Greg. Hom.* 26. *in Evang.*) : quia sententia Pastoris sive justè, sive injustè lata timenda est : ut ille contra quem lata est, si putet etiam eam injustam non contemnat, sed patienter tolcret, et remedium quærat.

Olim Clerici censuris inobedientes excommunicatione plectebantur, ut patet ex CAN. APOST. *tom.* 1. *Concil. Labb. col.* 30. Si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, justè ob manifesta crimina depositus, sibi aliquando creditum ministerium attingere audeat, ab Ecclesia omninò abscindatur.

CONCIL. CARTH. II. *an.* 390. *can.* 8. *tom.* 2. *Concil. Labb. col.* 1161. Si quis Presbyter à Præposito suo excommunicatus vel correptus fuerit, debet utique apud vicinos Episcopos conqueri, ut ab ipsis ejus causa possit audiri, ac per ipsos suo Episcopo reconciliari. Quòd nisi fecerit, sed superbià (quod absit) inflatus secernendum se ab Episcopi sui communione duxerit, ac separatim cum aliquibus schisma faciens, sacrificium Dei obtulerit, anathema habeatur, et locum amittat.

MARTIN. BRACAR. *Cap.* 37. *tom.* 5. *Concil. Labb. col.* 910. Si quis Episcopus in Concilio excommunicatus fuerit, sive Presbyter, sive Diaconus, facere oblationem, vel matutinum, vel vespertinum sacrificium, quasi in officio suo agere sicut priùs non liceat ei, nec in alio Concilio spem reconciliationis habere nec ultrà recolligi ; sed etiam eos qui ei communicaverint, omnes ab Ecclesia respui, maximè eos, qui sciebant eum esse delctum.

(A) SYNOD. PARIS. *ann.* 1557. *apud* BOCHEL. *Decret. Eccles. Gallic. lib.* 2. *tit.* 14. *cap.* 2. Excommunicatione à fidelium communione separamur, cui per baptismum adscripti fueramus. Suffragiis Ecclesiæ et sacramentis omnibus per excommunicationem privamur.... Quæ quidem sacramenta ab excommunicato suscepta damnationem potiùs quàm salutem afferunt.

Excommunicationis et appellationis ab excommunicatione formam docet

CONCIL. LATER. IV. *ann.* 1215. *can.* 47. *tom.* 11. *Concil. Labb. col.* 196. *De forma excommunicandi.* Sacro approbante Concilio prohibemus, ne quis in aliquem excommunicationis sententiam, nisi competenti commonitione præmissâ, et præsentibus idoneis personis, per quas, si necesse fuerit, possit probari monitio, promulgare præsumat. Quòd si quis contrà præsumpserit, etiam si justa fuerit excommunicationis sententia, ingressum Ecclesiæ per mensem unum sibi noverit interdictum: aliâ nihilominus pœnâ mulctandus, si visum fuerit expedire. Caveat etiam diligenter, ne ad excommunicationem cujusquam absque manifesta et rationabili causa procedat: ad quam si fortè taliter processerit, et requisitus humiliter, processum hujusmodi non curaverit absque gravamine revocare: gravatus apud Superiorem deponat de injusta excommunicatione querelam: quòd si absque periculo moræ potest, ad excommunicatorem illum cum suo mandato remittat infra competentem terminum absolvendum: alioquin ipse per se, vel per alium, prout viderit expedire, sufficienti cautione receptâ, munus ei absolutionis impendat. Cùmque adversùs excommunicatorem de injusta excommunicatione constiterit, excommunicator condemnetur excommunicato ad interesse; aliàs nihilominùs, si culpæ qualitas postulaverit, Superioris arbitrio puniendus: cùm non levis sit culpa tantam infligere pœnam insonti, nisi forsan erraverit causâ probabili, maximè si laudabilis opinionis existat. Verùm si contra excommunicationis sententiam nihil rationabile fuerit à conquerente probatum: idem et super injusta conquestionis molestia per pœnam ad interesse, vel aliàs secundùm superioris arbitrium condemnetur, nisi forsan et ipsum probabilis error excuset: et super eo, pro quo justà fuerit excommunicatione ligatus, per cautionem receptam satisfacere compellatur, vel in pristinam reducatur sententiam, usque ad satisfactionem condignam, inviolabiliter observandam. Si verò Judex suum recognoscens errorem, paratus sit talem revocare sententiam, et is, pro quo lata fuerit, ne absque satisfactione revocet illam, appellet: appellationi non deferat in hac parte, nisi talis sit error, de quo meritò possit dubitari: et tunc, sufficienti cautione receptâ quòd coram eo, ad quem exstiterit appellatum, vel delegato ab ipso, jurì parebit, excommunicatum absolvat, sicque pœnæ præscriptæ minimè subjacebit: cavens omninò, ne voluntate perversâ in alterius præjudicium mentiatur errorem, si districtionis canonicæ vult effugere ultionem.

Can. 48. Cùm speciali sit prohibitione provisum, ne quis in aliquem excommunicationis sententiam, nisi competenti commonitione præmissâ, promulgare præsumat; volentes etiam providere, ne fortè commonitus, frustratoriæ recusationis vel appellationis obtentu, monentis declinare possit examen: statuimus, quòd si allegaverit se Judicem habere suspectum, coram eodem causam justæ suspicionis assignet. Et ipse cum adversario, vel, si fortè adversarium non habeat, cum Judice, arbitros communiter eligat: aut, si fortè communiter convenire non possunt, eligant absque malitia ipse unum, et ille alium, qui de suspicionis causâ cognoscant: et si nequiverint in unam concordare sententiam, advocent tertium, ut quod duo ex ipsis decreverint, robur obtineat firmitatis. Sciant quoque se ad id fideliter exsequendum, ex injuncto à nobis in virtute obedientiæ, sub attestatione divini judicii districto præcepto, teneri. Causâ verò suspicionis legitimâ coram ipsis infra competentem terminum non probatâ, suâ jurisdictione Judex utatur. At ipsâ probatâ legitimâ, de recusatoris assensu personæ idoneæ committat negotium recusatus, vel ad Superiorem transmittat, ut in eo ipse procedat secundùm quod fuerit procedendum. Porrò commonito ad appellationem convolante, si ejus excessus, evidentiâ rei, vel ipsius confessione, aut alio modo, legitime fuerit manifestatus, cùm appellationis remedium non sit ad defensionem iniquitatis, sed in præsidium innocentiæ institutum, non est provocationi hujusmodi deferendum. Excessu quoque dubio existente, ne frivolæ appellationis diffugio appellans Judicis processum impediat, coram eodem probabilem causam appellationis exponat, talem videlicet, quæ si foret probata, deberet legitima reputari. Et tunc, si habuerit adversarium, infra terminum, secundùm locorum distantiam, et tem-

Est autem Excommunicatio duplex. Major, et minor.

Major Excommunicatio ea est, quâ segregantur fideles à communione fidelium, et abscinduntur à corpore Ecclesiæ; atque ita segregati jus nullum habent ad orationes, sacramenta, bona opera, cæteraque spiritualia bona fidelium; et privantur jure sepulturæ Christianæ.

Excommunicatio minor ea est, per quam non abscinduntur fideles à corpore Ecclesiæ; sed privantur solùm jure suscipiendi Sacramenta, et electionis seu præsentationis passivæ ad beneficia et officia Ecclesiastica. (B)

I. Ubi aliquid vel à jure vel ab aliquo Prælato prohibetur, propositâ excommunicationis pœnâ, de quâ excommunicatione intelligi debent leges hujusmodi?

R. De Excommunicatione majori, nisi expressa mentio fiat minoris excommunicationis. (C)

I. Si quis excommunicationis vinculo fuerit irretitus, debentne cæteri fideles ab ejus consortio et colloquio abstinere?

R. Non sunt fugiendi qui excommunicationis minoris vinculo tenentur. Excommunicati verò majori excommunicatione, tunc solùm fugiendi sunt quando eorum excommunicatio fuerit palàm et publicè et juridicè denuntiata. Alii enim omnes censentur privatim, non publicè excommunicati: et eorum excommunicatio nunquam præsumitur denuntiata, nisi reipsà denuntiatio facta sit. (D) Excipiuntur

poris qualitatem, et naturam negotii, ab eodem Judice moderandum, appellationis causam prosequatur: quam si prosequi non curaverit, ex tunc ipse Judex non ostante appellatione, procedat. Nullo autem adversario comparente, cùm ex suo Judex procedat officio, appellationis causâ coram Superiore probatâ, Superior suæ jurisdictionis officium exsequatur. Sed si appellans in ejus probatione defecerit, ad eum, à quo ipsum malitiosè appellasse constiterit, remittatur.

(B) SYNOD. LINGON. *ann.* 1404. *apud* BOCHEL. *Decret. Eccles. Gallic. lib.* 2. *tit.* 14. *cap.* 1. Duæ sunt species excommunicationis prout hic sumitur: una major, alia minor. Major excommunicatio separat à Sacramentis, ab ingressu Ecclesiæ, et à communione fidelium. Minor separat à Sacramentis. Et cùm invenitur scriptum, Talis est excommunicatus: vel Judex dicit, Excommunico talem; semper intelligitur de majori excommunicatione.

(C) *Decret.* GREGOR. IX. *lib.* 5. *tit.* 39. *de Sentent. Excomm. cap.* 59. Si quem sub hac forma verborum, Illum excommunico, vel simili à Judice suo excommunicari contingat: dicendum est eum non tantùm minori, quæ à perceptione Sacramentorum, sed etiam majori excommunicatione (quæ à communione fidelium separat) esse ligatum.

SYNOD. LINGON. *ann.* 1404. *vide litt. præced.*

(D) *Excommunicationem monitiones præire debent, immò olim excommunicatus vicinis Ecclesiis denuntiabatur. Id multis Conciliorum decretis probatur, præsertim verò* CANONIBUS *sub nomine* APOSTOLORUM *vulgatis Can.* 30. *tom.* 1. *Concil. Labb. col.* 31. Si quis Presbyter, contempto proprio Episcopo, seorsùm congregationem fecerit.... deponatur.... Similiter et reliqui Clerici, et quotquot ei accesserunt. Laïci autem segregantur. Eaque post unam alteramque ac tertiam admonitionem fiant.

DECR. *Part.* 2. *caus.* 5. *Quæst.* 2. *cap. Ex* SYLVESTRO PP. Præsenti decreto censemus, ut imprimis paternaliter vocentur, et per septem dies exspectentur, nullius Ecclesiasticæ rei interdictâ licentiâ. Huic verò exspectationi iterùm addantur septem dies, interdictâ Ecclesiam

intrandi licentiâ, et omnia divina officia audiendi. Post verò addantur duo dies, quibus à pace, et communione sanctæ Ecclesiæ sint suspensi. Deindè verò iterùm aliis duobus diebus sub eadem exspectatione deportentur. Quibus uno die superaddito, omni exspectatione veluti jam desperatâ, reus mox anathematis gladio feriatur.

Cap. 4. *Ex* FELICIS II. *Epist. ad Athan. cap.* 3. Si Primates, accusatores Episcoporum cum eis pacificare familiariter minimè potuerint, tunc tempore legitimo eos ad Synodum canonicè convocatam, non intra angusta tempora canonicè convocent, et non priùs, quàm eis scripto significent, quid eis opponitur, ut ad responsionem præparati adveniant. Nam si aut vi, aut timore ejecti, aut suis rebus exspoliati fuerint, nec canonicè vocari ad Synodum possunt, nec respondere æmulis debent, antequam canonicè restituantur, et sua omnia legaliter reddantur.

CONCIL. LATERAN. III. *ann.* 1179. *Can.* 6. *tom.* 10. *Concil. Labb. col.* 1511. Ne vel Prælati valeant sine causa gravare subjectos, vel subditi pro sua voluntate sub appellationis obtentu correctionem valeant eludere Prælatorum: præsenti Decreto statuimus, ut nec Prælati, nisi canonicâ commonitione præmissâ, suspensionis, vel excommunicationis sententiam proferant in subjectos; nisi fortè talis sit culpa, quæ ipso genere suo excommunicationis pœnam inducat: nec subjecti contra disciplinam Ecclesiasticam ante ingressum causæ in vocem appellationis prorumpant. Si verò quisquam pro sua necessitate crediderit appellandum, competens ei ad prosequendam appellationem terminus præfigatur: infra quem, si forte prosequi neglexerit, liberè tunc Episcopus suâ auctoritate utatur. Si autem in quocunque negotio aliquis appellaverit, et eo, qui appellatus fuerit, veniente, qui appellaverit, venire neglexerit: si proprium quid habuit, competentem ei recompensationem faciat expensarum: ut hoc saltem timore perterritus, in gravamen alterius non facilè quis appellet.

GREG. X. *in* CONC. LUGD. II. *ann.* 1274. *Can* 29. *tom* II. *Concil. Labb. col.* 953. *De sententia excommunicationis.* Constitutionem felicis recordationis Innocentii Papæ IV. prædecessoris nostri, quæ prohibet participantes excommunicatis eâ participatione, quæ solam minorem excommunicationem inducit, monitione canonicâ non præmissâ, majori excommunicatione ligari, decernens promulgatam aliter excommunicationis sententiam non tenere: ad tollendum omnem ambiguitatis scrupulum declarantes: decernimus ita demùm monitionem esse canonicam in hoc casu, si aliis ritè servatis, eos, qui monentur, exprimat nominatim. Statuimus quoque, ut inter monitiones, quas, ut canonicè promulgetur excommunicationis sententia, statuunt jura permitti, Judices sive monitionibus tribus utantur, sive unâ pro omnibus, observent aliquorum dierum competentia intervalla: nisi facti necessitas ea suaserit aliter moderanda. *Habetur Sext. Decretal. l.* 5. *tit.* 11. *cap.* 9.

SEXTI DECRETAL. *lib.* 5. *tit.* 11. *cap.* 3. Statuimus, ut nullus Judicum, participantes cum excommunicatis ab eo in locutione et aliis quibus ligatur participans excommunicatione minori, ante monitionem canonicam excommunicare majori excommunicatione præsumat: salvis Constitutionibus contra illos legitimè promulgatis, qui in crimine præsumunt participare damnato. Quòd si ex locutione et aliis quibus participans labitur in minorem excommunicationem fortiùs indurescat: poterit Judex post monitionem canonicam hujusmodi participantes consimili damnare censurâ. Aliter autem in participantes excommunicatio prolata non teneat: et proferentes pœnam legitimam poterunt formidare.

Decret. SYNOD. *Eccles.* TREGENS. *ibid. c.* 109. Præcipimus omnibus et singulis Ecclesiarum Rectoribus... quatenus ipsi... singulis diebus quibus Missæ in dictis Ecclesiis celebrantur, excommunicatos à Canone denuntient campanis pulsatis, candelisque accensis pariter et exstinctis in ipsis Ecclesiis publicè.

Cap. 112. Illi autem qui excommunicationis sententias pronuntiant, diligenter attendere debent illud quod Innocentius dicit: Sacro approbante Concilio prohibemus ne quis in aliquem excommunicationis sententiam, nisi competenti monitione præmissâ, et personis præsen-

passim ab ea lege percussores Clericorum, qui etiam si non fuerint solemniter excommunicati, tamen fugiendi sunt ab iis qui eorum scelus noverunt, ex jure Decretalium. Sed ea exceptio vim legis non obtinuit in Galliis.

I. Quæ est ergo pœna illis posita quorum excommunicatio palàm et publicè denuntiata est ?

R. Multiplex ea est. 1° Jus nullum habent ad publicas orationes Ecclesiæ. Potest tamen et debet secretò fieri pro iis oratio. 2° Hinc sequitur non licere iis adesse sacrosancto Missæ sacrificio et publicis Ecclesiæ officiis. Quòd si fortè adsint, expellendi sunt : si nolint exire, cessandum est ab officiis vel à sacrificio. Possunt tamen adesse catechismis, concionibus, instructionibus. 3° Hinc quoque sequitur non posse ab iis vel suscipi vel administrari Sacramenta. Si administrent, secluso mortis periculo, fiunt ipso jure irregulares. Si quis autem Sacerdos præsumpserit administrare sacramentum quodvis excommunicato ante absolutionem ab Excommunicatione, ministrans fit ipso jure suspensus. 4° Non licet donare excommunicatum Christianâ sepulturâ. 5° Jus nullum habent electionis vel activæ, vel passivæ ad beneficia vel officia Ecclesiastica. Et si ad ipsos alioquin jus Patronatûs pertineat, privantur suo jure quandiù stat excommunicatio. 6. Si quam habent Jurisdictionem spiritalem, privantur ejus exercitio ; si quam habent litem in foro Ecclesiastico, non possunt exstare juri (E), non possunt audiri. Indè invaluit usus absolvendi ad *cautelam* ab excommunicatione, cujus quidem absolutionis is unus effectus est, ut excommunicatus possit suam causam agere coram Judice. 7° Non licet fidelibus ullum cum excommunicatis habere consortium vel verbo, vel scripto, ubi eorum excommunicatio fuit denuntiata. Non licet illis *Ave* dicere, ut ait Apostolus : *Ne quidem Ave dixeritis* (2. *Joan.* 10.) Non licet cum illis orare, negotiari, loqui, conversari, comedere : illis, ut comprehensâ utar trito hoc versu formulâ :

Os, orare, vale, communio, mensa negatur. (F)

tibus idoneis, per quas si necesse fuerit possit probari monitio, promulgare præsumat. Quòd si contrà præsumpserit, etiamsi justa fuerit excommunicationis sententia, ingressum Ecclesiæ per mensem unum sibi noverit interdictum.

CONCIL. BITURIC. *ann.* 1584. *apud* BOCHEL. *lib.* 2. *tit.* 14. *Decret. Eccles. Gallic. cap.* 10. Excommunicationem semper præcedat trina monitio, ne temerè decernatur : cùm omnium pœnarum, quas peccatoribus Ecclesia infligit, sit maxima.

Eadem quoque definiunt post CONCIL. LATERAN. III. CONCIL. LONDONIENSE *ann.* 1200. *can.* 7. *et* CONCIL. OXONIENSE *ann.* 1222. *can.* 28. *Idem quoque statuunt* ODO PARIS. *in Synodo. et* SYNOD. CARNOT. *ann.* 1526.

(E) *Excommunicati testimonium in judicio non admittitur.* CONCIL. CARTHAG. VII. *an.* 419. *can* 1. *Tom* 2. *Concil. Labb. col.* 1604. Definimus, cum ritè ad accusationem non admitti, qui postèaquàm excommunicatus fuerit, in ipsa adhuc excommunicatione constitutus, sive sit clericus, sive laïcus, accusare voluerit.

(F) CAN. APOST. *can.* 10. *Tom.* 1. *Concil. Labb. col.* 27. Si quis cum excommunicato, vel in domo, unà precatus fuerit, is segregetur.

CONCIL. NICÆN. *ann.* 325 *Jan.* 25. *ex Arab. Tom.* 2. *Concil. Labb. col.* 299. Quicunque fuerit à Sacerdote ligatus, quamvis calumniam passus sit, non est ab eo accipienda oblatio, nec ulla alia res, quam ad Ecclesiam afferat: nec ullus fidelium debet cum eo prandere, nec in domum ejus ingredi, nec cum in domum suam recipere, priusquàm sit ab excommunicatione absolutus: et qui hoc non servaverit, parvi faciens excommunicationem, et fidem contemnens, oportet eum quoque excommunicare, quia fuit particeps et consentiens.

CONCIL. ANTIOCH. *ann.* 341. *can.* 2. *Tom.* 2. *Concil. Labb. col.* 562. Non licere autem communicare cum excommunicatis, neque in domibus convenientes orare pro iis, qui in Ecclesia non communicant: neque in alia Ecclesia recipi, qui in alia Ecclesia non conveniunt. Si quem autem ex Episcopis, vel Presbyteris, vel Diaconis, vel quemvis ex Canone excommunicatis, communicare apparuerit, eum quoque esse excommunicatum, ut qui canonem Ecclesiæ confundat.

CONCIL. CARTHAG. II. *Can.* 7. *Tom* 2. *Concil. Labb. col.* 1161. Qui merito facinorum suorum ab Ecclesia pulsi sunt, si ab aliquo Episcopo, aut Presbytero, vel Clerico fuerint in communione suscepti, refugientes sui Episcopi regulare judicium, etiam ipse pari cum eis crimine teneatur obnoxius.

CONCIL. CARTHAG. IV. *Can.* 73. *aliàs* 40. *Tom.* 2. *Concil. Labb. col.* 1205. Qui communicaverit, vel oraverit cum excommunicato, sive Clericus, sive laïcus, excommunicetur.

CONCIL. ARELAT. II. *Can.* 49. *Tom.* 4. *Concil. Labb.* 1016. Secundùm instituta seniorum, si quis à communione Sacerdotali fuerit auctoritate suspensus, hunc non solùm à Clericorum, sed etiam à totius populi colloquio atque convivio placuit excludi, donec resipiscens ad sanitatem redire festinet.

CONCIL. VERNENSE *ann.* 755. *Can.* 9. *Tom.* 6. *Concil. Labb. col.* 1667. Quicunque Clericus, aut laïcus, vel fœmina.... ab Episcopo suo excommunicatus fuerit: si quis cum ipso communicaverit scienter, sciat se excommunicatum esse. Et ut sciatis qualis sit modus istius excommunicationis; in Ecclesiam non debet intrare, nec cum ullo Christiano cibum vel potum sumere, nec ejus munera quisquam accipere debet, vel osculum porrigere, nec in oratione se jungere, nec salutare, antequam ab Episcopo suo fuerit reconciliatus. Quòd si aliquis se reclamaverit quòd injustè sit excommunicatus, licentiam habeat ad Metropolitanum Episcopum venire, et ibidem secundùm canonicam institutionem dijudicetur, interim suam excommunicationem custodiat.

MARTINI BRACAR. *Can.* 84. *et ult. Tom.* 5. *Concil. Labb. col.* 914. Non liceat communicare excommunicatis, neque in domos eorum introire, neque orare cum eis; neque liceat, ut in alia Ecclesia segregentur. Si autem aliquis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut quilibet Ecclesiasticus excommunicato communicaverit, quasi perturbans omnem disciplinam Ecclesiasticam, excommunicetur.

Idem quoque vetant CONCIL. BRACAR. II. *an.* 563. *Can.* 15. CONCIL. AUTISSIODOR. *an.* 578. *can.* 38. *Capitularia* CAROLI MAGNI *lib.* 5. *Et multa alia Concilia Gallicanæ Ecclesiæ, quæ reperiuntur apud* BOCHELLUM *lib.* 2. *Decret. Eccles. Gallic. tit.* 14. *cap.* 36. *et sequentibus, cap.* 65. *et seq. Immò vetuit semper Ecclesia ne ab uno Episcopo excommunicatus ab alio Episcopo ad communionem admitteretur.*

CONCIL. ANTIOCH. *an.* 341. *Can. Tom.* 2. *Concil. Labb. col.* 563. Si quis à proprio Episcopo fuit excommunicatus, ne priùs ab aliis suscipiatur, quàm fuerit à proprio Episcopo susceptus, vel factâ Synodo accedens se defenderit, et persuasâ Synodo aliam sententiam retulerit. Idem autem decretum adversùs Laïcos, et Presbyteros, et Diaconos, et eos qui sunt in cleri catalogo, observentur.

CONCIL. MILEVIT. II. *an* 410. *can.* 18. *Tom.* 2. *Concil. Labb. col.* 1542. Placuit, ut quicunque non communicat in Provincia propria, et in aliis provinciis vel transmarinis partibus ad communicandum obrepserit, jacturam communionis vel clericatûs excipiat.

CONCIL. ARAUSIC. *ann.* 441. *can.* 11. *Tom.* 3. *Concil. Labb. col.* 1449. Placuit in reatum venire Episcopum, qui admonitus de excommunicatione

I. Tantâne religione abstinendum est à conversatione excommunicatorum, ubi fuerint publicè denuntiati, ut nullo prorsùs in casu liceat cuiquam cum iis ullum habere consortium ?

R. Sua est huic legi exceptio hoc versu comprehensa :

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

1. *Utile.* Licet colloqui cum excommunicato, si id fiat solùm ad ejus spiritualem utilitatem, ut ad conversionem et pœnitentiam excitetur.

2. *Lex.* Qui nuptiali vinculo conjuncti sunt, possunt agere simul invicem sicut priùs, non tamen debent propterea fovere excommunicatum in excommunicatione : imò tenetur conjux conjugem ad pœnitentiam, quantùm est in se, provocare.

3. *Humile.* Possunt servi et famuli cum parentibus, vel heris excommunicatis agere sicut priùs. Sed non licet propterea cum ipsis communicare in crimine cujus causâ sunt excommunicati, vel eorum fovere excommunicationem.

4. *Res ignorata.* Non peccat nec ullam meretur pœnam qui communicat cum excommunicato, cujus ignorat excommunicationem.

5. *Necesse.* Licet unicuique ubi propria necessitas urget, colloqui cum excommunicato ; licet illum in jus vocare ; licet debitam ab eo pecuniam postulare. Licet Medicis, Chirurgis, Pharmacopolis ægrotantem excommunicatum curare et remediis juvare. Sed his omnibus in casibus de sola re necessaria loqui licet cum excommunicato. (G)

cujuscunque, sine reconciliatione ejus qui excommunicavit, ei communicare præsumpserit ; ut integra omnia, si reconciliatio intercesserit, de justitia vel de iniquitate excommunicationis proximæ Synodo reserventur. CONCIL. INCERTI LOCI ET ANNI *can.* 13. *Tom.* 5. *Concil. Labb. col.* 1656. De excommunicatis placuit, si quis pro crimine suo ab Episcopo, vel Presbytero, fuerit communione privatus, Episcopus, vel Presbyter, et facinus excommunicati, et privationem communionis vicinis civitatibus vel parœciis studeant indicare. Quòd si quis, ad ejus postquam notitiam venerit, usque audientiam cum ipso communicare præsumpserit, biennio communione privatus ab Ecclesia sequestretur.

Idem quoque vetant CONCIL. SARDIC. *an.* 347. *can.* 16. CODEX CAN. ECCLES. AFRICAN. *can.* 101. CONCIL. ARELAT. II. *an.* 452. *can.* 8. CONCIL. LUGD. II. *an.* 537. *can.* 4. TURON. II. *an.* 567. *can.* 8. AUTISSIODOR. *an.* 578. *can.* 39. CAPITULARE AQUISGRAN. *an.* 789. *cap.* 1. et 36. CONCIL. AQUISGRAN. *an.* 816. *cap.* 53. *et* 72. LEMOVIC. *an.* 1028. etc.

(G) GREGOR. IX. *Decret.* 138. *Tom.* 11. *Concil. Labb. col.* 402. Cùm voluntate ac proposito maleficia distinguantur : excommunicationis sententiam non incurrit, qui excommunicato in his, quæ ad absolutionem, vel aliàs ad salutem animæ pertinent, in locutione participat : licèt etiam alia verba incidenter (ut apud eum magis proficiat) interponat.

SYNOD. LINGON. *an.* 1404. *apud* BOCHELL. *lib.* 2. *Decret. Eccles. Gallic. cap.* 44. Casus à jure permissi, quibus quis potest licitè participare cum excommunicato, sunt hi. Primò, cùm quis loquitur excommunicato, vel juvat excommunicatum in his quæ pertinent ad suam absolutionem habendam, vel ad salutèm animæ excommunicati, vel ipsius participantis : si participans non posset habere alium cum quo posset habere sanum consilium pro salute animæ suæ. Secundò, potest participari cum ex-

I. Quam pœnam incurrunt qui extra exceptiones suprà dictas cum excommunicato colloquuntur ?

R. Incurrunt in minorem excommunicationem : quòd si cum ipsis communicent in crimine quod causa fuit excommunicationis, incurrunt ipso facto in majorem excommunicationem. (H)

communicato, cùm participans petit ab eo debitum in judicio, vel extra. Tertiò, uxor cum marito, liberi in potestate, et domestici cum parentibus, servi et ancillæ cum dominis, et subditi ac servitores qui adstricti erant ante excommunicationem, licitè participant : dummodò non participent in crimine propter quod sententia est lata. Quartò, ignorantes excommunicationem excusantur, si ignoranter participant cum excommunicato. Potest etiam in prædicatione verbi Dei participari cum excommunicatis.

PRAGMAT. SANCTIO *Tit.* 21. Item, acceptat Decretum de excommunicatis non vitandis, quod incipit :

Ad vitandum scandala ac multa pericula, subveniendumque conscientiis timoratis.

§. 1. Statuit quòd nemo deinceps à communione alicujus in Sacramentorum administratione vel receptione, aut aliis quibuscunque divinis, vel extra prætextu cujuscunque sententiæ aut censuræ Ecclesiasticæ, seu suspensionis aut prohibitionis ab homine vel à jure generaliter promulgatæ, teneatur abstinere vel aliquem, vel interdictum Ecclesiasticum observare, nisi sententia, prohibitio, suspensio, vel censura hujusmodi fuerit in, vel contra personam, Collegium, Universitatem, Ecclesiam, aut locum certum aut certam, à Judice publicata vel denuntiata specialiter et expressè : aut si in aliquam ita notoriæ excommunicationis sententiam constiterit incidisse, quòd nullà possit tergiversatione celari, aut aliquo juris suffragio excusari. Nam à communione illius abstineri vult juxta canonicas Sanctiones. Per hoc tamen hujusmodi excommunicatos, suspensos, interdictos, seu prohibitos non intendit in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari.

CONCORDATUM *inter* LEONEM X. *P. M. et* FRANCISCUM. I. *Regem Christianiss. Tit.* 9. Statuimus insuper, quòd ad vitandum scandala et multa pericula, subveniendumque conscientiis timoratis, quòd nemo deinceps à communicatione alicujus in Sacramentorum administratione vel receptione, aut aliis quibuscunque divinis, vel extrà prætextu cujuscunque sententiæ, aut censuræ Ecclesiasticæ, seu suspensionis, aut prohibitionis ab homine, vel à jure generaliter promulgatæ, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, vel interdictum Ecclesiasticum observare, nisi sententia, prohibitio, suspensio, vel censura hujusmodi fuerit, vel contra personam, Collegium, Universitatem, Ecclesiam, aut locum certum aut certam, à Judice publicata et denuntiata specialiter et expressè, aut notoriè in excommunicationis sententiam constiterit incidisse, quòd nullà possit tergiversatione celari, aut aliquo juris suffragio excusari ; cum à communione illius abstinere volumus, juxta Canonicas Sanctiones ; per hoc tamen hujusmodi excommunicatos, suspensos, interdictos seu prohibitos non intendimus in aliquo relevare, neque eis quomodolibet suffragari.

(H) DECRET. *part.* 2. *caus.* 11. *quæst.* 3. *cap.* 26. Si quis Laïcus abstinetur, ad hunc, vel ad domum ejus, vel Clericorum, vel Religiosorum nullus accedat. Similiter et Clericus si abstinetur, à Clericis devitetur. Si quis cum illo colloqui, aut convivari fuerit deprehensus, etiam ipse abstineatur. Sed hoc pertinet ad eos Clericos, qui ejusdem Episcopi sunt, et ad omnes, qui commoniti fuerint de eo, qui abstinetur, sive Laïco quolibet, sive Clerico.

SYNOD. LINGON. *ann.* 1404. *apud* BOCHELL. *Lib.* 2. *Decret. Eccles. Gall. cap.* 36. Qui scienter communicat cum excommunicato, est excommunicatus minori excommunicatione priusquam in speciali moneatur : sed postquam monitus fuit, tunc est excommunicatus majori excommuni-

I. Quid hoc rei est, communicare cum excommunicato in crimine quod causa fuit excommunicationis?

R. Est excommunicatum adjuvare, fovere, detinere in eo crimine, laudare perseverantem, venire in partem criminis quomodolibet.

I. Cur tanta est Ecclesiæ erga excommunicatos severitas?

R. Ut hac salutari correctione excitati in se redeant, humilientur et pœnitentiam agant.

I. Quomodo gerere se debent excommunicati?

R. Nefas ipsis suscipere Sacramenta ante absolutionem ab excommunicatione.

Majoris excommunicationis vinculo irretiti non debent ante absolutionem ingredi in Ecclesiam ad Sacrificium vel officia publica, sed debent in spiritu humilitatis et in animo contrito exspectare donec absolvantur. Attamen ex Concordatis non possunt ab ea ingressione impediri quorum nondum est excommunicatio publicè denuntiata. (I)

Debent omnes omninò excommunicati quacunque excommunicatione, etiam minori, datam fratribus suis offensionem reparare, humiliter agere pœnitentiam, parere legibus et Superioribus Ecclesiasticis, uno verbo pro virili contendere ut gratiam absolutionis ab excommunicatione mereantur. (K)

§. 26. De Monitionibus ad finem revelationis, propositâ Excommunicationis pœnâ.

I. Sæpè denuntiantur in Ecclesiis Parochialibus litteræ quas monitorias vocant: Quid hoc rei est?

R. Litteræ illæ continent monitionem factam fidelibus, Ecclesiæ jussu, ut revelent intra certum tempus quod norunt circa eas res quæ monitione continentur: alioqui excommunicandi.

I. Quænam illæ res sunt quarum præcipit Ecclesia revelationem, propositâ excommunicationis pœnâ non revelantibus?

R. Res graves et magni momenti, quorum cognitionem haberi maximè interest vel Ecclesiæ, vel quibusdam fideli-

cationē, et peccat in Deum contemnendo ejus Ministrum illum qui sententiam tulit excommunicationis, ut scriptum est, *Qui vos spernit, me spernit.* (*Luc.* x. 16.) Secundò, peccat in scipso.

Idem definit. Synod. Pictav. *an.* 1284.

(I) *Vide* Pragmat. Sanct, *et* Concordat. *litt. super.*

(K) *Intra annum excommunicatus se purgare debet ex* Concil. Carthag. V. *ann.* 398. *can.* 12. *Tom. Concil. Labb. Col.* 1217. Rursùs constitutum est, ut quoties Clericis convictis et confessis in aliquo crimine, vel propter eorum quorum verecundiæ parcitur, vel propter Ecclesiæ opprobrium, aut insolentem insultationem hæreticorum atque gentilium, si fortè causæ suæ adesse voluerint, et innocentiam suam asserere, intra annum excommunicationis hoc faciant. Si verò intra annum causam suam purgare contempserint, nulla eorum vox posteà penitùs audiatur.

Plura vide in Decreto *et* Extrav. *et apud Canonistas; inter quos de Censuris doctè scripsit* D. Eveillon; *de Excommunicatione* Bonacina, Avila, Covarruvias, Navarrus, Pastor, *etc.*

bus litteras illas postulantibus; et quarum haberi cognitio aliter nequit. Res, inquam, graves et magni momenti: neque enim licet pro rebus levibus et futilibus pœnam excommunicationis proponere. (A)

(A) CONCIL. NICÆN. *ann.* 325. *can.* 28. *ex Arab. tom.* 2. *Concil. Labb. col.* 299. Non erit Presbyter ullo modo malevolus, aut velox ad iram, aut alius, qui potestatem habeat excommunicandi, ut non omni tempore excommunicet et liget.

CONCIL. SARDIC. *ann.* 300. *Can.* 16. *tom.* 2. *Concil. Labb. col.* 650. Osius Episcopus dixit: Quod me adhuc movet, reticere non debeo. Si Episcopus quis fortè iracundus (quod esse non debet) citò et asperè commovetur adversùs Presbyterum, sive Diaconum suum, et exterminare eum de Ecclesia voluerit; providendum est, ne innocens damnetur aut perdat communionem: et ideò habeat potestatem is qui abjectus est, ut Episcopos finitimos interpellet, et causa ejus audiatur, ac diligentiùs tractetur quia non oportet ei negari audientiam roganti. Et ille Episcopus, qui aut justè aut injustè eum abjecit, patienter accipiat, ut negotium discutiatur; ut vel probetur sententia ejus à plurimis, vel emendetur. Tamen priusquam omnia diligenter et fideliter examinentur, eum qui fuerit à communione separatus, ante cognitionem nullus alius debet præsumere ut communioni societ. Hi verò qui conveniunt ad audiendum, si viderint Clericorum esse fastidium et superbiam, quia jam non decet, ut Episcopus injuriam, vel contumeliam patiatur, severioribus eos verbis castigent, ut obediant honesta præcipienti Episcopo: quia sicut ille Clericis sincerum exhibere debet amorem charitatis, ita quoque vicissim Ministri infucata debent Episcopo suo exhibere obsequia.

CONCIL. CARTHAG. VII. *ann.* 419. *can.* 5. *tom.* 2. *Concil. Labb. col.* 1604. Item placuit, ut si quando Episcopus dicit, aliquem sibi soli proprium crimen fuisse confessum, atque ille neget; non putet ad injuriam suam Episcopus pertinere, quòd illi soli non creditur: et si scrupulo propriæ conscientiæ se dicit neganti nolle communicare, quandiù excommunicato non communicaverit suus Episcopus, eidem Episcopo ab aliis non communicetur Episcopis, ut magis caveat Episcopus, ne dicat in quemquam, quod aliis documentis convincere non potest.

CONCIL. AGATH. *ann.* 506. *can.* 3. *tom.* 4. *Concil. Labb. col.* 1383. Episcopi verò, si Sacerdotali moderatione postpositâ, innocentes aut minimis causis culpabiles excommunicare præsumpserint, et ad gratiam festinantes recipere fortassè noluerint, à vicinis Episcopis cujuslibet provinciæ litteris moneantur: et si parere noluerint, communio illis usque ad tempus Synodi à reliquis Episcopis non negetur: ne fortassè ad excommunicatoris peccatum excommunicati longo tempore morte præveniantur.

CONCIL. AURELIAN. V. *ann.* 549. *Can.* 2. *tom.* 5. *Concil. Labb. col.* 391. Ut nullus Sacerdotum quemquam rectæ fidei hominem pro parvis et levibus causis à communione suspendat, præter eas culpas, pro quibus antiqui Patres ab Ecclesia arceri jusserunt committentes.

CONCIL. RHEM. *ann.* 625. *can.* 5. *tom.* 5. *Concil. Labb.* 1690. Ut temerè nullus excommunicetur: et si excommunicatus existimat se injustè damnatum, in proximâ Synodo habeat licentiam reclamandi: et si injustè damnatus fuerit, absolvatur; sin autem justè, impositum pœnitentiæ tempus exsolvat.

CONCIL. MELDENS. *ann.* 845. *can.* 56. *tom.* 7. *Concil. Labb. col.* 1836. Ut nemo Episcoporum quemlibet sine certa et manifesta peccati causa communione privet Ecclesiasticâ. Anathema autem sine consensu Archiepiscopi, aut Coëpiscoporum, prælatâ etiam Evangelicâ admonitione, nulli imponat, nisi unde canonica docet auctoritas: quia anathema æternæ est mortis damnatio, et non nisi pro mortali debet imponi crimine, et illi qui aliter non potuerit corrigi.

CONCIL. BITURIC. *ann.* 1584. *apud* BOCHELL. *lib.* 2. *Decret. Eccles. Gallic. tit.* 14. *cap.* 22. Grave telum Ecclesiæ in hostes Christianæ religionis, publicos et pervicaces peccatores, injecerunt Apostoli: quo ab Ecclesia tanquam membra putrida resecti sunt qui eâ indignos se præbebant: cùm ergo ejus usus adeò serius sit, ut non sine magno animi mœrore,

I. Quibusnam litteræ illæ monitoriæ ad finem revelationis concedere licet?

R. Solis Catholicis quorum fama et existimatio integra sit. *Solis Catholicis :* neque enim curat Ecclesia res extraneorum, sed filiorum duntaxat. *Quorum fama et existimatio integra sit.* Si quorum enim mores perditos esse constat, ii indigni sunt Ecclesiæ tutelâ et præsidio.

Porrò eorum fama integra esse censetur, quorum vita non est publicè infamis et scandalosa. Agitur enim hîc de foro externo, in quo bonus præsumitur quisquis non est publicè criminosus et infamis; neque enim judicat Ecclesia de occultis.

I. Qui norunt aliquid de re proposita in litteris monitoriis, tenenturne revelare?

R. Tenentur; alioqui excommunicandi.

I. Quandonam revelatio facienda est?

R. Ubi primùm de litteris denuntiatis constat. Neque exspectandum est donec excommunicationis sententia denuntietur.

I. Cui revelatio facienda est?

R. Sacerdoti Parocho, qui litteras denuntiavit.

quin potiùs coactus D. Paulus Apostolus eo remedio usus sit. Excommunicationis pœnâ magno cum judicio, et non nisi gravioribus in causis, utantur Episcopi, nec levi de causa censuram Ecclesiasticam adhibeant, et ipsi de causis judicent, et ad id præstandum solâ conscientiâ, et rei gravitate, non vi, aut cujusquam auctoritate compellantur.

SYNOD. AQUENS. *ann.* 1585. *apud* BOCHELL. *lib.* 2. *Decret. Eccles. Gallic. tit.* 14. *cap.* 25. « Quamvis excommunicationis gladius nervus sit Ecclesiasticæ » disciplinæ, (*Concil. Trid. Sess.* 25. *de Reform. c.* 3.) et ad continendos in » officio populos valdè salutaris, sobriè tamen magnaque circumspec- » tione exercendus est : cùm experientia doceat, si temerè ac levibus » ex rebus incutiatur, magis contemni quàm formidari. (*Concil. Trid.* » *addit :* et perniciem potiùs parere quàm salutem.) Quapropter excom- » municationes illæ quæ monitionibus præmissis ad finem revelationis, » ut aiunt, aut pro deperditis seu subtractis rebus ferri solent, à nemine » prorsùs, præterquàm ab Episcopo decernantur ; et tunc non aliàs, » quàm ex re non vulgari, causâque diligenter ac magnâ maturitate per » Episcopum examinatâ, quæ ejus animum moveat : nec ad eas conce- » dendas cujusvis secularis etiam magistratûs auctoritate adducatur : sed » totum hoc in ejus arbitrio et conscientia sit positum, quando ipse pro re, » loco, persona aut tempore, eas decernendas esse judicaverit. »

Id etiam cautum fuit in CONCIL. AQUISGRAN. *ann.* 816. *can.* 42. *in* CONCIL. LATERAN. II. *ann.* 1215. *can.* 49. *in* SYNOD. TURON. *ann.* 1583. *et in* SYNOD. EBROICENS. *ann.* 1576. *et aliis non paucis.*

JOAN. GERSON. *in serm. facto in Concil. Rhem. ann.* 1408. *apud* BOCHELLUM *ibid.* Fiat moderatio tot Excommunicationum tàm à jure quàm ab homine fulminatarum. Et hoc nonnunquam pro defendenda seu recuperanda re modica parùm utili vel profana, cùm tamen baculus iste primitùs fuerit institutus à Christo tanquam durissimum summumque supplicium, quo nolentes Ecclesiam audire plecti deberent. *Quòd si Ecclesiam non audierit*, inquit Christus, *sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* (*Matth.* XVIII. 17.) Nunc apud quosdam talis regnat stoliditas, qualis apud illum qui ut muscam abigeret à fronte proximi, ictu securis excerebravit eum. Itaque temporalis incommoditas vix reputari debet musca pungens per respectum ad æternam salutem quam auferunt aliquando percussiones istæ per excommunicationes gravissimas, quæ ut in aliquem ceciderint, vix abjici possint, trahentibus de una in aliam lupis curiæ rapacibus.

I. Quomodo revelatio facienda est ?

R. Duplici modo fieri potest. 1° Qui revelat, potest declarare Sacerdoti sigillatim quidquid novit de re proposita. 2° Potest declarare Sacerdoti habere se multa revelanda : quod quidem sufficit ut possit sic revelans, vocari deindè in testimonium coram Judice, à quo interrogatus declarare tenebitur quidquid novit.

I. Ubi litteræ monitoriæ denuntiatæ fuerint, tenenturne omnes et singuli, nemine planè excepto, revelare quod norunt.

R. Multi eximuntur ab obligatione revelationis. 1° Qui legitimum habent fundamentum metuendi ne sibi gravis injuria, grave damnum ex revelatione accidat.

2° Cognati intra secundum consanguinitatis gradum eximuntur à revelatione ; si inde mors vel gravis infamia sequi possit cognato suo. Nisi agatur de re tanti momenti pro Ecclesia vel Regno, ut moniti fuerint etiam cognati et propinqui, nemine planè excepto, revelare quod norunt, proposità excommunicationis pœnâ.

3° Eximuntur etiam ab obligatione revelationis illi quorum reus consilio usus est, ut nosset quid sibi facto opus ; item illi qui rem à reo didicerunt datâ fide se rem tacituros ; illi denique qui non subjacent jurisdictioni Judicis, qui monitionem denuntiandam decrevit.

§. 27. De Suspensione.

I. Quid est Suspensio ?

R. Suspensio est censura Ecclesiastica, quâ Clericus privatur exercitio Ordinum, vel officii, vel beneficii, vel iis omnibus simul. (A)

(A) CONCIL. NICÆN. *ann.* 325. *Tom.* 2. *Concil. Labb. col.* 43. *can.* 18. Nec sedere in medio Presbyterorum Diaconis liceat : quia si hoc fiat, præter regulam et ordinem probatur existere. Si quis autem etiam post has definitiones obedire noluerit, à ministerio cessare debebit.

CONCIL. AGATH. *an.* 506. *Tom.* 4. *Concil. Labb. col.* 1392. *can.* 55. Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, canes ad venandum, aut accipitres habere non liceat. Quòd si quis talium personarum in hac voluntate detectus fuerit, si Episcopus est, tribus mensibus se à communione suspendat : Presbyter duobus mensibus se abstineat : Diaconus uno ab omni officio vel communione cessabit.

Idem sanxit CONCIL. EPAONENS. *an.* 517. *can.* 4.

SYNOD. LEMOVIC. *an.* 1028. *apud* BOCHELL. *Lib.* 2. *Decret. Eccles. Gallic. Tit.* 14. *cap.* 135. Si quis de Episcopis aliquoties timore, vel amore, vel pecuniâ se inflexerit, ut secundùm Concilium non distringat per justitiam illum quem distringere debet et potest, sive absolverit vivum, vel mortuum quem absolvere non debet, aut in aliquo probatus sit violare Concilium quod ipse cum aliis Episcopis instituit, ab ipsis Episcopis deponatur, usque ad spatium temporis quod ipsi Episcopi concorditer judicabunt.

Suspensionis Sententia absque prævia monitione ferri non debet : CONCIL. OXON. *an.* 1222. *can.* 18. *Tom.* 11. *Concil. Labb. col.* 280. Ad hæc Ecclesiastici ordinis utilitate pensatâ, pariter et honore, decrevimus ne Archidiaconi vel eorum Officiales, sententias excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, in aliquem audeant promulgare, ubi excessus non est manifestus, nisi admonitione canonicâ præcedente. Si quis autem con-

Hæc enim vel conjungi vel separari possunt. Si lata suspensio sit generatim, nullà additâ restrictione, ita ut dictum sit aliquid vetitum esse sub pœna suspensionis : intelligitur hàc voce privatio ab usu Ordinum, et officiorum, et beneficiorum. Alioqui attendenda est ratio verborum legis, et accipienda sunt juxta strictum eorum sensum.

Potest ergo quis Clericus suspendi ab exercitio officii, verbi gratiâ, à Jurisdictionis administratione, nec propterea suspensus esse à perceptione fructuum beneficii, et ab Ordinum exercitio. Potest suspendi ab officio; verbi gratiâ, Canonicus ab ingressu chori arceri, nec propterea arcebitur ab Ordinibus. Potest suspendi à celebratione Missæ, nec propterea suspensus erit ab exercitio Diaconatûs, vel inferiorum Ordinum. Sed non potest quis suspendi ab Ordinibus inferioribus, quin ipso jure suspensus sit à superioribus.

I. Si quis suspensionem fortè violaverit?

R. Incurrit ipso facto in irregularitatem, de qua dicemus infrà. Idem dicendum de cæterarum censurarum violatione.

I. Quandonam Clericus à suspensione liberatur?

R. Si suspensio lata sit ad certum tempus : elapso hoc tempore suspensio sine nova declaratione solvitur, modò huic Clericus paruerit. Si nullum tempus fuerit suspensioni præstitutum, exspectanda est absolutio Superioris, ad quem jus absolvendi pertinet.

I. Estne aliquid discriminis inter suspensionem et depositionem?

R. Hoc interest, quòd suspensio ad tempus sit, depositio in perpetuum. Adde quòd suspensus non excidit ordine, beneficio, dignitate : His omnibus excidit qui depositus est. Est enim depositio, censura quâ quis ab officio et beneficio sine spe restitutionis privatur, si depositio absoluta sit. Potest enim quis deponi ab Ordine superiori et non ab inferiori, potest deponi à Beneficio et non ab Ordine. (B)

tra præmissa excommunicationis sententiam tulerit in quemcunque, pœnæ subjaceat in Lateranensi Concilio promulgatæ. Pro suspensione verò vel interdicto, superioris arbitrio puniatur.

(B) CAN. APOST. *Can.* 11. *Tom.* 1. *Concil. Labb. col.* 27. Si quis, cùm sit Clericus, unà cum eo, qui est depositus, oraverit, deponatur et ipse.

Can. 24. Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, fornicationis, vel perjurii, vel furti convictus, deponatur, et non segregetur. Dicit enim Scriptura, *Non vindicabis bis in idipsum.* Similiter reliqui quoque Clerici.

CONCIL. NICÆN. *an.* 325. *can.* 17. *Tom.* 2. *Concil. Labb. col.* 43. Si quis (Clericus) inventus fuerit post hanc definitionem usuras accipiens, aut ex adinventione aliqua, vel quolibet modo negotium transigens, aut hemiolia, id est, sescupla exigens, vel aliquid tale prorsùs excogitans turpis lucri gratiâ; dejiciatur à Clero, et alienus existat à regula.

CONCIL. ANTIOCH. *an.* 341. *can.* 4. *Tom.* 2. *Concil. Labb. col.* 563. Si quis Episcopus à Synodo depositus, vel Presbyter, vel Diaconus à proprio Episcopo, sacrum celebrare ausus fuerit, sive Episcopus secundùm præcedentem consuetudinem, sive Presbyter, sive Diaconus, nullam ampliùs spem restitutionis in alia Synodo, neque defensionis locum ei habere liceat. Sed et omnes qui ei communicant, ex Ecclesia ejiciantur,

I. Estne aliquid discriminis inter depositionem et degradationem ?

R. Hoc unum est, quod degradatio solemniter fiat, idque à solo Episcopo (C) : depositio sine solemnitate fiat, solà sententià Judicis. Alioqui depositionis absolutæ, et degradationis idem effectus est.

et maximè si cùm sententiam adversùs prædictos prolatam didicerint, eis communicare ausi fuerint.

Can. 5. Si quis Presbyter vel Diaconus proprio contempto Episcopo, ab Ecclesia seipsum segregaverit, privatim congregationem effecerit, et altare erexerit, et Episcopo accersente non obedierit, nec velit ei parere, nec morem gerere, primò et secundò vocanti, is omninò deponatur, et non ampliùs curationem assequi, nec suum possit honorem capere. Sin autem perseverat perturbare et Ecclesiam evertere, is per externam potentiam ut sediliosus castigetur.

CONCIL. AGATH. *an.* 506. *Tom. 4. Concil. Labb. col.* 1391. *can.* 50. Si Episcopus, Presbyter aut Diaconus capitale crimen commiserit, aut chartam falsaverit, aut testimonium falsum dixerit, ab officii honore depositus in monasterio retrudatur, et ibi quandiù vixerit laïcan tantummodò communionem accipiat.

CONCIL. EPAONENS. *ann.* 517. *Tom. 4. Concil. Labb. col.* 1579. *can.* 22. Si Presbyter aut Diaconus crimen capitale commiserit, ab officii honore depositus in monasterium retrudatur, ibi tantummodò, quandiù vixerit, communione sumendâ.

GREGOR. MAGN. *Epist.* 17. *Lib. 4. ad Constant. Mediolan. Episc.* Si lapsis ad suum ordinem revertendi licentia concedatur, vigor Canonicæ procul-dubio frangitur disciplinæ, dum pro reversionis spe pravæ actionis desideria qui concipere non formidat. Fraternitas siquidem vestra nos consulit, si Amandinus ex Presbytero et Abbate, qui à suo est decessore culpâ exigente depositus, in eo quo fuerat ordine constitutus, debeat revocari. Quod quidem nec licet, nec fieri posse aliquâ ratione decernimus. Ejus tamen si conversio fortè meruerit, sacro per omnia siculi est privatus officio, in monasterio eum ante alios ut prævideritis Monachos ordinate. Illud igitur præ omnibus studete, ut lapsos in sacrum Ordinem nullius vobis supplicatio aliquomodo revocare suadeat, ne hujusmodi non statuta, sed temporaliter dilata credatur eis esse vindicta.

CONCIL. VERNENS. *an.* 755. *can.* 9. *Tom.* 6. *Concil. Labb. col.* 1667. Si quis Presbyter ab Episcopo suo degradatus fuerit, et ipse per contemptum posteà aliquid de suo officio sine commeatu facere præsumpserit, et posteà ab Episcopo suo correptus et excommunicatus fuerit; qui cum ipso communicaverit scienter, sciat se esse excommunicatum.

Eamdem pœnam decernunt in Clericos delinquentes plurima Concilia : imprimis CAPITULARE AQUISGRAN. *an.* 789. *cap.* 7. *Cætera lubens omitto.*

(C) PONTIFIC. ROMAN. *in forma Degradat. pag.* 455. Poterit tamen (quod convenientius videtur) ad aliorum terrorem actualis degradatio sic fieri. In primis in publico extra Ecclesiam paratur aliquis eminens congruentis spatii locus, pro degradatione facienda, supra quem ordinatur una credentia simplici tobaleâ cooperta, supra quam ponuntur ampulla vini, ampulla aquæ; calix cum patena, et hostia; unum vas vini, unum vas aquæ; liber Evangeliorum, liber Epistolarum; bacile cum buccali, et mantili; unum candelabrum cum candela exstincta, liber Exorcismorum; liber Lectionum; claves, Antiphonarium, forfices, cultellus, aut vitrum; paramenta pro degradando. Videlicet, si degradandus sit Archiepiscopus : ordinentur super dictam credentiam superpelliceum, sandalia cum caligis; amictus, alba, cingulum, manipulus, tunicella, stola, dalmatica, chirothecæ, alia stola, planeta, mitra, annulus Pontificalis, pallium, baculus Pastoralis, et aliqua vestis habitûs secularis. Si verò degradandus non sit Archiepiscopus, sed Episcopus tantùm, omisso pallio, ponuntur super credentiam omnia alia prædicta. Si verò Presbyter tantùm, omissis pallio et aliis Pontificalibus paramentis prædictis, ponuntur ibidem omnia alia prædicta. Idem in aliis Ordini-

§. 28. De Interdicto.

I. **Quid est Interdictum ?**

R. **Interdictum est Censura Ecclesiastica, quâ prohibetur vel administratio Sacramentorum, vel Officiorum Divinorum celebratio, vel Ecclesiastica sepultura : idque in pœnam alicujus inobedientiæ gravis et scandalosæ.** (A)

Interdictum autem vel est locale, vel personale, vel mixtum ; vel generale, vel speciale.

Interdictum locale **illud est, quod non in personas sed in locum fertur : si, verbi gratiâ, prohibeatur Officiorum Divinorum celebratio in aliqua Ecclesia vel Capella, si cœmeterium interdicatur. Si feratur interdictum in Ecclesiam, non licet ibi Sacra facere, nec ibi adesse Sacris, si fortè**

bus, etiam in ordinatione credentiæ observatur. Idem paratur in dicto loco faldistorium pro Pontifice degradatore, sedilia pro Officialibus. Vocantur, et ibidem adsint Ministri Pontificis ; Judex secularis, cui degradatus committitur ; Notarius qui processum degradationis legit, si opus erit, vel Pontifici placet ; et Barbitonsor.

Horâ congruenti ducitur degradandus, sive sit Archiepiscopus, sive quicunque alius, quotidiano suo habitu indutus, super dictum locum ad hoc præparatum ; ubi cùm fuerit, solvitur, et liber ibidem manet. Tum à Clericis induitur omnibus paramentis sui Ordinis, ut præmittitur, supra credentiam ordine suo positis, incipiendo à superpellicco, et continuando usque ad ultimum paramentum sui Ordinis. Quo sic indulo, Pontifex degradator indutus amictu, albâ, cingulo, stolâ et pluviali rubeis, ac mitrâ simplici, baculum pastoralem in sinistra tenens ascendit ad locum prædictum, et ibidem sedet in faldistorio in convenienti loco sibi parato, versus ad populum, adstante sibi Judice seculari. Tum degradandus, sive Archiepiscopus fuerit, sive alius, omnibus sui Ordinis vestibus sacris indutus, et singulis ornamentis ornatus, habens in manibus ornamentum ad Ordinem suum spectans, ac si deberet in suo officio ministrare, adducitur ante Pontificem, coramque genuflectit. Tum Pontifex ut suprà sedens, populo in vulgari notificat degradationis hujusmodi causam ; deindè contra degradandum sententiam fert.. Quâ sententiâ latâ, Pontifex degradator aufert ab illo singula ornamenta sibi juxta Ordinem suum tradita, inchoando ab ultimo ornamento, et descendendo gradatim, continuans usque ad primum, quod in prima Tonsura sibi datum fuit.

Pag. 458. Deindè.... Pontifex degradator abradit degradando pollices et manus leviter cum cultello, aut vitro... Post hæc Pontifex cum eodem cultello, aut vitro, abradit leviter caput degradandi.

Et post multa, pag. 461. Tum Pontifex degradator cum forficibus tondere incipit, et per barbitonsorem ibidem præsentem totaliter tonderi facit caput degradandi.... Tum ministri Pontificis exuunt degradatum veste et habitu Clericali, et ipsum induunt habitum secularem. Quo facto, si fuerit talis casus, quòd degradatus tradi debeat curiæ seculari, Pontifex degradator degradatum ampliùs non tangit, sed in hunc modum contra ipsum pronuntiat, dicens :

Pronuntiamus, ut hunc exutum omni Ordine ac privilegio Clericali Curia secularis in suum forum recipiat degradatum.

Tum Pontifex degradator efficaciter, et ex corde, omni instantiâ, pro miserrimo illo derelicto intercedit apud Judicem secularem, ut citra mortis periculum, vel mutilationis, contra degradatum sententiam moderetur.

Quo facto, Ministri Curiæ secularis degradatum sub sua custodia recipiunt, et discedunt.

(A) Interdicti sententia in delinquentes absque prævia monitione ferri non debet. *Vide superiori* §. *litt.* (A) Concil. Oxon. *an.* 1222. *can.* 18.

spreto interdicto ibi fiant. Si cœmeterium, non licet ibi Christianorum corpora sepelire.

Interdictum personale non in loca, sed in personas fertur. Non licet personis interdictis in Ecclesiam ingredi ad Divina Officia. Non licet eas sepulturæ Ecclesiasticæ mandare.

Si tamen interdictum generale sit, licet stante hoc interdicto Ecclesiasticæ sepulturæ tradere corpora Clericorum qui interdictum servaverunt; nec illius causa fuêre.

Vix in usu est apud nos censura interdicti generalis personalis.

Interdictum mixtum illud est, quod tam in loca quàm in personas cadit.

Interdictum generale illud est, quod omnes ejusdem loci Ecclesias, et cœmeteria omnia, vel omnes personas afficit: potest enim interdictum generale vel in solas personas, vel in sola loca ferri.

Interdictum speciale illud est, quod quasdam solùm personas, loca quædam afficit.

I. Si Ecclesia interdicta sit, estne simul interdictum illius Ecclesiæ cœmeterium?

R. Si cœmeterium Ecclesiæ contiguum sit, simul cum interdicta Ecclesia interdictum censetur: secùs si non sit contiguum. (B)

(B) *Decret.* GREGOR. IX. 140. *Tom.* II. *Concil. Labb. col.* 402. Permittimus Ecclesiarum Ministris semel in hebdomada tempore interdicti, non pulsatis campanis, voce submissâ, januis clausis, excommunicatis et interdictis exclusis, Missarum solemnia celebrare, causâ conficiendi corpus Domini, quod decedentibus in pœnitentia non negatur.

SYNOD. LINGON. *ann.* 1404. *apud* BOCHELL. *Lib.* 2. *Decret. Eccles. Gallic. Tit.* 15. *cap.* 1. Interdictum Ecclesiasticum quoddam est generale, scilicet cùm unum regnum, una provincia, una civitas, castrum, vel villa interdicitur. Quoddam est particulare, cùm de multis Ecclesiis una vel paucæ interdicuntur: cùm dicitur, Talis locus interdicitur, vel est interdictus, nihil aliud est dicere, quòd viri Ecclesiastici prohibentur ibi celebrare Sacramenta Ecclesiastica aliqua, vel sepulturam ministrare: et homines interdicuntur à certis Sacramentis et sepultura. Secundò, Interdictum ponitur pro rationabili causa, nec est rationabilis aut justa causa ponendi interdictum pro debito pecuniario, nisi hoc ex speciali concessione summi Pontificis procedente. Tertiò, cùm civitas, villa, vel castrum interdicitur, suburbia ejus sunt interdicta: quamvis in multis aliis casibus nomine civitatis intelligitur quod murorum ambitu continetur. Quartò, homines de loco interdicto, si interdictum fuit positum absque eorum culpa, auxilio, vel favore, possunt alibi audire Divina et recipere Sacramenta. Idem in viris Ecclesiasticis loci interdicti, qui possunt in prædicto casu alibi celebrare Divina, et non servare interdictum. Quintò, unà Ecclesiâ interdictâ, capella et cœmeterium eidem Ecclesiæ contiguum seu conjunctum, sunt interdicta: secùs est si capella et cœmeterium essent separata ab ipsa Ecclesia interdicta. Sextò, Religiosi et quælibet aliæ personæ etiam exemptæ, debent servare generale interdictum etiam ab Ordinario positum: vel quoties ipsi Religiosi aut Exempti vident matricem Ecclesiam, vel Parochialem Ecclesiam propter interdictum generale cessare, ipsi debent observare interdictum: alioquin incurrunt pœnam et sententiam juris. Septimò, ad Divina Officia tempore interdicti, singulis diebus Monasteriis et Ecclesiis possunt celebrari Divina Officia, submissâ voce, taliter quòd ab extra non possint audiri, januis clausis, excommunicatis et inter-

I. Si cœmeterium Ecclesiæ contiguum interdictum sit, estne eo ipso et interdicta Ecclesia ?

R. Nequaquam.

I. Tempore interdicti abstinendumne est prorsùs ab administratione seu susceptione cujuslibet Sacramenti ?

R. Licet tempore interdicti baptizare infantes, et baptizatos confirmare ; licet et ministrare Sacramenta Pœnitentiæ, Viatici, et Unctionis extremæ iis qui non sunt speciatim interdicti, vel publicè excommunicati. Sed tunc nulla debet ad horum Sacramentorum administrationem solemnitas, nulli testes, nisi prorsùs necessarii, adhiberi.

I. Nunquamne licet Divina Officia celebrare tempore interdicti ?

R. 1. Licet in Ecclesia non polluta celebrare tempore interdicti Divina Officia, sine cantu, sine solemnitate, sine campanarum pulsatione, et januis clausis.

2° Si interdictum generale sit, licet in Ecclesiis non pollutis solemniter celebrare Divina Officia diebus Paschæ, dictis exclusis, campanis non pulsatis : ita quòd alii nisi Clerici Ecclesiæ non admittantur ad Divina, etiamsi aliundè venirent : nisi essent privilegiati quòd tempore interdicti possent audire divina. Octavò, tempore interdicti generalis solùm in festivitatibus Natalis Domini, Resurrectionis, Pentecostes et Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis campanæ pulsantur, januis apertis et altà voce Divina celebrantur, excommunicatis exclusis, et interdictis admissis : dum tamen illi quorum culpà interdictum latum est, ad altare non accedant. Potest etiam tempore interdicti sanctum Chrisma confici et celebrari. Nonò, quò ad sacramenta Ecclesiastica, tempore interdicti prohibentur ministrari, nisi in casibus sequentibus.

Baptismus, et Confirmatio, non solùm parvulorum, sed adultorum. Pœnitentia, non solùm morientium, sed et sanorum : exceptis illis quorum culpà latum est interdictum, vel dederint auxilium : nisi satisfecerint prout jura canunt. Eucharistia, quæ ministratur morientibus.

Decimò, Tempore generalis interdicti, Clerici Ecclesiarum loci interdicti, tradi possunt Ecclesiasticæ sepulturæ, sine tamen pulsatione campanarum, et omni solemnitate cessante. Sed laïcis loci exceptis denegatur Ecclesiastica sepultura, etiam si pœnitentiam egerint ; quia interdicti sunt, etiam si peccatores non sint. Sublato autem interdicto, eorum corpora poterunt Ecclesiasticæ sepulturæ tradi. Undecimò, Matrimonia possunt contrahi : sed benedictio nuptialis denegatur tempore generalis interdicti. Sponsalia etiam de futuro non prohibentur, sed conceduntur dicto tempore interdicti. Duodecimò, qui celebrat scienter tempore interdicti, vel in Ecclesia interdicta, nisi super hoc sit à Sede Apostolica privilegiatus, et nisi in casibus à jure permissis superiùs expressis, irregularitatem incurrit : à qua non potest nisi per summum Pontificem absolvi. Decimotertiò, tempore interdicti potest prædicari verbum Dei et possunt illi de loco interdicti orare in Ecclesia, nisi forsan esset eis specialiter interdictus ingressus Ecclesiæ. Decimoquartò, illi proter quorum culpam est positum interdictum, debent procurare ut tollatur : et debent restituere Clericis et Ecclesiis, damna et interesse, quæ propter hoc incurrerunt.

Sexti Decret. *lib.* 5. *tit.* 11. *cap.* 17. Si civitas, castrum aut villa, subjiciantur Ecclesiastico interdicto : illorum suburbia et continentia ædificia eo ipso intelligi volumus interdicta. Nam licèt prædicta videantur aliàs murorum ambitu terminari : hoc tamen casu ne vilipendi valeat sententia interdicti (quod fieret, si posset in ipsorum suburbiis, vel continentibus ædificiis licitè celebrari, ut priùs) expedit interpreta-

Pentecostes, natalis Domini, sacrosancti Corporis Christi et Assumptionis B. Mariæ Virginis. (C)

I. Quam pœnam incurrunt violatores interdicti ?

R. Clerici violantes interdictum fiunt ipso jure irregulares. Si cùm ipsi non sint personaliter interdicti, ad Ecclesiam et Divina Officia admittant alios personaliter interdictos et denuntiatos, et ipsi incurrunt censuram interdicti. Laïci verò specialiter interdicti, vel qui causa fuêre interdicti generalis, si non servent interdictum, incurrunt ipso jure in majorem excommunicationem.

tionem fieri latiorem. Ratione quoque simili, si sit Ecclesia interdicto supposita vel subjecta : nec in capella ejus celebrari, nec in cœmeterio ipsius eidem Ecclesiæ contiguis poterit sepeliri ; secùs si ei contigua non existant.

(C) Sext. Decret. *Lib.* 5. *Tit.* 11. *cap.* 24. *Ex Constitutione* Bonifacii VIII. Alma mater Ecclesia plerumque nonnulla rationabiliter ordinat et consultè ; quæ suadente subjectorum utilitate postmodum consultiùs, ac rationabiliùs revocat, in meliusve commutat. Sanè à nostris dudum fuit Prædecessoribus constitutum, ut in terris seu locis Ecclesiastico suppositis interdicto, nulla (certis casibus et Sacramentis exceptis) Divina celebrentur Officia, vel ministrentur Ecclesiastica Sacramenta. Quia verò ex districtione hujusmodi statutorum exercescit indevotio populi, pullulant hæreses, et infinita pericula animarum insurgunt : ac Ecclesiis sine culpa earum debita obsequia subtrahuntur, cum fratribus nostris deliberatione habitâ super his diligenti, concedimus, quòd tempore interdicti ab homine, vel à jure prolati, non tantummodò morientes, sed etiam viventes, tam sani etiam quàm infirmi, ad pœnitentiam (quæ propter pronitatem et facilitatem hominum ad peccandum, summè necessaria est) licitè admittantur : dum tamen excommunicati non fuerint, quos admitti (præterquam in mortis articulo) nolumus ad eamdem. Illis etiam propter quorum culpam, dolum, vel fraudem lata est sententia interdicti, vel qui ad perpetrandum, cujus occasione ipsum interdictum est latum, præbuerunt auxilium, consilium, vel favorem : nisi de ipso delicto (si sint tales, quòd id facere valeant) priùs satisfecerint, vel de satisfaciendo idoneam dederint cautionem ; aut si satisfacere nequeunt, vel hujusmodi cautionem præstare juverint, quòd cùm poterunt satifacient, et ad satisfactionem hujusmodi per eum, vel per eos qui facere ipsam debent et possunt præstandam dabunt consilium, et auxilium, ac juxta posse suum fideliter laborabunt : non est pœnitentiæ beneficium aliquatenùs concedendum. Nec tunc etiam quò ad istos vel alios, qui circa hoc minimè deliquerunt (ubi civitas vel locus alius, seu universitas interdicti existunt) faciendæ est relatio interdicti, sed est eis solummodò injungenda pœnitentia salutaris. Adjicimus prætereà, quòd singulis diebus in Ecclesiis et Monasteriis Missæ celebrentur, et alia dicantur Divina Officia sicut priùs ; submissâ tamen voce, et januis clausis, excommunicatis ac interdictis exclusis, et campanis etiam non pulsatis. Et tam Canonici, quàm Clerici Ecclesiarum, in quibus distributiones quotidianæ illis, qui horis intersunt canonicis, tribuuntur : si ad officia non venerint suprà dicta, distributiones easdem amittant, sicut interdicto perderent non exstante, si Divinis Officiis non adessent. In festivitatibus verò Natalis Domini, Paschæ, ac Pentecostes, et Assumptionis Virginis gloriosæ campanæ pulsentur, et januis apertis altâ voce Divina Officia solemniter celebrentur, excommunicatis prorsùs exclusis, sed interdictis admissis : quibus ob reverentiam dictarum solemnitatum, (ut ipsi ad humilitatis gratiam, et reconciliationis affectum faciliùs inclinentur) præfatis diebus participationem permittimus Divinorum : sic tamen quòd illi, propter quorum excessum interdictum hujusmodi est prolatum, altari nullatenùs appropinquent. *Hæc Constitutio vata fuit in* Decretis Synodal. Eccles. Rhemens. *et* Tregens.

I. Quomodo solvitur interdictum ?

R. 1° Per sententiam Judicis ad quem illa solutio pertinet.

2° Si ad certum tempus latum fuerit interdictum, elapso tempore, sine nova Judicis sententia solvitur.

3° Si sub conditione latum fuerit, verbi gratiâ, donec talis satisfactio facta sit, donec tale scandalum sublatum fuerit, donec talis in Ecclesia vel cœmeterio facta instauratio vel refectio sit : positâ conditione solvitur interdictum.

FINIS TOMI OCTAVI.

INDEX

TOMI OCTAVI.

TERTIÆ PARTIS SECTIO PRIMA.

De Sacramentis.

CAPUT I. *De Sacramentis in genere.* Pag. 1

§. 1. De Sacramentorum natura et effectibus. 1

§. 2. De Sacramentorum numero, Auctore, Ministro, Ritibus. 4

CAPUT II. *De Baptismo.*

§. 1. De Baptismi natura et effectibus. 6

§. 2. De Administratione Baptismi. 12

§. 3. De Baptismi necessitate et unitate. De statu Parvulorum sine Baptismo morientium. 17

§. 4. De susceptoribus è sacro fonte Baptismatis; qui vulgò Patrini et Matrinæ dicuntur. 29

§. 5. Explicantur solemnes Baptismi Ritus et Cæremoniæ. 32

§. 6. Continuatio Paragraphi superioris de Ritibus Baptismi. 35

Formula Renovationis Promissionum quæ ante Baptismum fiunt. 39

§. 7. Continuatio Paragraphi superioris de Ritibus Baptismi. 40

CAPUT III. *De Sacramento Confirmationis.*

§. 1. Quid sit Confirmatio. 45

§. 2. De effectibus Confirmationis, et de Donis Spiritûs sancti. 47

§. 3. De Ministro et subjecto et necessitate Confirmationis. Item de dispositionibus ad suscipiendum hoc sacramentum requisitis. 53

§. 4. Explicantur Ritus in Sacramento Confirmationis observari soliti. 60

CAPUT IV. *De Eucharistia.*

§. 1. De Eucharistia in genere, variisque ejus nominibus. 63

§. 2. De institutione Eucharistiæ. 65

§. 3. Explicatur solemnis promissio Eucharistiæ, de quâ mentio fit capite sexto Sancti Joannis. 68

§. 4. De Eucharistia sub ratione sacramenti. De Præsentiâ reali, et Transsubstantiatione. 86
§. 5. De Adoratione, Custodiâ, Expositione, Processione Eucharistiæ. 104
§. 6. De effectibus sacrosanctæ Eucharistiæ. 113
§. 7. De præparatione adhibenda, ut dignè quis sacram Eucharistiam percipiat. 118
§. 8. De frequenti Communione. 130
§. 9. De Communione sub unica specie. 136
§. 10. De necessitate Communionis. Itemque de prima Communione. 155

CAPUT V. *De Sacramento Pœnitentiæ.*

§. 1. De virtute pœnitentiæ. Quanta sit necessitas agendi Pœnitentiam, idque sine mora. 160
§. 2. In quo positum sit Sacramentum Pœnitentiæ. De ejus institutione et necessitate. 174
§. 3. De Contritione. Quæ sint conditiones ad Contritionem requisitæ. 180
§. 4. De Contritione Perfecta et Imperfecta. 185
§. 5. De non peccandi proposito : item de pravis habitibus, et de peccandi occasionibus. 190
§. 6. De Confessione, ejusque necessitate. 197
§. 7. De delectu Confessarii. 201
§. 8. De prævio Examine conscientiæ ad Confessionem necessario. 212
§. 9. Qualis debeat esse Confessio, ac primùm de illius integritate. 214
§. 10. Explicantur reliquæ conditiones Confessionis. Tum de Confessionibus Generalibus. 221
§. 11. De Confessionis faciendæ ritu. 225
§. 12. De Satisfactione, ejusque necessitate. 226
§. 13. Exemplis è Scriptura petitis probatur necessitas satisfactionis. 231
§. 14. De Satisfactione juxta veteres Pœnitentiæ leges : ac præcipuè de quatuor gradibus Pœnitentiæ Publicæ. 234
§. 15. Quæ sit et fuerit semper mens Ecclesiæ in satisfactionum injunctione. 243
§. 16. De Canonibus Pœnitentialibus. 248
§. 17. De operibus satisfactoriis. 264
§. 18. De Purgatorio. 266
§. 19. De Indulgentiis. Quid sint Indulgentiæ. Esse in Ecclesia potestatem eas concedendi. 280

§. 20. De variis Indulgentiarum generibus. Cui competat potestas eas concedendi. 295
§. 21. De Indulgentiis concessis in gratiam mortuorum fidelium. 304
§. 22. De absolutione à peccatis, et de potestate eam concedendi Sacerdotibus tradita. 311
§. 23. De absolutionis dilatione. 314
§. 24. De casibus reservatis; et de Censuris in genere. 327
§. 25. De Excommunicatione. 338
§. 26. De Monitionibus ad finem revelationis, propositâ Excommunicationis pœnâ. 340
§. 27. De Suspensione. 343
§. 28. De Interdicto. 346

FINIS INDICIS TOMI OCTAVI.

1070